



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Series Romanorum Pontificum Cum Reflexionibus  
Historicis**

**Kolb, Gregor**

**Augustæ Vindelicorum, 1727**

**VD18 14497719**

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70934](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70934)

3




H III. 28.


~~78~~

Th. 4893.



















SERIES  
ROMANORUM  
PONTIFICUM

REFLEXIONIBUS <sup>Cum</sup> HISTORICIS,

Contra D. Joannem Hübnerum aliósque  
*Collegii S. J.* <sup>Quas</sup> Lutheranos maximè Historicos, *Paderborna.*

<sup>sub</sup> AUSPICIIS ET PATROCINIIS

Reverendissimorum, Amplissimorum, Excellentissimo-  
rum, Illustrissimorum, Illustrium, Generosorum, Præno-  
bilium, Nobilium &c.

Trium Anterioris Austriae Inclytorum  
STATUUM PROVINCIALIUM &c.

In Alma & Perantiqua Cæsareo-Austriaca Univerfitate  
Friburgi Brisgoiæ

Disputationi publicæ subjecit, & nunc tertia vice in lucem edidit  
P. GREGORIUS KOLB S. J. Historiæ Professor Ordin.

*Cum Facultate Superiorum.*

Editio Tertia.



AUGUSTÆ VINDELICORUM,

Sumptibus GEORGII SCHLÜTER & MARTINI HAPPACH. 1727.



SERIES  
ROMANORUM  
PONTIFICUM

REFLEXIONIBUS HISTORICIS

Comit. D. Johannem Christophorum alioquin  
Ludwigus inquit Historias

AUSPICIS ET PATROCINIIS

Reverendissimi Amabilissimi

Reverendissimi Amabilissimi

Reverendissimi Amabilissimi

STATUM PROVINCIALIUM

in Anno 1717

P. GREGORIS KOIB S. J. Praeceptoris Ordinis

Com. Petrus

Edno. Jan.



Georgius GEORGII & MARTINUS HANNOVER 1717



REVERENDISSIMI & AMPLISSIMI,  
EXCELLENTISSIMI ET ILLUSTRISSIMI, PERIL-  
lustres, Nobiles, Strenui, Consultissimi, Spectatissimi  
ac Expertissimi, Anterioris Austriae Incliti Status  
Provinciales, Ecclesiastici, Equestres, & To-  
parchico - Urbici, per districtum  
Brisgoia.

DOMINI DOMINI,  
Mecænates Venerandissimi.



UO amore jam multis abhinc Secu-  
lis Austriae Archi - Duces, & ex his  
Austriae Archi - Ducibus à Deo ve-  
rius, quàm homine electi *Imperato-  
res Austriaci* profecuti fuerint, quo  
item amore prosequantur etiam-  
num Literarum studia, testantur  
abundè Academiae complures, Ly-  
cea, Gymnasia & Seminaria per-  
multa in Austria, Bohemia, Hungaria, Tyroli, Carinthia,  
Carniola, Silesia &c. maximis eorum sumptibus erecta, &  
constantissimè conservata. Inter easdem Academiae lo-  
cum haud postremum sibi meritò vendicat Academia hæc



nostra, quam circa annum 1460. Archidux Austriae Albertus liberalissimus Mecenas velut arcem munitissimam contra ignorantiae & haeresum maximè insultus erexit, & eidem, ut erecta staret constantissimè, munificentissimè providit. Ipsa igitur pro fundamento solidissimo accepit munificentiam Archi-Ducum Austriae perpetuam, ipso angulari lapide continua Austriacorum Imperatorum Serie, quæ sicut ipsa per Divini Numinis singulare beneficium nunquam rimas aget, ita nunquam facillè ruet Academia nostra, nisi ruinam patiatur genus mortalium universum. Placere Vobis, Patroni Reverendissimi, Excellentissimi &c. præter exemplum hoc litterarium exempla alia multa ad stabilitatem permoventia in Vestris Capitibus Augustissimis tantoperè, ut ab eo tempore, quo ab Imperatore Maximo Maximiliano I. in *Tres* diversos, concordetamen Ordines fuistis divisi ac collocati, *Tres Brisgoia Status*, trium instar columnarum solidissimarum steteritis nunquam non firmissimi, quia subjectissimi ac devotissimi Austriae Orientali, etsi Vobis sæpè imminuerit, & toto pondere incubuerit vicina Francia Occidentalis. Quamdiu autem ita stetistis, cadere penitus nec voluit, nec potuit Athenæum hoc nostrum; quin imò dimidia sui parte ita stare & ambulare didicit, ut pars altera Constantiae disceret amplius sub Austriacorum scuto servare constantiam. Constantiâ dein Friburgum redeundi copiam dum impetavit idem Athenæum nostrum, vobis verò ex vestris ruinis caput erigere nonnihil datum fuit, etsi ære alieno eoque copioso vosmetipsos gravatos nosceritis, Reipublicæ tamen Literariae



riæ augmentum & ornamentum addere, quoad fieri potuit, quamprimùm libuit vobis ; quamvis longissimè diversæ ab hac vestra sententia mentis fuerint haud pauci viri , consilio & opere aliàs nequaquam infirmi, aut infimi. Inter ornamenta literarum , aut augmenta minimùm numerare vobis placuit *rerum aut temporum Magistram* Historiam , tum sacram , tum profanam , ut juventus Catholica identidem disceret amplius & amare & æstimare , mirari atque imitari egregia facinora, ea verò imprimis , quæ memoriæ nostræ mandanda reliquere Romani Pontifices , Romanorum Imperatores, Catholici ac Christianissimi Reges , Imperii Electores, Duces, Viri Principes &c. & quemadmodum hic Vester in rem Historicam Amor placuit literarum scientiarum Amantissimo Imperatori nostro CAROLO VI. ita quidem , ut Statuum Anterioris suæ Austriæ sibi demissimè oblatam de nova literarum fundatione sententiam Decretò publicò firmarit quamprimùm ; sic profectò vel ipsis , qui in coelo nunc gloriosissimi triumphant Austriaci Archi-Duces & Imperatores , si cum Inviçtissimo Cæsare Nostro CAROLO etiamnum orbi imperarent, probata fuisset eadem de Historia publicè tradenda mens ac sententia. Liceat sic divinare, aut veriùs narrare Historico ; quæ enim studia Imperatores , dum mortalem vitam vixerunt , adeò amarunt & æstimarunt rerum æstimatores æquissimi , ut eadem ipsimet præclare didicerint, procul dubio isthæc studia amarent & æstimarent his nostris doctissimis Seculis. Atqui permultos numerare est



vel ipsos inter Imperatores & Austriacos Archi-Duces, qui Historiographos ita amârunt & æstimârunt, ut non modò typis impressas Historias ipsi persæpè legerint, sed etiam suamet Augusta manu quidam eorum Historias scripserint. Non repetam hîc Carolos, Leopoldos, Ferdinandos, Maximilianos, Fridericos &c. de quibus in Austriæ Historia hoc & prioribus annis publicè tradita ter quaterve audivimus, quantum horum vel singuli *Lectio Historiarum* crebrò repetitæ tribuerint; unius Archi-Ducis Ottonis mentionem uberiorein hîc attendere lubeat, de quo præter Card. Bellarminum Scriptores non pauci hunc fermè in modum scripserunt: *Leopoldi Sancti Austria Archi-Ducis pius filius: quinque Archi-Ducum frater Otto Frisingensis Episcopus, insigni nobilitate, pietate & doctrina: fuit enim Henrici IV. Imperatoris nepos, Henrici V. Imperatoris sororius, Conradi III. Imperatoris frater uterinus, Friderici I. Imperatoris patruus & hujus Historiographus, auctor clarissimus, qui libros VII. Chronicorum scripsit ab orbe condito usque ad annum Christi 1146., quibus addidit octavum librum permagnum de fine mundi, de Antichristi persecutione, de resurrectione mortuorum, de judicio finali, de gloria Beatorum, de suppliciis damnatorum. Scripsit præterea libros duos de gestis Friderici I. Imperatoris &c. Tandem in ipso suo monasterio Cisterciensi, in quo Abbas quondam præerat, animam Deo reddidit anno 1159. Romano Pontifici in cunctis obedientissimus, revocans in mortis articulo, se quicquam dixisset, aut scripsisset, quod Fidei Christiane contrarium*



*trarium videri posset.* Dum itaque Vos Reverendissimi, Excellentissimi & Illustrissimi &c Mecænates, studuistis ex parte minimùm æmulari Austriacos Imperatores & Archiduces in erigendo studio Historico, & hanc ob rem munificentiam vestram denuo exhibuistis illis maximè, quibus volupe fuerit ad audiendas & legendas Historias seriò incumbere; Hinc non pauci in hujate Academia discipuli, Historiæ studiosi, Clientes Vestri, Vestra liberalitate etiam sibi frui licere, gaudent plurimùm, simulque optârunt, ut primum hunc libellum Vestris liberalissimis Manibus suo etiam nomine offerrem demissimè, pro beneficiis gratias referrem maximas, & unà mecum ipsos Vestris favoribus penitus consecrarem, dicarem & dedicarem.

**Reverendis, Excellentis, Illustris, &c. &c.  
Dominationum Vestrarum**

Clientis ac Servorum infimus  
Gregorius Kolb S. J.

XX

PRÆ



# PRÆFATIO

AD

## LECTOREM.

**R**EROSQUE Literatorum à natura & arte ita constitutos esse novimus, ut plurimum delectentur lectione eorum librorum, quos de præclaris Majorum nostrorum gestis nobis reliquere Historici. Et si enim paucorum sit serium & efficax desiderium, virtutes Majorum contemptis vitiis fortiter imitari, plurimorum tamen est, Veterum monumenta intueri, & eorum egregia facta mirari; unde experimur, ipsos etiam Pontificum Romanorum hostes infensissimos *Gesta Pontificia* continuo describere & lectione crebra volvere, de iisdem sæpè sermocinari, eorum aliqua mirari, pauca extollere, plurima suppressere, allatis in infamiae suppetias copiosis etiam fabulis & mendaciis. Hos minimè castigatos libros sciendi avidæ & incautæ juventuti velut mel dulcissimum propinant, ut mentes longioris experientiae & veteris Historiæ expertes quamprimum fucatis, non veris imbuantur principiis, ac

*Quo semel est imbuta recens servaret odorem*

*Testa diu.*

Atque sic fabulis potius, quàm Historiis innutriti juvenes in malè præoccupatos excrescunt viros, qui veluti Evangelica Oracula suas propugnant pessimè conceptas opiniones, quibus quasi solidissimis fundamentis inniuntur, negantes omnem aditum saniori Doctrinæ & Veritati Historicæ. Commiseratione hi digni, indignatione verò non indigni sunt Lectorum permulti, qui licet ipsi ad manus habeant libros Historicos minimè suspectos, probè examinatos, absque sinistro affectu conscriptos, non falsò prætensâ Superiorum licentiâ in lucem editos, his tamen neglectis curiosos oculos intendunt & manus incautas extendunt ad malæ fidei autores, ex quibus haurire consueverunt sensim sine sensu suspiciones malas, imò sæpè pessimas opiniones e. g. de Romanis Pontificibus; unde Heterodoxis hac in parte vix nobiliores loquuntur crebrò sine fronte, sine rubore, cum pertinacia, cum impudentia sæpè & summa imprudentia. Dabis veniam hic effervescenti calamo, Amice Lector, si, quod scribit, constanti experientia manifestum fieri perpenderit. Docet enim verò quotidiana

na



na hominum Societas, multos eòsque litteris etiam non incultos viros eà  
sibi non rarò plurimum imprimere ex perfectis Historicis rerum capita,  
quæ apta nata sunt non Illustrium Virorum famam & honorem integrum  
conservare, sed convellere, aut quantum in ipsis est, penitus tollere, vix  
loco laudibus suâ ipsorum in memoria relicto. Horum nos ne exempla  
deteriora sequamur, selectum inter Authores Historicos perpetuò atten-  
demus. Eundem selectum, dum de Romanis Pontificibus agemus, faciliè  
ex ipsorum authorum vel nomine vel tenore agnoscemus. Plurimi eorum  
fuère, quorum aliqui Romanæ Gloriæ partem maximam detrahere, alii ei-  
dem plus æquò tribuere, alii demum sepositis partium studiis compertam  
veritatem dicere conati sunt, suis quemque coloribus pingentes, haud-  
quaquam pares iis pictoribus, qui ut ipsi placeant, effigiem innato vultu  
pulchriorem efformant. Quoniam verò eorum librorum, qui de Roma-  
nis Pontificibus inscripti sunt, pars major in densa volumina excrevit, pars  
autem alia minor vel sola Romanorum Præsulum nomina, vel annorum  
& dierum tempora, seu Chronologiam veriùs quàm Historiam expressit,  
hac de causa optimum factu videbitur viâ incedere mediâ, Pontificum  
nempe gesta non in magnum volumen extendere, sed nec brevissimo  
compendio constringere. Sequentur post singula Secula Reflexiones  
breves, quæ paucis attingent Primitivæ Ecclesiæ statum, Scriptorum Ec-  
clesiasticorum seriem, sed ante omnia multorum maximè Heterodoxorum  
falsissimas de Romanis Pontificibus opiniones. Caterùm si hoc in opu-  
sculo quædam occurrant, quæ vel minùs ad ornatum serviunt, vel stylo  
Historico parùm conveniunt, æqui tamen bonique consulet Humanissimus  
Lector impensam operam, si consideraverit, me duo potissimùm in eo-  
dem attendisse capita: Primum est, ut veritatem ante omnia sectarer sim-  
plicissimam: alterum, ut stylo non minùs simplici DD. Auditoribus A-  
cademicis Historicam Veritatem proponerem: quibus igitur si labor  
meus probatus fuerit, & ego eorum votis satisfecero, ipsi  
meis desideris dederunt satis.

FACUL





FACULTAS R. P. PROVINCIALIS,  
CUM PRIVILEGIO CÆSAREO.

**C**um Domini Georgius Schlüter, & Martinus Hap-  
pach, Bibliopolæ Augustani, typis vulgare defide-  
rent Librum, cui Titulus: Series Romanorum Pon-  
tificum &c. à P. Gregorio Kolb Societatis nostræ Sacerdote  
conscriptos, Ego Franciscus Xaverius Hallauer, Societatis  
JESU per superiorem Germaniam Præpositus Provincialis,  
potestate mihi ab Adm. R. P. Nostro Michaële Angelo  
Tamburino Societatis nostræ Præposito Generali concessa,  
eisdem ad tertiam duntaxat editionem facultatem impertio,  
simulque communico Privilegium Cæsareum, quo aliis  
Bibliopolis, & Typographis interdicitur, ne dictum Librum  
citra consensum Superiorum vel recudere, vel intra fines Im-  
perii, & Hæreditarias S. C. Majestatis Provincias inferre præ-  
sumant. In cujus confirmationem has litteras Chirogra-  
pho meo, & consueto officii mei sigillo munitas dedi. Con-  
stantiæ 6. Aprilis 1726.

( L. S. )

Franciscus Xaverius Hallauer.

SERIES





# SERIES ROMANORUM PONTIFICUM.

PARS I.

*Seculum Primum.*

I. S. PETRUS.



CHRISTUS JESUS Sacerdotum omnium Sacerdos Summus ac Pontifex Supremus in caelos ascensurus, ac rediturus ad Patrem caelestem, haudquaquam reliquit Sponsam suam in terris viduam, novam Ecclesiam; ipse enim per Divinam suam, eamque singularem providentiam eidem adstiterurus perpetuo, humanam tamen operam cum Divina ope etiam conjuncturus, ex hominibus hominem selegit, cui ante alios suas in terris vices commenderet, ut fidelem populum regeret. Fuit is Simon Vir Galilaeus piscator, tribus abhinc annis in discipulorum numerum à Magistro Divino cooptatus: hunc enim à reliquis segregatum his allocutum est verbum Divinissimum; *Math. 16. Et Ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc Petram aedificabo Ecclesiam meam, & porta inferi non prevalebunt adversus eam. Et tibi dabo claves Regni caelorum, & quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in caelis; & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in caelis.* Haud satis erat summo Ecclesiae moderatori Deo Simonem semel tantum constitui, nec semel novi sui officii commonuisse: alias enim cum piscatum abisset Petrus cum sociis Thoma Didymo & Nathanaele ad mare Tiberiadis, ex Magistro tum subito comparente has voces ter excepit: *Simon Joann. 5, diligis me plus his?* quibus verbis eum ter respondisset Petri amor factus quam

R. P. Kolb Series Pont. Pars I.

A

ver-



verbis ardentior, ex Oraculo divino rursus accepit verba potestate Summa plenissima: *Joan. 21. Pasce agnos meos; & pasce oves meas.* Petrus itaque jam non par, sed reliquis discipulis omnibus major, Supremus nempe Sacerdos, ac Pontifex variis jam pro Religione exantlatis laboribus anno ab Ascensione Domini quinto Antiochiæ stabilem Ecclesiæ sedem fixit, ubi septennium pene totum ita est commoratus, ut vicinas nonnunquam inviseret Ecclesias. Inter has & Hierosolymitana fuit, quam ut solatio erigeret, & animaret ad incommoda quævis perferenda, tulit ipse incommodum maximum: ab Herode enim Agrippa in carcerem missus; vitam ipsam brevi amissurus fuisset, nisi Angelica manu liberatus Romam usque iter instituisset in divisione regnorum ac regionum Apostolica Italiam sibi eligens, aut potius Divino nutui intentissimus eò perveniens. Annis igitur viginti quatuor cum aliquot mensibus Romæ omnium Pontifex fuit Primus, ad cujus annos hæcenus Pontificum ascendit nullus, fortè etiam nullus est ascensurus facilè. Hierosolymam inde aliquando redux Concilium indixit primum, in quo primus omnium ipse animi sensa aperuit ac sententiam tulit. Romam verò Hierosolymâ rediens Romanam perrexit miris modis augere Fidem, divisit varias in terras permultis Episcopis; de quibus hunc in modum loquitur C. Baronius ad annum Christi 46. *Habuit à Petro institutos Episcopos Sicilia Pancratium, Marcianum, Berrillum & Philippum; Capua Priscum; Neapolis Asprem; Terracina Epaphroditum; Æquicolæ populi Marcum, alium tamen ab Evangelista; Ptolomeum Nepe; Romulam Fesule; Paulinum Luca; Ravenna Apollinarem; Verona Euprepium; Patavium Prosdocimum; Ticinum Syrum; Aquileja post Marcum, Hermagoram; in Galliis Lemovicenses, Tholosani & Burdegalenses Martialem; Tungrenses, Colonienses & Trevirenses Maternum, nec non Valerium: Rhemeneses Sixtum; Arelatenses Trophimum; Senonenses Sabinianum; Cenomanenses Julianum; Vienna & Moguntia Crescentem; Catalaunum Gallia Memmium; Beturicenses Ursinum; Arvernenses Austremonium; Sanctonenses Eutropium; Germania Eucharium, Egistum & Marcianum; Hispania Torquatum, Thesiphontem, Secundum, Indaletium, Cecilium, Heschium; Euphratium & alios. In Britanniam etiam Petri operâ Evangelium penetrâsse ajunt.* Adeò de orbe pene toto, præcipuè verò de Europa optimè meritis D. Petrus in monte Vati.



Vaticano sub Nerone tyranno cum gentium Doctore Paulo vitam simul & sanguinem pro Magistro suo Christo dedit, à quo dum Româ egredi aliorum Consilio motus paravit, didicit Romam potiùs reverti, ad crucem properare, in cruce mori; crucem enim bajulanti similis Servator Christus, spectabilis factus, continuò dedit animum ac vires maximas, ut Petrus inter crucis amplexus Deo penitus conjungeretur plurimorum Martyrum etiam Pontificum antesignanus Petrus.

## II. S. Linus.

**V**OLATERRIS in Etruria natus anno ætatis suæ vigesimo secundo Romam pervenit, ut litterarum studiis operam suam addiceret. Domus Quinti Fabii fuerat, quæ hospitem primò exceperat. In eadem ita fuit commoratus, ut virtutem litteris graviter conjungeret, novum indies profectum hauriens ex D. Petri verbis & factis, quibus Roma tum primùm bene sapere cœpit. Successus rerum adeò feliciter Lino evenerat, ut post haustam ab Apostolorum Principe doctrinam sacram, ab eodem in Sacerdotum fuerit adscriptus numerum, futurus brevè Vefontinus in Gallia Episcopus, ubi Onasium Tribunum Orthodoxo Dogmate erudiit, atque ex ejusdem facultatibus ædem sacram extruxit Dominicæ Resurrectionis Deiparæ & beati Protomartyris Stephani honoribus dedicatam. Cœpta hæc sacratissima usque adeò securdavit cœlum, ut modò idolorum simulacra solius vocis virtute suis sedibus præcipitaret; modò infernales genios ex malè possessis hominum corporibus pelleret; modò vitâ functis vitam restitueret. Gravis inde tempestas ab idolorum cultoribus excitata Lino Romam persuasit reditum. Romæ igitur Petri in laboribus Apostolicis socius, & ejusdem in officio Successor à Sacerdotibus reliquis electus, summam conscendit sedem, quam Clementem sibi moriturus Petrus in Successorem exoptavit. Superùm id singulari beneficio contigisse, testis est Epiphanius, ne nimirum exemplum primi Pontificis ad imitationem Ecclesiæ noxiam traheret Successores, sed sua Clericis libertas maneret in constituendo summo Præsule. Linus itaque Supremi Sacerdotis munere per annos undecim ita præclare est functus, ut in rebus omnibus præstò foret cunctis, consiliò & auxiliò potentissimus; hujus enim auxiliatricem manum præter alios plurimos experta est Saturnini Consulis Romani filia dæmonio liberata, & idolorum



**A** cultum ejurare edocta : eam ob causam ab ingratisimo juxta ac iniquissimo Judice Saturnino jussus est vir immortalis vitam ponere mortalem, quam abscidit gladius anno Domini 80. 23. 7bris.

### III. S. CLETUS Romanus.

**E** ROMANORUM numero primus Pontifex pene cum Tito Imperatore in solium fuerat evehus. Annis duobus duntaxat pace frui eidem datum est, totidem nimirum, quot imperavit hic Cæsar, quibus Ecclesiæ incrementum dedit maximum, erectis in urbe ædiculis sacris, in quas fidelium cætus introduxit servato eo ordine, quem Romani etiam hodie servare didicerunt, dum consuetas Stationes, uti vocant, celebrare instituant. Sublato Tito in arenam provocavit Cletum invictissimum pugilem Domitianus, initium faciens secundæ Christianorum persecutioni ; in qua post exantlatos labores plurimos securi percussus Sociis Martyribus in vita & morte præbuit exemplum ad imitationem efficacissimum Anno 93. Sedis 12. Mens. 7.

### IV. D. Clemens Romanus.

**E** UNDEM consecutus est honorem eò certius, quò fugit syncerius, doctus & Lino & Cleto obedire promptissime, quibus simul & Ecclesiæ universæ ut imperaret, ipse Judex Petrus æqui bonique consultuit. Quarto igitur loco creatus Pontifex, quòd Trajano Imperatori impia jubenti non obsecundasset, in Tauricam Chersonesum insulam missus haudquaquam desistit indigenas ibidem virtutibus ac miraculis ad Christum convertere. Quare ejusdem tyranni mandato anchorâ ad collum alligatâ projectus est in mare anno post centesimum à Partu Virginis secundo, postquam anno priori Joannes dilectissimus Christi Discipulus vitam finiit Apostolorum ultimus Ephesi mortuus. Quanti post fata sua apud Superos valeret Clemens, prodidère boni genii, qui in ipsis maris fluctibus sedem marmoream posuisse dicuntur perpetuis aquis testam, nisi cùm ejusdem festus dies occurrisset ; tum enim mare octo continuis diebus recedere consuevit, aperiens cunctis fidelibus ad ejus reliquias accessum liberrimum. Quod miraculi genus tanto tempore tenuit, donec corpus integerrimum Romam delatum est, ut coleretur in urbe magna cultu, quàm prius majori. Sedit A. 9. Mens. 6. 23. Novembris in mare præcipitatus An. Christi 102.

*Reflexio-*



( 5 )

## *Reflexiones Historicae supra seculum I.*

**L**ECTORES Benevoli ! Primum Seculum paucis absolvimus , dum quatuor summorum Pontificum gesta obiter tantum delibavimus habita brevissimi temporis ratione. Sufficiant tamen ista nobis de primo Pontificum Seculo, quod reliquorum Seculo: um erit basis ac fundamentum. Verumenimvero , exclamant adversarii nostri ; vah ! quam infirmum fundamentum praefigunt suis historiis Romanorum Pontificum adulescentes, Papistae ! certe mendacia pro oraculis vendunt ; his namque paucissimis foliis contradicunt libri plurimi, testes innumeri , tota praecipue Lutheri atque Calvini schola ; imò ante hos aliquot Seculis rei veritatem clarissime edocti Romanorum fraudes, vel certe falsitates detexerunt multi ; eos inter fuerunt circ. an. 1324. Joannes Jandunus Perusinus & Marsilius Patavinus , quorum doctrinam eodem Seculo amplexus est circ. 77. Joannes Wicleffus Theologiae Magister in Anglia Academiae Oxoniensis Professor, hujus vestigia pressit altero mox Seculo Joannes Hus Doctor Pragae in Bohemia notissimus , qui praeter alias veritates de Romano Pontifice hanc toti orbi patefecerunt, nimirum Primatum Ecclesiae Romanae supra reliquas primum à Constantino Magno initium sumpsisse, atque adeò nec Petrum, nec ullum alium Romae Episcopum per tria continua Secula quicquam juris aut potestatis in reliquos Episcopos exercuisse.

His Saeculo post Christum natum decimo quinto circa annum 1517. testis & veritatis assertor egregius, si Superis placet, accessit Martinus Lutherus Theologiae Doctor & Wittenbergae in Saxonia Professor, qui Jacobum Petro longè superiorem Episcopum fuisse scribit ; cum Jacobus Hierosolymae, Petrus verò tantum Romae fuerit Episcopus. Idem ex Platina Saeculo decimi quarti Historico Italo, cui ab ipso Sixto hujus nominis Quarto Pontifice Bibliotheca in Vaticano suprema cura est commissa, ostendit, summam in reliquos Episcopos potestatem à Phoca Imperatorum omnium pessimo concessam denique fuisse Bonifacio III, anno Domini 606.

Luthero consonat Calvinus quondam in Ecclesia Noviodunensi Capellanus, paulò post in pago Pontis Episcopi Parochus ac demum Doctor Genevensis. Hic circa annum 1534. docere coepit, Petrum nunquam fuisse Romae, vel saltem non fuisse Summum Pontificem ; cum suprema

Eccle-



Ecclesiæ Potestas sit penes seniores populi, à Brentio in hoc diversus, quòd eandem potestatem hic penes Principes seculares esse contendat. Centuriatores verò Magdeburgenses asserunt, ad unitatem in Fide conservandam sufficere multas easque diversas Ecclesias, quæ se invicem juvent per datas litteras, atque adeò non opus esse supremo Capite aut Judice. Idem Calvinus ait, Episcopos & Presbyteros jure Divino omnes pares esse. Utitur proin hoc etiam argumento: *Christus est Caput Ecclesiæ, igitur injuriam facit eidem, qui Petrum vel alium nominat Ecclesiæ Caput.*

Magdeburgenses iterum, ut Petrum ejusque propugnatores confundant penitus, recensent quindecim suò judiciò lapsus gravissimos, in quos peccator Petrus inciderit, & se tanta dignitate indignissimum reddiderit. Igitur contendunt alii D. Paulum Petro longè majorem in dignitate, aut sanè eidem æqualem fuisse. Plures alios Romanæ Sedis osiores omitto, unum adhuc alterúmve Lutheri asseclam in medium attulisse sufficiat. Eorum primus sit Velenus; is librum haud exiguum in lucem edidit, in quo octodecim persuasionibus, ut ipse vocat, demonstrasse se putat, Petrum nec semel quidem fuisse Romæ, proin tam Petrum, quàm Paulum, non Romæ, sed Hierosolymis martyrium subiisse. Ad finem verò sui libri hanc ferè posteris reliquit clausulam: *sine ullo dubio pro hoc opere immarcessibilis coronæ mercedem à Deo percepturus sum.*

Ob hæc aliâque speciosa dicta Joannes Hübner Scholarum Rector in Saxonia, ubi de primo Romano Pontifice Petro loquitur, hunc ferme in modum omnia ejusdem descripsisse se se putat gesta, vitam, mortem & martyrium.

*Hæc imprimis, si Pontificiis placere cupimus, credamus necesse est; quamvis hæcenus non demonstrarint, Petrum fuisse Romæ; multò minùs pateat, Petrum in annos 25. sedisse Romæ Episcopum; omnium verò minimè liqueat, quòd Petrus visibilem Christi Vicariatum inchoaverit.*

Atque ex his aliisque innumeris contra Romanum Pontificem dictariis potiùs, quàm dictis sequentes deducere solent positiones:

- I. Veræ Ecclesiæ Regimen est potiùs Aristocraticum, aut Democraticum, quàm Monarchicum.
- II. Præter Christum non est Supremum Caput in vera Dei Ecclesia.
- III. Petrus nunquam fuit Romæ.
- IV. Etsi Petrus fuisset Romæ, non fuit tamen Summus Pontifex aut Oecumenicus Episcopus,

V. Si



- V. Si fuisset Petrus Supremus Pontifex, tunc posset facile errare Romanus Pontifex in Fide & moribus; Petrus enim bis erravit in Fide & in moribus sæpiùs.
- VI. Aut Constantinus M. aut Phocas Imperatores primùm introduxerunt Primatum Romani Pontificis. Hæc aliâque his similia sunt A catholicorum oracula, quorum tamen falsitatem ut orbi universo manifestam faceret Ecclesiæ purpurâ insignis Doctor Bellarminus, has ferè opposuit veritates.

**In Libro primo de Romano Pontifice.**

- I. Regimen Monarchicum est omnium optimum.
- II. In vera Ecclesia debet aliquod esse Regimen.
- III. In vera Ecclesia non potest esse Regimen purè Aristocraticum, nec Democraticum, sed à potiori Monarchicum.
- IV. Rex absolutus & liber totius Ecclesiæ solus Christus est.
- V. Ad Principes seculares non potest pertinere Regimen Ecclesiasticum.
- VI. Ecclesiæ Regimen non potest esse penes Episcopos aut Presbyteros.
- VII. In coetu seniorum suprema Ecclesiæ Potestas non residet.
- VIII. In Ecclesia Dei oportet esse Vicarium Christi, penes quem sit suprema Potestas.
- IX. Petra illa, de qua Christus Matth. 16. est Petrus, seu ille ipse homo, qui dicebatur Simon.
- X. Per illa verba Matth. 16. *Tu es Petrus, & super hanc Petram &c.* Petro commissum est Regimen totius Ecclesiæ.
- XI. Per illa verba Matth. 16. *tibi dabo claves &c.* suprema ligandi atque solvendi potestas Petro à Christo est tradita.
- XII. Per illa verba: *pasce oves meas* Joan. 21. Christus solum Petrum allocutus est.
- XIII. Per verbum *Pasce* intelligitur summæ Ecclesiæ Potestas.
- XIV. *Per agnos meos, & oves meas* designata est universa Christi Ecclesia.
- XV. Petrus fuit major dignitate & potestate Jacobo Episcopo Hierosolymitano.
- XVI. Petrus fuit etiam major Paulo Apostolo.
- XVII. Petrus nunquam verè erravit in Fide, nec in moribus, ut Summus Pontifex.

In



In Libro secundo de Romano Pontifice.

XVIII. Petrus fuit Romæ.

XIX. Petrus Romæ mortuus est.

XX. Petrus usque ad mortem Supremus seu Oecumenicus Romæ Episcopus fuit.

XXI. Romanus Pontifex succedit Petro non solum in Sede Romana, sed etiam in Ecclesiastica Monarchia.

Atque has veritates, cum omnes secundâ solum & quartâ exceptâ Acatholicis plurimum displiceant, demonstrat C. Bellarminus multis S. Scripturæ textibus, continuis Pontificum literis, plurium Conciliorum Actibus, luculentissimis iisque copiosissimis SS. Patrum tam Græcorum quam Latinorum testimoniis, Theologorum sententiis, Philosophorum rationibus, Historicorum relationibus, rerum experienciis, consuetudinibus, prerogativis, convenientiis, objectorum solutionibus, contrariorum verborum pessimis coherentibus, adversariorum in dicendo & scribendo discordiis &c. quæ omnia si non malè occupato animo velit Lector legere, facile manus dabit veritati. Caterum cum hac in materia locum ferè principem sibi vindicare possint etiam adversariorum iudicio SS. Patres, ideo eorundem per aliquot Secula seriem apponere libuit, ut agnoscat Lector, quo tempore ac ordine vixerint, atque eorum plerique pro D. Petro ejusque Successoribus in universa Ecclesia testimonium dixerint.

Seculum à Nato Christo I.

Anno 71. D. Ignatius post SS. Petrum & Evodium Antiochiæ Episcopus fedit annis 40. Martyrium Romæ passus sub Trajano Imp.

D. Dionysius Areopagita S. Pauli Discipulus fuit Act. 17. sub Hadriano Imperatore vel Trajano, quod ambiguum est, gloriosus Martyr triumphavit.

Seculum II.

Anno 150. D. Justinus ex Philosopho Orthodoxæ fidei assertor ferventissimus vixit tempore Antonini Pij, Marci Aureli & Lucii Veri. In apologia sua ad Imperatorem, Senatam Populumque Romanum

num



manum datâ scribit, à Nativitate Christi ad sua tempora numerari annos 150.

D. Theophilus Episcopus Antiochenus ab Apostolo Petro Sextus. Egesippus scripsit Historiam Ecclesiasticam usque ad Aniceti Pontificatum teste D. Hieronymo & Eusebio.

D. Irenæus Episcopus Lugdunensis & Martyr.

Dionysius Corinthus, quem hoc Seculo scripsisse testatur Eusebius Lib. 2. Histor.

### Seculum III.

Tertullianus in Africa natus, primùm maritus, dein vero Presbyter, tandem in Montani hæresin lapsus est.

Clemens Alexandrinæ Ecclesiæ Presbyter, Origenes Magister, sub Severo Imperatore, ut ipse testatur, vixit.

D. Hippolitus Portuensis Episcopus & Martyr, Clementis Alexandrini discipulus.

Origenes Alexandriae in Ægypto natus, Leonidis Martyris filius, Clementis Alexandrini discipulus, deceptus Platonis Philosophiâ in multos errores tandem incidit: unde in quinta Synodo Generali anathema dictus. Numerus librorum ab eo scriptorum ad sex millia ascendit teste Epiphanio.

D. Gregorius Thaumaturgus Origenis auditor anno decimo Alexandri Severi Episcopus Neocæsareæ creatus septendecim tantum animas Orthodoxa Fide imbutas numeravit, moriens autem totidem infideles sua in urbe reliquit. AD. Joanne, quem summè veneratus est, veræ Fidei formulam accepit ab Ecclesia Latina & Græca comprobata.

D. Cyprianus eloquentissimus Carthagine Episcopus sub Valeriano & Gallieno Martyrium subiit, postquam Romanam Ecclesiam adversus Schismaticos constantissimè defendit.

D. Dionysius Alexandrinus Episcopus vixit cum S. Cypriano, pene cum eodem mortuus est.

D. Zeno Veronensis Episcopus sub Gallieno Imperatore Martyrium passus.

D. Victorinus Episcopus Piæstaviensis & Martyr sub Diocletiano in summa senectute An. Domini 303, factus est.



285. D. Methodius Tyri Episcopus & Martyr sub Diocletiano.  
 290. Lactantius Firmianus senectutem suam ad Constantini M. tempora perduxit.

## Seculum IV.

306. Constantinus Magnus imperare cœpit circ. annum 306, regnavit annis 31, scripsit multas Orationes Latinas. Mortuus est anno 337. cùm vixisset annis 76.  
 326. Eusebius Episcopus Cæsariensis auctor Chronici, valde se suspectum reddidit de hæresi Ariana; unde ejus auctoritatem septima Synodus rejecit.  
 330. D. Antonius Eremicola Scriptor Ægyptiacus.  
 340. D. Pachomius ex milite ethnico Monachus probatissimus, scripsit præter alia regulam Monachorum dictante Angelo.  
 D. Macarius Senior, S. Antonii Discipulus.  
 D. Athanasius Episcopus Alexandrinus, cujus Symbolum probavit Ecclesia universa.  
 350. D. Hilarius Pictavorum Episcopus, jam Vir provectæ ætatis ad Christum conversus, Doctor insignis & totius Ecclesiæ Columna dici meritus est.  
 365. D. Optatus Milevitanus Episcopus egregios septem libros adversus Donatistas edidit.  
 D. Cyrillus Hierosolymitanus Episcopus sæpe de sede sua dejectus fuit, & eidem rursus restitutus.  
 D. Ephrem Diaconus Edessenus scripsit plurima opera, quæ teste S. Hieronymo in Ecclesiis post lectionem scripturarum publicè legi solebant.  
 370. D. Basilius M. Archi-Episcopus Cæsareensis in Cappadocia.  
 D. Gregorius Nazianzenus Episcopus, D. Basilii in studiis & laboribus socius.  
 D. Epiphanius Salaminæ Cypri Episcopus, in extrema etiam senectute scripsit libros, teste D. Hieronymo.  
 D. Ambrosius Episcopus Mediolanensis.  
 380. D. Gregorius Episcopus Nyssenus D. Basilii frater, interfuit Concilio primo Constantinopolitano, & scripsit Symbolum Fidei in ea Synodo editum. Amphic



Amphilochius Iconii Episcopus, DD. Basilio & Gregorio Nazianzeno doctrinâ & eruditione par, teste D. Hieronymo.

D. Hieronymus Presbyter & Doctor Ecclesiæ, mortuus est anno Domini 422. ætatis suæ 91. uti testatur D. Prosper in Chronico. 390.

D. Joannes Chrysostomus Ecclesiæ Doctor, Presbyter Antiochenus, & tandem Episcopus Constantinopolitanus anno Episcopatus sui nono, Christi 407. mortuus est ætat, 52. 400.

Seculum V.

D. Augustinus Episcopus Hipponensis Ecclesiæ Doctor, mortuus est, uti refert Possidius in vita ejusdem anno ætatis 76. Christi 433. 420.

D. Maximus Taurinensis Episcopus, in Festa per annum præcipua & in multorum Divorum laudes scripsit Homilias.

D. Paulinus Nolanus Episcopus notus fuit famâ sanctitatis DD. Ambrosio, Martino, Hieronymo, Augustino &c.

Paulus Orosius Presbyter Hispanus D. Augustini discipulus. D. Cyrillus Episcopus Alexandrinus, Mysterium Incarnationis Dominicæ divinitus edoctus; præfuit Concilio Ephesino I. nomine S. Coelestini Papæ. 430.

Theodoretus Cyri Episcopus in Syria, primùm S. Cyrilli adversarius, sed tandem ejusdem contra Nestorium amicus.

Proclus Episcopus Constantinopolitanus à D. Cyrillo valde commendatus.

D. Eucherius Lugdunensis Episcopus.

Joannes Cassianus D. Joannis Chrysostomi olim Diaconus, profectus in Galliam Massiliæ Presbyter ordinatus est. 440.

Socrates & Sozomenus Historiam Ecclesiasticam scripserunt ab eo tempore, quo finivit suam Historiam Eusebius Cæsareensis usque ad tempora Theodosii junioris Imperatoris: Novatianis tamen etiam erroribus favisse notantur.

D. Petrus Chrysologus Ravennæ Episcopus hortatus est Euthychetem ad obedientiam Summo Pontifici præstandam, nempe D. Leoni M.

D. Leo M. Pontifex, quem vide Sæculo quinto inter Pontifices.



- D. Nilus Monachus Constantinopolitanus D. Joannis Chryso-  
stomi discipulus.
- .003 D. Simeon Stylita senior longissimo tempore stetit supra colu-  
mnam.
- .004 D. Prosper Aquitanus S. Leonis quondam Notarius, dein verò  
Episcopus Regiensis in Provincia Gallia.
460. Idatius Lemicensis in Hispania Episcopus Auctor Chronici,  
quod initium suum habet ab Imperio Theodosii I. usque ad  
annum 470
490. S. Victor Uicensis Episcopus Vandalicæ persecutionis Scriptor.
495. Vigilus contra Nestorium & Eutychetem quinque libros val-  
de eruditos pro defensione Epistolæ S. Leonis & Concilii  
Chalcedonensis scripsit. Plurimos testes alios omittamus  
in Bellarmino de Scriptoribus Ecclesiasticis, & aliis in libris  
facile inveniendos.

Cæterum horum pene omnium Scriptorum impressa typis  
testimonia in diversis libri I. & II. capitibus invenire est apud C.  
Bellarminum de Romano Pontifice, quamvis non hoc ordine  
Seculorum collocata. Ubi profectò legenti apparebit, quàm  
infirmis nitantur opinionibus D. Petri, aut potius Romanæ Sedis  
in D. Petro osos. C. Bellarminum secuti sunt permulti alii,  
inter quos Christophorus Ott, & novissimè P. Vitus Pichler, uter-  
que S. J. in superiore hac Germania Sacerdos, qui paucis osten-  
dunt veritatem hanc, quam C. Bellarminus tam copiosè expla-  
navit. Hos igitur tandem refutent Pontificum Romanorum ini-  
mici, veluti C. Bellarminus Calvinum, Lutherum, Velenum, Illy-  
ricum, Nilum, Magdeburgenses &c. confutavit; huic uni tan-  
dem respondeant, velut ipse respondit universis, aut fateantur  
verbò, quod opere inficiari nequeunt, à se nimirum fabulis, aut  
potius perniciosissimis mendaciis decipi juventutem, cui cum la-  
cte Historiæ amorem instillare consueverunt, noxium sanè toxi-  
cum, si veritate perpetua non condatur. Delebo interea ego  
præter alia in libris Joannis Hübneri fol. 7. de Roman. Pont.  
verba hæc: *Papiste docent, quod Petrus Apostolus anno post Chri-  
stum natum 43. Romam pervenerit, & sedem Romæ Pontificiam*  
fun-



fundarit: Petro autem successisse ajunt annos 1657. nunquam interrupta serie notum omnibus Pontificum numerum. Verum enim vero incumbet Papis probandi onus centipondio gravius eoque, donec hæc omnia demonstrarint &c. delebo, inquam, hæc verba plùs quàm satis refutata, & à me refutanda:

Ne enim Lector multùm volvere cogatur C. Bellarminum, vel Authores alios, qui prolixis argumentis tres prædictas de D. Petro veritates dilucidarunt; hinc easdem ego brevi discursu conabor hic uberiùs oculis subjicere.

Affero itaque primò:

D. Petrus fuit Romæ.

In quæstionibus facti, qualis procul dubio hæc est, principem sibi locum vendicârunt perpetuò authores quavis exceptione majores; tales igitur Lectori nunc præsentés sisto.

D. Petrum fuisse Romæ docet Papias Apostolorum discipulus teste Eusebio lib. 2. Hist. cap. 15. D. Hieronymus lib. de Viris Illustr. Tertullian. lib. 3. contra Marcionem, & lib. contra Judæos, ubi ostendit, Babylonis nomine in Apocalypsi D. Joannis intelligi Romam ethnicorum adhuc confusione inundantem.

D. Irenæus lib. 3. cap. 3. Euseb lib. 2. cap. 14. Arnobius lib. 2. contra gentes. D. Epiphanius hæresi 27. D. Chrysostr. in Psalm. 48. Orosius lib. 7. Hist. cap. 6. D. Leo serm. 1. de natali Apostolorum. Theodoretus in cap. 1. ad Rom. D. Gregor. Turon. lib. 1. Hist. cap. 25 &c.

Omitto hic authores plures alios, quorum multitudine & gravitate convictus Calvinus lib. 4. instit. cap. 6. palinodiam cecinit, & propositionem hanc suam in cap. Hierem. prolatam: *Roma nunquam vidit Petrum, ut arbitror, revocavit his verbis: propter Scriptorum consensum non impugno, quòd Romæ mortuus sit Petrus (atque adeò fuerit Romæ) sed Episcopum fuisse, præsertim longo tempore, persuaderi nequeo.*

Omitto hic etiam Historicos plurimos, quorum authoritati & consensui cum aliud respondere non valeret Lutherus, his dictis in Symposiacis suis cap. de Anti-Christo se nodum solvisse Gordium



existimavit: omnes quidem Historiae fatentur, Petrum primum Romae Episcopum fuisse, sed meræ sunt fabulae. Veritatem itaque hanc tanta jam auctoritate fulcitam ut Hübnerus cum sociis capiat amplius, veritatem ferè similem negabo ipsi hisce vocibus: *Lutherus nunquam fuit Wittenbergæ.* Occurret enimvero mihi continuo Hübnerus, simulque inter risus & cachinnos opponet testimonia Scriptorum firmissima, quibus contradicere non nisi fatuus audebit. Verùm respondeo ego; si Scriptorum testimoniis *Lutherum Wittenbergæ fuisse* asserentibus oportet tam firmam adhibere fidem, cur *Romæ D. Petrum fuisse* dubitatur, cum longè major pugnet auctoritas pro Roma & D. Petro, quàm pro Wittenbergæ & Lutero? Accedit, quòd D. Petri Romæ præsentiam per quindecim Sæcula ferè nemo negaverit, Lutheri verò Wittenbergæ præsentiam per duo solùm Sæcula Authores affirmarint tempore haud viciniore Lutherò, quàm ex antiquissimis nonnulli Scriptores fuerunt D. Petro.

Assero nunc secundò :

Divus Petrus Romæ fuit per multos annos.

Veritatem hanc docet D. Irenæus lib. 3. cap. 3. Tertullian. de præscript. D. Cyprian. lib. 1. epist. 3. ad Cornel. Euseb. in Chron. D. Epiphani. hæresi 27. D. Athanas. in epist. ad solitar. vitam. D. Doroth. in Synopsi. Sozomen. lib. 4. cap. 14. D. Optat. lib. 2. contra Parmenianum. D. Ambros. lib. 3. de Sacram. D. Hier. de Vir. Illustr. D. August. lib. 2. cap. 21. contra literas Petilian. D. Prudent. in Hom. de S. Laurent. D. Prosper lib. de ingratis. D. Isidor. in vita Petri &c.

Etsi horum plerique annos 25, clarè omnino non exprimant, eosdem tamen annos expressit D. Hieronymus, Isidorus & Eusebius; reliqui verò eam adhibuere scribendi methodum, ut ex eadem colligere liceat annos permultos, quibus Romæ Supremum fuisse Episcopum perhibent.

Agedum Hübnerè, si legeres in Hieronymo vel Eusebio &c. hæc verba: *Petrus Romæ non sedit annis 25.* an non tota Lutheranorum cohors sibi gratularetur plurimum, & Pontificios diversam opinionem propugnantes rideret? rideamus igitur & nos Pontificii vestram fidem, quâ negatis, D. Petrum in annos multos Romæ fuisse Epi-



Episcopum. Audiamus hac super re Calvinum & non Lutetium. Dicit hic nempe *omnes quidem Historia fatentur, Petrum fuisse primum Romæ Episcopum in annos multos, sed meræ sunt fabulae.* At si Hieronymi, Isidori, Eusebii &c. Historiæ sunt meræ fabulæ, qua quæso veritate nititur tua & tuorum, Luthere, Historia? Edic quoque, Calvine, si *propter consensum Scriptorum non impugnas, quòd Romæ sit mortuus Petrus, cur persuaderi nequis, Romæ Petrum fuisse Episcopum, & quidem longo tempore?* non minùs enim hoc, quàm illud anthorum multitudo maxima summo consensu testatur. An fortè sit minor autoritas testium tantorum de *annis Petri*, quàm de morte Petri testimonia perhibentium?

Pergam hìc instare magis Hübnero & Sociis: novit orbis Christianus universus, D. Petrum post Christi Domini Passionem in annos permultos vitam protraxisse. Lubeat itaque nunc respondere,

- I. Quibus in terris vitam protraxerit.
- II. Quibuscum sociis egerit.
- III. Quibuscum adversariis certarit.
- IV. An etiam miraculis conspicuus fuerit.
- V. Quo anno fatis concesserit.
- VI. Quo mortis genere extinctus fuerit.
- VII. Ubi sepulchrum invenerit.
- VIII. Quos Successores proximos habuerit.

Ad has aliàsve interrogationes respondere oportet eos, qui D. Petrum multis post Christum mortuum annis vixisse affirmarunt, Romæ nihilominus extitisse negarunt. Respondit equidem Udalricus Velenus Lutheranus quondam Scriptor: *D. Petrus Hierosolymis Martyrium sustinuit.* At non perspexit Vir incautus, se in Scyllam incidisse, dum voluit vitare Charybdim: ex hoc unico quippe responso oriuntur quæstiones aliæ non pauca: esto enim, quòd Martyrium Hierosolymis subierit D. Petrus, & tum interrogare liceat,

- I. Quo anno Martyrium subiit?
- II. An solus, an cum Sociis Martyribus?
- III. An subiit jubente Tyranno Herode vel alio?
- IV. An in crucem actus, an gladiò percussus fuit?

V. An



V. An Martyris ossa Hierosolymis sepulchro illata sunt?

VI. An fortè Romam translata?

VII. Si Romam translata sunt, quo tempore, quo auctore, quo duce & custode mare superârunt &c.?

En! quantus Veleno nodus superfit solvendus, cui profectò haud sufficiet Alexandri M. gladius. Autoritate nimirum hic opus est & ratione, non vi & ferro. Fac verò, ita interrogas Hübnerem, Autores Pontificios; hi sanè promptissimè hunc ferè in modum respondebunt:

I. D. Petrus à Passione Domini annis 5, Hierosolymis habitare perrexit. Annis dein ferè 7, Antiochiæ insumpsit. Demum annis ferè 25, Romæ Pontificatum auspicatus fuit. Ita testatur consensus plurium Patrum & plurimorum Historicorum.

II. D. Petri Romæ focii per aliquod tempus fuerunt D. Paulus, D. Marcus &c. Ejusdem discipuli præter superius enumeratos extiterunt DD. Linus, Cletus, Clemens, Pudens Senator Romanus, nec non Procellus & Martinianus in captivitate Mamertina à Petro conversi, Ita rursus habet authoritas Veterum Historicorum maxima.

III. Romæ certavit præcipuè cum Simone Mago. Ita ex D. Isidoro & multis aliis intelleximus.

IV. Christum Divinum Magistrum suum crucis pondere onustum sibi Romæ obvium habuit. Ita scripsit DD. Ambros. Gregor. M. Egesippus. Vide Jodocum Coccium.

V. Anno Christi 69, Martyrium subiit. Ita habet ferè omnium Chronologia.

VI. Socius Martyr fuit D. Paulus, qui mandante Nerone anno sui Imperii ultimo aut penultimo gladiò fuit percussus, D. Petro in crucem acto. Ita habet Euseb. lib. 2. Histor. cum quo convenit omnium veterum Scriptorum calamus.

VII. Romæ uterque Martyr tumulum invenit, ad quem concurrere in hunc usque diem solet ex orbe universo Populus Christianus.

VIII. Successores sibi proximos habuit Linum, Cletum, Clementem. Ita ipsimet scribunt auctores Aetholici plurimi, quibus facilius erit omnem Romanorum Imperatorum successionem vel potestatem negare, quam Romanorum Pontificum successionem,



potestatem aut dignitatem in dubium vocare : Imperatorum enim aut successio aut potestas iis non fulcitur argumentis, quibus suffultam esse Pontificum successionem, potestatem & dignitatem ostendit C. Bellarminus, & multi alii authores Pontificii nunquam refutati, nunquam refutandi,

Assero nunc tertio :

D. Petrus Romæ fuit Episcopus, seu visibilem Christi Vicariatum inchoavit.

Robur hac in parte robustissimum dabit authoritas Patrum & Historicorum veterum : igitur tam horum, quam illorum utar hic solum testimoniis :

I. Eusebius in Chronico anni XLIV. hæc habet : *Petrus natione Galileus Christianorum Pontifex Primus, cum primum Antiochenam Ecclesiam fundasset, Romam proficiscitur, ubi Evangelium prædicans XXV. annis ejusdem urbis Episcopus perseverat.*

II. D. Epiphani. hæresi 27. sic ait : *Episcoporum in Roma successio hanc consequentiam habuit : Petrus & Paulus, Linus, Cletus, Clemens, Evaristus, Alexander &c.*

III. Tertullian. lib. de præscript. ita disserit : *evolvant ordinem Episcoporum suorum ita per successiones decurrentem, ut primus ille Episcopus aliquis ex Apostolis vel Viris Apostolicis fuerit.*

IV. D. Cyprianus lib. 1. epist. 3. ad Cornelium hæc scribit : *Navigare audent ad Petri Cathedram, atque ad Ecclesiam principalem, unde unitas Sacerdotalis orta est &c.* Et lib. 4. epist. 2. ad Antonianum : *Factus est Cornelius Episcopus, cum Fabiani locus, id est, cum locus Petri & gradus Cathedra Sacerdotalis vacaret.*

V. D. Dorotheus in Synopsi inquit : *Linus post Corypheum Petrum Romæ Episcopus fuit.*

VI. Sozomenus lib. 4. cap. 14. hæc refert : *Non sine Divina providentia factum est, ut mortuo Felice solus Liberius Romanæ Ecclesiæ præset, ne Petri Sedes ullâ infamie maculâ aspergeretur.*

VII. D. Optatus lib. 2. contra Parmenianum ait : *Igitur negare non audeo, scire te in urbe Petro primum Cathedram esse collatam,*

R. P. Kolb Series Pont. Pars I.

C

VIII. D.



VIII. D. Augustinus lib. 2. cap. 51. contra literas Petiliani sic urget: *Cathedra tibi quid fecit Ecclesie Romanae, in qua Petrus sedet, & in qua nunc Anastasius sedet?*

Denique addo verba ex S. Codice, nimirum ex Evangelio Matth. c. 16. & Joan. 21. petita: *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc Petram aedificabo Ecclesiam meam &c. Et tibi dabo claves regni caelorum, & quodcumque ligaveris super terram &c. Pasce agnos meos, & pasce oves meas &c.* Quas voces Evangelicas profecto & prima & media Ecclesia de D. Petro tanquam *Romanae Ecclesiae Supremo post Christum Capite* constanter intellexit. Quisquis verò Adversarium se mihi hic statuit vel Hübnerus, vel Hübneri, amicus, is doceat, obsecro, Oracula haec Evangelica in diverso à *doctrina Romana* sensu primis à nato Christo seculis fuisse vel à Patribus, vel S. Codicis interpretibus, vel quibusvis denique magni nominis authoribus aut credita, aut fideli populo proposita. Hoc si me Doctor adversarius rite docuerit, magnus is mihi erit Apollo. Si verò aqua hæreat ipsi, & eidem de sensu ac interpretatione prima simulque antiquissima, quæ eadem est cum nostra, testimonium dicant primis seculis Patres ac Doctores proximi, Hieronymus, Epiphanius, Augustinus, Cyprianus, Optatus & alii plurimi, obtestor te, Lector amicissime, quid habet, quod viro dignum reponat pugil heterodoxus?

Plurima alia testimonia huc maximè servientia Lectori exhibet C. Bellarmin, lib. 2. de Rom. Pont. c. 4. Igitur veritati omnino consonum est, D. Petrum fuisse Romæ, fuisse Romæ permultos annos, fuisse Romæ Principem Episcopum, atque adeò visibilem Christi Vicariatum inchoasse.

Alter hoc Seculo Pontifex fuit Linus, quem Magdeburgenses deridiculo exponendum censuerunt, quòd præceperit, ne foeminae rebus Divinis interessent, nisi capite decenter cooperto. Non meminerunt nempe dictorum S. Pauli 1. Cor. 11. ubi idem præcepit. Vel igitur etiam Paulus erravit, vel Magdeburgenses sua crisi suam insaniam prodiderunt. Primum fortassis concedent ipsi; alterum verò dum verbò negant, ipso fatentur opere fati.



*Seculum Secundum.*

**V. D. Anacletus Græcus.**

**C**UM sacra sedes aliquo tempore vacua permanisset, quintum inter Pontifices locum obtinuit Anacletus diversus à Cleto Pontifex; hic Romanus, ille Græcus fuit, qui mores Græcos haudquaquam docuit in vita & morte Pontifex sanctissimus. Hujus præclarum opus sunt Tituli Romæ sive Ecclesiæ, Presbyteris aut Diaconis assignatæ; Regionarii iidem dicti sunt à Fabiano Pontifice circa annum Christi 238, quod eorum singulis duæ regiones attributæ fuissent, ut subvenirent pauperum inopiæ; iidem à Sylvestro Cardinalium nomine fuerunt insigniti, quod supremo post Pontificem in Ecclesia munere fungerentur, exemplo desumpto à civilibus Magistratibus, quos Alciato teste Romani Cardinales dixerunt. His præclare gestis accessere alia: præcepit enim, ut Episcopus tribus ab Episcopis formaretur; Sacerdotes verò ordinarentur in loco publico; & demum ut fideles omnes post elevatam in Officio Divino S. Hostiam sacrò Viaticò præmunirentur ad Martyrium animò fortissimo subeundum, quod ipse multorum Dux præstitit anno salutis 112, sedis. 9. Mens. 3.

**VI. D. Evaristus Græcus.**

**A**JUDÆO patre Bethlehemitico genitus, morum probitate & vitæ exemplò monstravit, cunctis ad summa quævis patere aditum, si virtus & Religio viam sternant; in Pontificem enim ab universo populo electus Christo totum se dedit ejusdem in Ecclesia Supremus Pastor. Eadem acta, quæ de Anacleto paulò ante retulimus, nonnulli adscripserunt Evaristo, nimirum quòd inter septem Diaconos quandam Ecclesiæ partitionem instituerit. Verùm fide dignius est, Anacleti ordinem ab Evaristo ratum fuisse habitum, & factis similibus confirmatum; præcepit enim, ut Altaria, in quibus Sacra fierent, ex lapidibus erecta Deo dedicarentur, ritu ab Ecclesia jam tum adhiberi solito. Instituit adhæc, ut septem Diaconi Romano Præfuli ad concionem dicenti mutatis vicibus assisterent futuri testes, si res postulare, adversus quosvis obtrẽtatores. Fidelium quoque connubia clanculum iniri se-



verè prohibuit, quibus proin publicam benedictionem jam ipse adhibuit, & imposterum adhibendam præscripsit consulturus perinde bono prolis & parentum. Egit hæc & alia Evaristus, ut pateretur plurima; Sub Hadriano namque Imperatore communem eamque numero quartam persecutionem magno sustinuit animo multorum Christi athletarum & Dux & Socius anno Domini 121, die 26. Octobris, Sedis 9, 3, Mens.

## VII. D. Alexander I. Romanus.

**S**UB Plinii junioris & Plutarchi disciplina primùm litteras didicit, à Christianis verò Doctõribus ad Fidei & virtutum methodum ritè tenendam instructus tantùm profecit, ut penè juvenis communis omnium pater eligeretur, dum creatus Põntifex Aquæ Lustralis usum magis vigere fecit, præsertim adversus lemures; panem etiam, aptam Consecrationi materiam fermentõ tingi prohibuit; aquam verò misceri vinõ præcepit, ut ad Aram facientes ante alios essent memores Sanguinis simul & Aquæ, quam Servatoris nostri ex Cruce pendentis latus largè reddiderat; hujus certè præcepti memor ipse fuit, Dominicæ Passionis cultor eximius; unde evenit, ut non nisi fortia egerit, tuleritque sub Aurelio Antonino Imperatore, à quo securi percussus cecidit anno Sedis 20, Christi 132. 3. Maii. Exemplum Alexandri secuti sunt strenuè inter multos Hermes urbis Præfectus, & Quirinus Tribunus cum filia sua Balbinia, quam contactu catenarum sanavit, simulque his aliisque permultis Fidei vitam inspiravit.

## VIII. D. Sixtus Romanus.

**P**RÆ cæteris gentibus, si Italos excipiamus, Sixtus sibi obstrictos habet Græcos, quibus unà cum quatuor viris Apostolico muneri peridoneis misit D. Peregrinum insignem postea Antisiodori Martyrem. Antoninus tunc Imperio præerat, à quo gravissimè vetitum fuisse scribunt, ne vel Christicolæ vel etiam Idolorum cultores pergerent Sibylarum lustrare carmina, quorum lectione multos ad meliora converti cognoverat. Verùm his aliisque mandatis parùm terrebantur accensi zelõ Religionis viri, quorum Auctõr Sixtus sanguinem suum fudit novorum Martyrum semen anno Salutis 142. Sedis 10,

IX. D. The-



## IX. D. Thelephorus Græcus.

**A**NACHORETA dictus verum jejunium jam usu longiore receptum Decretò confirmavit, doctus nimirum in eremo sua, cui à puero jam assueverat, quanti in Ecclesia valeat temperantiæ & sobrietatis virtus. Verba Decreti hæc fuisse tradunt: *Statuimus, ut septem hebdomades plenas ante sanctum Pascha omnes Clerici in sortem Domini vocati à carne jejunent.* In nocte nati Servatoris Sacrum dici à Sacerdotibus ita voluit, ut aliud geminum subsequeretur. Hymnum etiam Angelicum, cui initium est, *Gloria in Excelsis &c.* tum in officiis festis alta voce cantari, tum in Sacris dicendis à Presbyteris recitari præcepit. Statuit insuper, Sacerdotes à Secularium jurisdictione immunes esse debere. His plurimisque aliis suis meritis id impetravit, ut inter Martyres eminuerit, dum caput amisit ferrò abscissum anno 154, Sedis 12.

## X. D. Hyginus Atheniensis Græcus.

**A**PHILOSOPHICO studio, cui operam Athenis navaverat, Philosophus vocatus, à Clericis demum Pontifex creatus antiquam Hierarchiæ Ecclesiasticæ methodum, continuis tyrannorum in Clericos maximè sævientium mandatis turbatam restituere laboravit, ministros sacros eleganti ordine componens, atque suos in gradus distinguens. Haud minorem curam sacris impendit ædibus, in quarum consecratione Sacrum fieri voluit. Plurimos tunc numerare fuit, qui susceptò Baptismatis lavacro in numerum fidelium venire, & sacras ingredi ædes desideraverant; igitur ne fraudibus pateret aditus, & fideles ab infidelibus dignoscerentur, præcepit, ut recens natis infantibus, vel aliis quibusvis, qui à labe Originali mundari optaverant, unus minimum patrinus assisteret, futurus testis & curator renatæ in Christo animæ. Ab Hygino persuasus, teste Giaconio, Justinus Orator insignis & Philosophus, ac demum Martyr celeberrimus unam alteramve orationem ad Senatum & Antoninum Augustum habuit ea felicitate, ut deinceps à Christianorum cædibus si non omnino abstinuerint, saltem sibi temperarint. In Martyrum tamen numerum venit ipse Hyginus, solatiò plenus, Justinus operâ aliis vitam conservari, sibi adimi, an. Domini 158. Sed. 4.



## XI. D. Pius.

**A**QUILEJÆ in Provincia Veneta natus annò Pontificatus sui secundo Decretum edidit de celebrando Paschate die Dominica, ne, ut ait Volaterranus, *ob altercationum studia traditio in Ecclesia ab Apollonis accepta convelleretur.* Litem ea de re gravissimam moverunt Hebræi, Messiaë quidem adventum ritè credere docti, sabbathum nihilominus diei Dominicæ pertinaciùs, quàm constantiùs præferentes. Tantùm antiquis ritibus suis tribuebat gens plùs scrupulosà in minimis, quàm rebus maximis. Sancivit præterea, ne prædia, ullave bona Ecclesiæ quovis modo transcripta civili commercio subjicerentur, nisi Pontificum aut Episcoporum consensus conventioni vim aut valorem fecissent. Cætus Virginum etiam huic Præsuli in curis non erant postremis; ut enim earum ex domibus liberior pateret regressus, ante vigesimum quintum ætatis annum ullam penitus recipi prohibuit. Cæterùm ea ætate imperârunt Antoninus Pius & Marcus Aurelius, quorum hic Præsilibus suis per varias provincias dispositis nimiam licentiam concedens, valde auxit miseras Martyrum, inter quos numeratus est etiam Pius hoc nomine dignior longè, quàm Pius Imperator. Annus erat Christi 167. Sedis 9. M, 6.

## XII. D. Anicetus Syrus.

**C**REATUS Pontifex Clericorum crines eum in modum refecari præcepit: ut capilli in capite reliqui coronæ formam acciperent. Idem denuo sancivit, ut consecrando Episcopo trini adstarent consecrati Episcopi. Archiepiscopum ad hæc haud ab alio, quàm Primate suo aut summo Præsule in jus vocari severè vetuit. Hæc pro subditis & amicis egit Anicetus, plurima passus ab inimicis, quos præter idololatrias habuit copiosos hæreticos. Eorum antesignani fuerunt Valentinus, Marcion, Montanus aliique, quorum ultimus in Phrygia natus pene omnium hominum fuit stultissimus, quoniam erat superbissimus: post suscepti enim Baptismatis Mysteria non verebatur dicere, *alium Sanctum Spiritum præter se nec in cælis, nec in terris inveniri.* Verùm eo, quem non invenit Montanus, Spiritu plenus Anicetus in vita & morte innumera mala superavit, licèt gladio succubuerit sub Marco Cæsare anno 175, Pontificatûs 8. & ultra.

## XIII. D.



## XIII. D. Soter.

**F**UNDIS in Campania Italiae natus post Anicetum Romanam rexit Ecclesiam Martyr secutus Martyrem ; Romæ enim furente Marco Aurelio, aut veriùs ejusdem Provincialibus , Martyrii Laureolam adeptus, plurimos numeravit socios in Italia præsertim & Gallia ; eminuit inter heroas etiam invictissima mater D. Felicitas cum septem filiis , qui præsentibus dederunt, & datum posteris reliquerunt exemplum æternâ memoriâ & æquali coronâ dignissimum. In via Appia sepultus est Soter anno 179. postquam annis quatuor Orthodoxo populo præfuit , intra quod temporis spatium Presbyteris antiquam legem denuo promulgari præcepit, qua cautum voluit, ne quispiam nisi jejunos Eucharistiam conficeret aut sumeret. Montani hæretici tunc ita res sacras miscebant profanis, ut Sacerdotum munere passim fungerentur foeminae. Similem abusum, ut procul arceret ab Ecclesia Soter, prohibuit severè, ne etiam Deo sacratae Virgines vasa sacra manu contingerent, neque thuris ministerium ulla ratione ipsæ exercerent, tanto non satis dignæ, nec idoneæ officio.

## XIV. D. Eleutherus Græcus.

**A**NICETI quondam Pontificis Diaconus, post D. verò Soterem ipse Pontifex pene ad initium Pontificatus sui DD. Damianum & Fugatium in Angliam misit , ut Lucium Regem unâ cum regis liberis , aulae ministris & subditis aliis permultis sacrâ Baptismatis undâ purgarent. Numerabantur eo tempore in Anglia sacrificuli majores viginti octo, inter quos suprema cum potestate eminebant tres Archiflamine, quibus omnibus ab officio denique remotis totidem numero Episcopos cum tribus Archi-Episcopis jam tum temporis numerare cœperunt Angli, præ reliquis populis hac in parte felicissimi, quoniam ferè ante omnes alios Orthodoxæ Ecclesiæ sacra publicè sunt professi , Rege exemplo suo facilè subditos trahente. Simile incrementum sumpsit Ecclesia in Italia ; cùm enim Tyrannorum furores tantisper sedati quiescerent, Romæ potissimum plurimi generis splendore insignes viri , unâ  
cum



cum familiis suis & famulitiis Baptismi charactere sunt insigniti ; inter eos Apollonius fuit, qui cum orationem in foro publico de Christiana re & nomine habuisset, eam ob rem martyrio affectus Fidem propagare cepit sanguine, linguis & vocibus potentiore. Quo autem mortis genere extinctus sit Eleutherius, haud satis liquet ; Martyrem vocant antiqua Martyrologia, mortuum fuisse scimus anno 194. 26. Maii Sedis 15.

## XV. D. Victor Africanus.

**P**ONTIFEX admodum doctus, vigil, magnanimus & imperterritus constantissimè restitit iis, qui festo Paschatis, die Dominica celebrando pertinaciter sese opponebant, ut diem Sabbathi Hebræorum more sacrum ac factum servarent. In eos igitur anathematis sententiam pronuntiavit, ut Supremæ Sedis auctoritatem illæsam atque invictam custodiret, simulque eos propugnaret fortiter, qui hac in parte pro Ecclesiæ sententia stare constanter decreverant. Laudem hanc eximiam tribuerunt suam ob constantiam Victori varia Concilia, inter quæ Nicænum I. unanimi calculo decrevit, ut juxta mentem Victoris & Pij I. Summorum Pontificum Festum Paschæ post quartam decimam lunam celebraretur, & discrimen foret Christianos inter & Judæos. Petram se etiam inexpugnabilem probavit adversus Theodotum Byzantinum hæresiarcham, qui Christo omnem Divinitatem denegabat : unde & ipse suam ob pertinaciam ex Ecclesiæ gremio ejectus interit, Victor verò furente Imperatore Severo, aut veriùs ejusdem socero Plautiano Martyr extinctus est nunquam magis Victor, quàm ita victus anno 203. Pontificatus 9. Mens, 2.

### *Reflexiones Historiæ supra II. Seculum*

**E**TSI cum Calvino Centuriatores Magdeburgici, uti videre est apud C. Bellarminum I. 2. c. 14. singulos ac universos Pontifices, qui per prima tria Secula Romæ federunt, *veros & sanctos Pontifices* fuisse confiteantur ; inter eos tamen ( nota verborum ac doctrinæ



Grinae cohaerentiam) qui hoc secundo Seculo praefuerunt Romanae Ecclesiae, tres erroris gravissimi coarguuntur à Magdeburgicis : eorum primus fuit Anacletus, qui in eo errasse plurimum dicitur, quòd *memoriam D. Petri construxerit & ornaverit*, seu quòd monumentum quoddam ossibus D. Petri constituerit. Censurâ hâc, uti intelligimus, cultum Reliquiarum tacitè saltem reprehendunt. Verùm tantùm abest, ut ob Reliquiarum aut sanctè mortuorum corporum venerationem reprehendi possit, ut potius summis ob hoc encomiis extolli meritis sit Anacletus : perlustrare enim si lubeat aliquot Secula, tum ea, quæ natum mundi Servatorem antecesserunt, tum quæ eundem proximè subsecuta fuerunt, quamprimùm occurrunt exempla & Patrum testimonia plurima, quæ sacrorum Ossium venerationem non solum ab omni superstitione absolvent, verùm omniratione eandem nobis commendabunt. Audite amabo duodecim testes omni exceptione majores.

- I. Est D. Epiphanius, qui in gestis DD. Isaia, Ezechielis & Hieremiae scribit, à plurimis coli solita fuisse sepulchra eorundem Prophetarum, ob beneficia, quæ iis in locis propter merita eorundem Deus conferebat.
- II. D. Basilius affirmat, cùm Reliquiæ S. Julittæ ad locum quempiam fuissent adductæ, ubi laborabatur aquarum penuriâ, mox è terra erupisse fontem aquæ sapidissimæ.
- III. D. Gregorius Nazianzenus in oratione de S. Cypriano ita habet : *Omnia potest pulvis Cypriani cum fide, uti sciunt hi, qui ipsi experti sunt, & miraculum ad nos usque transmiserunt.*
- IV. D. Chrysostomus de Reliquiis S. Babylæ Martyris ait : *Sententiæ nostræ abundè fidem faciunt, quæ quotidiana à Martyribus eduntur miracula.*
- V. D. Ambrosius de SS. Gervasio & Protasio testatur, quòd homo opificiò lanio, nomine Severus, omnibus notissimus ad contactum feretri fuerit curatus, ubi portabantur Divorum Reliquiæ.
- VI. D. Hieronymus narrat ad sepulchra DD. Elisæi & Joannis Baptistæ simulque Abdia rugire dæmones consuevisse. In vita autem D. Hilariionis asserit, clara quotidie signa fieri ad sepulchrum ejus.
- VII. D. Augustinus scribit tot miracula esse facta ad Reliquias S. Stephani brevissimo tempore, ut multi libri scribendi sint, si omnia referri debeant.



- VIII. Palladius ad Reliquias Philemonis multa miracula patrata fuisse confirmat.
- IX. Sulpitius de obitu S. Martini dicit, post mortem ejus in ipsius corpore glorificati hominis apparuisse figuram; fuisse enim carnem ejus vitro puriorem, lacte candidiorem, ut septennis pueri decorem ostenderet.
- X. Sozomenus refert ossa SS. Martyrum Nestabi & Eusebii fratrum, quæ Cazenses miscuerant cum ossibus camelorum & asinorum, ne à Christianis internosci possent, sanctæ cuidam faminae Divina revelatione fuisse monstrata, & ab eadem collecta. Idem asseverat, quadraginta Martyrum Reliquias pari revelatione fuisse inventas.
- XI. Ven. Beda testis est, D. Joannis Baptistæ Caput ab ipso Joanne ostensum fuisse duobus Monachis. Et in Zenone scribit, Corpus S. Barnabæ cum Evangelio D. Matthæi fuisse super ejus pectus inventum, revelante ipso D. Barnaba.
- XII. Surius de D. Eduardo Anglorum Rege scribit, anno ab ejusdem obitu 36. inventum esse corpus D. Regis *integerrimum, plenum succo, flexibile, ac si tunc etiam viveret, & non solum ossa & carnes in nullo lasas, sed nec pilos capitis aut barbæ, nec ipsas vestes & calceos.* Testimonia plura volenti dabunt libri non modò Recentiorum, sed etiam Veterum Scriptorum plurimi; inter priores meritò sibi locum vindicat C. Bellarmini lib. II. Controv. 4. de Reliquiis Sanctorum, ubi cum retulisset argumenta Lutheri, Calvini &c. detegit septem Magdeburgensium hac solum in parte mendacia, cultum verò SS. Reliquiarum in Ecclesia continuuum probat decem argumentis copiosis,
- I. Petito ab exemplis in Scriptura contentis.
  - II. Ex variis diversarum partium orbis & temporum Conciliis.
  - III. Ex multis antiquis Patribus tum Græcis tum Latinis.
  - IV. Ex miraculis continuis occulta Reliquiarum virtute patratis.
  - V. Ex aliis miraculis, quæ in ipsis mortuorum corporibus sæpissimè fuerunt deprehensa.
  - VI. Ex miraculosa inventione & Divina revelatione SS. Corporum.
  - VII. Ex translatione Reliquiarum de uno loco ad alium honoris ergo ab Antiquis celebrari solita.

VIII. Ex



- VIII. Ex eo, quòd Divorum Reliquiæ sub Altaribus semper fuerint reconditæ.
- IX. Allato ex cereorum usu & lampadum, quibus honoratæ sunt sacræ Reliquiæ.
- X. Denique à multiplici ratione, & ex objectorum solutione perspicacissima, quam Magdeburgenses aliiq; omnes Reliquiarum ofores à longè hæctenus aspexerunt, veluti noctuæ suis in antris aspiciunt diei lucem, suis tamen contentæ tenebris.

Alter, quem haud æquis patiuntur oculis, fuit hoc Seculo Pontifex Alexander; hunc ipsum vel auctorem Aquæ Benedictæ, uti vocamus, vel saltem promotorem fuisse scribunt Magdeburgici; ajunt enim, rectius Aquæ Benedictæ primam institutionem alicui gentilium Pontifici tribui posse; cùm Aquæ Lustralis aspersio sit ritus ethnicus. Eodem ferè modo scripserunt de Benedictionibus salis, cinerum, cerei, fructuum, panis, palmarum &c. in Ecclesia turbatores, quos inter fuerunt primi Waldenses anno Domini 1170. exorti. Waldenses secuti Flagellantes circa annum 1350. qui instrumentum, quo aspergi aqua Lustralis solet, vocabant *Clavam mortis*: ipsas verò guttas asperis aquæ *Scintillas infernales* dicebant. Circa annum 1380. Ecclesiæ Benedictiones damnare coeperunt Wicleffistæ, qui asseriebant, aquæ, salis, vini, panis, olei & rerum similium usum Papistis notissimum, & veram practicam necromantiæ. Cum Wicleffistis Seculo decimo quinto senserunt Lutherus, Calvinus, Brentius & cum aliis Tillmannus Heshusius, qui in libro de sexcentis erroribus Papistarum posuit loco vigesimo usum Aquæ Lustralis, & eam *manifestam Magiam* appellat.

Verùm quàm turpiter errent, fallant & fallantur tum Calviniani, tum Lutherani, tum alii quicunque Benedictionum calumniatores, facile ipsimet perspicient, si legant libros hac de re editos. Alii igitur, qui Latinum idioma callent, evolvant ante alios librum III. C. Bellarmini de cultu Sanctorum caput 7. Alii verò, qui Germanico idioma assueverunt, veluti plerique sunt Lutherani in litteris Latinis parùm versati, uti ipso facto testantur pleræque Imperii urbes; hi, inquam, lustrent P. Christophori Ott librum, cui Titulus *Roma Gloriosa &c.* uterque horum laudabilissimum Aquæ Lustralis & rerum similium usum demonstrabit.

1. Exemplis compluribus ex Scriptura allatis.

D 2

2. Ex



2. Ex traditione Veterum plurimis testimoniis confirmata, quorum facile viginti affert C. Bellarminus adductis Patribus permultis.
3. Plurimis miraculis Benedictionum virtute patratis, de quibus licet ita scribat Tillmannus: *Quodsi (Catholici) contendant, verba hæc esse miracula, nota nobis est Christi admonitio: Pseudopropheta edent miracula & prodigia, ut inducantur in errorem, si fieri possit, etiam electi.* Sed æquiori jure responderi potest Tillmano: si vera esse contendant Lutherani, Calviniani &c. Fabulatores potius, quàm Historici, quæ ipsi scripserunt hæcenus, tunc etiam Pseudoprophetae fuerunt Christus, ejusdem Apostoli, & Patres in Ecclesia primi, cum tam Christus, quàm Apostoli, & qui per singula Secula sunt secuti Viri sanctitate conspicui, virtute Benedictionum sacrarum ediderint miracula. Potius igitur Pseudoprophetarum nomine veniunt Tillmannus & farinae hujus Scriptores plurimi, qui ita exornant sæpè fabulas fucos veritatis, ac sinceritatis specie, ut si fieri potest, etiam in errorem inducantur electi:

Tertius Pontifex fuit D. Martyr Telesphorus, quem copiosis querelis accusant aliquot errorum Magdeburgenses: ajunt enim centuria 2. c. 10. *Clericis primum mandat, ut septem ante Pascha hebdomadibus à carne jejulent, cum contra scriptum sit; nemo vos judicet in cibo & potu. Deinde missas cumulat & ritum earum auget, atque ad tempus alligat: cum neque propter numerum, neque ceremonias, neque tempus Cæna Domini sit instituta. Clericorum item dignitatem & sanctitatem nimium effert supra plebejam, quasi non sit scriptum, omnes vos unum estis in Christo JESU. Ita nec argui vult à populo Sacerdotes, nec accusari, eamque legem firmissimum vocat sui Ordinis murum, constitutum à se & Patribus contra persecutores.*

Quatuor itaque sunt rerum capita, quæ Heterodoxis maximopere in Telesphoro displicent:

- I. Est vernum jejunium ab Ecclesia Romana institutum.
- II. Trina in Festo Nativitatis Domini missæ sacrificia.
- III. Ritus quidam missæ sacrificio additi.
- IV. Immunitas Clericorum à secularium foro atque jurisdictione.

Miramur hinc meritò, quòd Lutheri & Calvini tribus hæc in Telesphoro minùs placeant, cum tamen & hunc *Divum Martyrem, Pontificem*



*ficem verum ac sanctum, Apostolorum temporibus valde vicinum, ipsimet nobiscum fuisse agnoscant: nonne ipsos potius sic ratiocinari oporteret? cum hæc & alia primis Ecclesiæ temporibus fuerint receptissima, ab ipsis Apostolorum primis Successoribus, viris doctrinæ ac scientiæ præstantia, morum integritate, laborum patientia, Divini Spiritûs gratia, Martyrii victoria clarissimis approbata & lege confirmata, atque ad nostra usque tempora per decem & septem omnino Secula perdurârint, profectò majus momentum his rebus subest, quàm ut à nobis negligi, minùs rideri aut contemni possint. Verùm fileamus nos, ut C. Bellarminum hac super re differentem audiamus. Is ita loquitur:*

*Hæc videlicet sune errata Telesphori, quæ quidem ideo judicantur errata à Centuriatoribus, quia discrepant à regula Lutheri. Sed si justè judicamus, nonne potius dicendum est, dogmata Lutheri, qui non patitur delectum ciborum, nec missas, nec ordinem Sacerdotum supra plebem, esse erronea & falsa, quia discrepant à Regula Telesphori? nam cum Telesphorus sanctus Martyr fuerit, & Apostolorum temporibus adeò propinquus, ut cum Petro, Paulo & Joanne loqui potuerit; nonne credibilius est, meliùs ab ipso cognosci potuisse Christi doctrinam, quàm à Luthero, qui nec Martyr fuit, & annis plusquam mille quadringentis ab Apostolicis temporibus absuit? præsertim cum ratiuncule illæ Magdeburgensium sint pueriles & millies solutæ.*

Post hæc ostendit idem Eminentiss. Cardinalis, quàm absônè interpretentur hîc Scripturæ verba de cibo & potu, item de corpore Mystico Ecclesiæ; nec non alia huc facientia affert, ex quibus Lector colliget, Magdeburgenses ancillarum prorsus more, ut ajunt, hoc est, modo valde imperito, loqui & scribere de Telesphoro Pontifice: non enim quicquam evincunt hoc loco verba Matth. c. 15. *quod intrat per os, non coinquinat hominem.* Nec quadrat huc textus D. Pauli ad Coloss. 2. *nemo vos judicet in cibo aut potu &c. quæ sunt umbra futurorum;* etsi enim quod intrat per os, in se non coinquinat hominem, coinquinat verò hominem inobedientia illius, qui facit cibum vetitum per os suum intrare: aliàs sanè nec peccâssent protoparentes nostri comedendp fructum vetitum, qui procul dubio per os intravit. Nec egissent malè Lutherani illi, quibus Augustæ, Ratisbonæ & aliis in Imperii urbibus non multis abhinc



annis præceptum jejunii vel à magistratu, vel à præconibus suis est promulgatum, ut cibum ante horam sub vespere sextam non sumerent, non, inquam, egissent malè, si per totam indicti jejunii diem convivia celebrassent instar Balthazaris Regis aut divitis illius, de quo Luc. c. 16. v. 19. & 20. hæc leguntur: *homo quidam erat dives, qui induebatur purpurâ & bysso, & epulabatur quotidie splendide.*

Textus D. Pauli minimè pugnat contra abstinentiam ab Ecclesia Romana præscriptam, sed expugnat abstinentiam Hebræorum veterum, qui certo ciborum genere nunquam fruebantur, quòd cibi illi ex lege veteri pro immundis haberentur: lex autem illa non minùs, quàm Circumcisionis præceptum sublata est penitus à Legislatore novo Christo, de quo eodem cap. 2. ad Coloss. hæc habet Paulus: *in quo & circumcisi estis circumcissione non manu facta in expolitione corporis carnis, sed in circumcissione Christi: conspulti ei in Baptismo &c.* Item v. 13. & 14. *donans vobis omnia delicta: delens quod adversus nos erat Chirographum decreti.*

Cæterùm capita reliqua contra S. Telesphorum allata confutavit abundè C. Bellarminus paucis suis verbis superiùs citatis.

### Seculum Tertium.

## XVI. D. Zephyrinus Romanus.

**A**D id plurimùm attendit, & attentos voluit esse Episcopos, ut in solùm in Sacerdotum cooptarentur numerum, qui spectatæ virtutis & præclaræ doctrinæ specimen dedissent. Ligneos calices ab aris removit, vitreos potiùs admittens: quamquam iidem successu temporis fuerunt remoti, ut eorundem loco ex auro, argento aut stannino confecti adhiberentur. Præceptum Ecclesiasticum Paschati ita alligatum esse voluit, ut sub idem tempus Fideles omnes usu rationis præditi sacro reficerentur epulo, postquam sacra exhomologesi animum ritè expiassent. Hæc agendo passus est plurima Zephyrinus, dum experiri oportuit sextam persecutionem, eamque pene omnium crudelissimam: imperarunt quippe Septimius Severus, Antoninus Caracalla, Macrinus &

Helio



Heliogabalus, quorum primus & ultimus extremis modis in Christi gregem sæviērunt. Tantis hostibus accesserunt hæretici Marcion, Praxeas, Sabellius, Valentinus, Proclus & ante hos Tertullianus, quos cū suis in erroribus pertinacissimos esse comperisset, eos è proborum numero penitus exclusit. Fuere etiam Pseudo-Episcopi, qui jam hoc Seculo suam sedem Romanæ vel coæquare, vel non subiectam dicere ausu temerario præsumpserunt: summæ igitur Sedis suæ dignitatem conservaturus *Pontificem se maximum & Episcopum Episcoporum* palam scripsit, qualem se etiam verbis & factis probavit in vita & morte, quam vel Martyr sustinuit, vel malis fatigatus oppetiit anno 221. Sedis 28, tantum inter Martyres eminentior, quantum regimine longior.

## XVII. D. Calixtus Romanus.

**R**OMANORUM plurimos ritè credere docuit usque ad mortem pugiles constantissimos. In novo credentium numero erant Palmatus Consul & Simplicius Senator, uterque rarò prodigiò ad Fidem amplectendam commotus: Palmatii enim oculi tum primum bene videre cœperunt, dum milites contra Calixtum emissos oculorum usu vidit privatos: Simplicius verò idolorum cultum tunc demum damnavit, dum in Capitolio audivit foeminam à damonio corréptam, quæ Calisti, ut ipsa aiebat, *Deum, Unum, Verum* cunctis adorandum prædicabat verbis ad ciendas etiam lacrymas potentissimis. Miraculis duobus accessit tertium, dum virum, Privatum nomine, ulceribus refferum & Blandiniam paralyticam sanitati salutaribus Baptismi aquis restituit. Auxit insuper valde Fidelium coetus, dum ab Alexandro Imperatore impetravit geminam Romæ aream, supra quam in patenti foro duo extruxit ædificia sacrarum Romæ ædium pene publicas primitias. Earum alteram Unigenito *DEI Filio*, alteram *Divinæ Matri* dicatam & consecratam esse voluit. Præter quadraginta dies vernos quatuor jejunii per annum designavit tempora, restaurans morem ab Apostolis jam traditum. Iisdem quatuor anni intervallis Sacerdotes initiari præcepit, cū antea mense Decembri solùm sacer Ordo fuisset impertitus. His gestis iram Ulpiani Jurisconsulti potissimum incurrit, cujus proinde pravis consiliis in carcerem coniectus, fustibus in dies singulos contusus, tan-



tandemque de fenestra in terram dejectus, ac postremò in puteum profundum demissus, animam tantò sublimiorem egit anno 226, Sedis 5.

### XVIII. D. Urbanus.

**H**OC etiam nomine illustris, quoniam in Urbe Roma omnium Urbium domina natus aliud sibi nomen illudque illustrius vendicavit ex eo, quòd multis doctrinæ ac morum sanctitate fuerit exemplar ad melioris vitæ & Fidei optimæ semitam; eos inter fuit Valerianus S. Cæcilie Romanæ Virginis ac Sponsæ Sponsus Sanctus, hujusque frater Tiburtius & Maximus, quorum ultimus à cubiculis Alexandro Imperatori fuerat. Curam semper etiam in se suscepit singularem sacrarum ædium, in quibus, cum reditus paterentur, argenteas lampades aliæque vasa sacra cum calicibus aureis lucere voluit. Summa insuper in pauperes liberalitate fuerat eorum maximè memor, dum rationes bonorum Ecclesiæ perpendit; unde hunc in modum tum de bonis Ecclesiæ, tum de pauperibus scriptum posteris reliquit: *Ipsæ res fidelium, quæ Domino offeruntur, non debent in alios usus, quàm in Ecclesiasticos ac fratrum indigentium converti, quia vota sunt fidelium & prætia peccatorum, ac patrimonia pauperum*: atque his suum charissimum Patrem eripuit Ulpianus Jurisperitus Alexandro Severo Imperatori suggerens occidendi Urbani consilium sacrilegum. Anno 233. Pontificatus 4. aut veriùs 6. cum aliquot mensibus.

### XIX. D. Pontianus Romanus.

**D**AVIDICOS Psalmos à congregatis fidelium cætibus alta, eaque concordi voce cantari, missæ verò sacrificio publicam confessionem, verbò *confiteor &c.* inchoari solitam à Sacerdotibus ad aram accedentibus præmitti mandavit: quamquam non defunt, qui utriusque hujus ritus auctorem D. Damasum fuisse existimant, Pontiani tempore Philosophi Platonici ob concordiam quandam doctrinæ Platonice cum Evangelica veritate ad Christi gregem magno numero transierunt. Placuit eisdem præreliquis liber Evangelii Joannis Apostoli, quem aureis litteris scribi, & scriptum ab omnibus legi oportere asseruerunt. Exemplo suo Platonici traxerunt duos Origenis discipulos  
germa-



germanos fratres DD. Gregorium Thaumaturgum & Athenadorum utrumque Episcopum; maximum verò Pontiani animo excitârunt gaudium tum horum, tum aliorum in munere Apostolico sociorum progressus; summum odium econtra in animis Pseudo-Sacerdotum, quorum fraudibus circumventus Alexander Augustus Pontificem in Sardiniam eiecit exulem, ibidem verò Maximinus iustibus cæsum occidi iussit anno 237. Pontificatûs 4.

## XX. D. Anterus, Græcus.

**V**ITA longiori dignissimus brevissimam vitam vixit post mensem, ex quo Romam venit Pontifex ex insula Sardinia vocatus, & jam occisus, Vitaliano Maximini Præfecto morti varios cruciatus præmittente, ut vinceret Præsulem invictissimum. In persecutione Maximiniana, quam sextam numerò appellant, ceciderunt, aut potius cum Antero steterunt Martyrum plurimi, quorum gesta ut celerrimè consignarentur notis, constituit ipse notarios. Ejus artis inventorem fuisse tradiderunt Tyronem M. Tulli Ciceronis libertum; qui si fuit, ob Martyrum etiam memoriam libertate profectò fuit dignissimus plus quam Tulliana.

## XXI. D. Fabianus, Romanus.

**D**IEBUS tredecim unà cum Clericis congregatus hæsit populus, ut Pontificem novum sibi præficerent, unanimem denique vocem impetravit columbæ avis simillima de coelo ad Fabianum subito delapsa, quæ in arduis præcipuè negotiis semper deinde assistit Supremo Ecclesiæ Capiti Fabiano. Annis quindecim cœlesti Spiritu plenus hic vir Ecclesiæ præfuit, qui sua ob præclara merita minimè displicuit Gordianis duobus & duobus Philippis, quatuor Imperatoribus; unde dum inferiores Episcopi passim in urbe & orbe erexerunt ædes sacras, Fabianus in Coemeteriis Martyrum extruxit basilicas fidelium precibus peropportunas. Idem septem Diaconis suas designavit regiones, ut singularem pauperum atque peregrinorum curam gererent. Sancivit præterea, ut quotannis feriâ quintâ ante diem Paschatis Chryisma novum Episcopi conficerent, residuum verò ex anno præterito ignis consumeret.

*R. P. Kell Series Pont. Pars I.*

E

Præce-



Præcepto addidit epistolam, qua Christi institutum hoc esse confirmavit, ut Chryfma nimirum ex oleo simulque balsamo commisceretur. Cæterum ad Fabianum, ab Alexandria Patriarcha Dionysio anathemate proscriptus, venit Origenes suo tempore virorum doctorum pene doctissimus, agnoscens Supremum in Fabiano fidelium omnium Caput, quod tamen Ecclesiæ ademit in *persecutione septima* Decius Tyrannus Maximino major anno 253. Sedis 15.

## XXII. D. Cornelius, Romanus.

**F**URENTE Decio annus pene totus præterit vacuam relinquens Sedem, quam tandem post sedecim Episcoporum Romæ conventum & unanimum consensum occupavit Cornelius Romanus. Ea ipsa tempestate in Africana Ecclesia omnia turbaverat Felicissimus Pseudo-Episcopus D. Cypriani Carthaginensis Antistitis amulus, specie virtutis suas in partes trahens plurimos, ut Cyprianum ab officio suo removeret; & eò rem jam perduxerat, ut Fortunatum Cypriani loco Carthaginenses Episcopum suum agnovissent, nisi Cornelius obicem posuisset: tempestatem hanc sanè gravem excepit alia gravissima; ex Africa enim venerat Romam Novatianus homo Stoicus, qui auctore & adjutore Novato Africano Episcopo primam in universa Ecclesia sedem sibi deberi asserere haud erubuit omnium Schismaticorum primipilus. Atque ut cuncta viderentur ordine fieri, simulata novi Pontificis electione Novatianus confirmatus epistolas ad inferiores Episcopos dedit, observans morem in Ecclesia usitatum: litteris verò ut vim adderet majorem, confinxit gravia scelera contra Cornelium. Verùm brevi fraus patuit congregato Romæ Concilio; à sexaginta enim Episcopis ac totidem Presbyteris damnatus est Novatianus, & cum sectatoribus è fidelium communionem exesse iussus. Majores igitur denuo in Ecclesia turbæ summè Cornelium affligerunt; has tamen aliasque plurimas ita sustinuit, ut suam ob fortitudinem & constantiam in Martyrio præsertim exhibitam ab hæreticis etiam fuerit laudatus. Certè minas minimè exhorruit Decii Imperatoris, in cujus præsentia confessus est magno animo amicitiam cum D. Cypriano per litteras maximè continuatam: verbis & factis testatus est insuper, mille vitas se daturum prius, quam ullum daret honorem diis, hoc est dæmonibus. Commen-  
datâ



datâ itaque D. Stephano Ecclesiæ curâ primâ & ultimâ, caput amputandum dedit carnifici; vitam DEO reddidit anno 255. Sedis 2.

### XXIII. D. Lucius, Romanus.

**U**NANIMI Episcoporum consensu Pontifex electus egit munus suum ea perfectione, quam D. Cyprianus multis extulit laudibus. Statuit is, ut duo Presbyteri totidemque Diaconi semper arbitri adessent Summo Præsuli, cautelas adhibiturus contra Novatianum hæreticum. Non minùs sancivit, ut ii, qui Ecclesiæ bona occupassent, procul Ecclesiæ limitibus arcerentur. In Domibus Sacerdotum omnem procul abesse sexum foemineum curavit, vix matri aut sorori stabilem concedens locum. Hæc aliâque facta Pontificio zelo refertissima fuere, quæ Lucio odium conciliabant, & vitam brevè adimebant; sub Valeriano enim Imperatore caput ferro submisit; postquam geminò in exilio ærumnas tulit innumeras, re & desiderio longo tempore Martyr. Sedis anno 1, & aliquot mensibus; capite plexus est anno 257.

### XXIV. D. Stephanus.

**I**Nter Ecclesiæ præcepta etiam istud numerari voluit, quo cavet, ne seculares manus sacra usurparent vasa, memor exempli in Rege Balthasare relicti. Fuerunt ea ætate Episcopi toto in orbe plurimi, qui collatis sententiis hæreticos ritè conversos rebaptizandos esse censuerunt; quibus tamen Stephanus constanter restitit insistens D. Cornelii vestigiis. Diversæ ab eodem mentis fuerunt primò etiam DD. Dionysius & Cyprianus, qui brevè saniora edocui suò exemplò traxerunt plurimos alios, adeò ut Donatistarum non pauci æstimârint maximi concordiam, Stephani maxima autoritate comparatam. Atque hoc ipso Donatistarum testimonio usus est D. Augustinus, quo probavit, D. Stephanum summa laude gessisse Pontificatum. Cæterum dato oculorum lumine Lucillæ tribuni filiæ, ductisque in ovile Christi per multis paganis, ductus est ipse demum in templum Martis; cui à Valeriano sacrificare iussus, suis precibus fulgura & tonitrua è cælo excivit, quibus concussum cecidit idoli delubrum: cecidit tamen ipse etiam securi percussus, postquam ut petra stetit annis tribus, quorum ultimus erat Christi 260.

E 2

XXV. D.



## XXV. D. Sixtus II. Græcus.

**A**THENIENSIS primùm Philosophus, ex Philosopho autem doctissimo factus in Ecclesia Christi Discipulus & Magister, Româ in Hispaniam missus venit; inde in Urbem rediens DD. Laurentium atque Vincentium viâ ac laborum comites sibi junxit. Ibi ob morum probitatem & doctrinæ præstantiam electus est communi omnium suffragio Romanus Pontifex, in cuius munere nec latum unguem à suorum Antecessorum vestigiis recessit; hæreticos enim vice altera baptizari etiam ipse prohibuit; præcepit verò, ut missæ sacrificium non nisi super altare consecratum offerretur. Demum & ipse jussu Valeriani in templum Martis ducendus, D. Laurentio Martyrium post tres dies sustinendum vates prædixit, quod ipse prior sustinuit pauperum tunc maximè memor, quorum & Ecclesiæ bona semper cognoverat esse communia. Sedis anno 1, Martyrium passus 261.

## XXVI. D. Dionysius, Græcus.

**A**NACHORETA Dionysium Alexandrinum Episcopum falsò accusatum defendit; oppugnavit verò ore & calamo Samosatenum Episcopum Sabelli socium, qui nullam in Divinis Personis admittebat distinctionem, nullamque omnino in Christo Deitatem. Cultor adhæc Divinæ Virginis fuit eximius, in cuius veluti gremio mortuus est pietissimè Gallieni Imperatoris tempore, qui patre Valeriano extincto haud sæviit, dum sedit Dionysius annis 11, vitæ ultimus erat 273. inchoatus.

## XXVII. D. Felix I. Romanus.

**P**OST D. Dionysium ob insignes virtutes creatus Pontifex ædem D. Pancratii in via Aurelia ædificavit: ob memoriam verò Divorum Martyrum sacra fieri iussit, erigens supra sepulchra eorundem altaria, faciens ex more veteri præceptum. Pugnavit idem fortiter contra Sabellum ejusque sequaces, nec non contra idolorum cultores, à quibus igitur mandatò Aureliani Imperatoris comprehensus, diisque thus offerre iussus, se uni DEO obtulit victimam anno Christi 275. Sedis 2.

XXVIII. D.



## XXVIII. D. Eutygianus, Etruscus.

**D**IVI Felicis successor tempora ac mores hominum gnauiter observare noverat Ecclesiæ perinde decorum conservaturus. Ex Persia tunc in Africam transierat Manes, quem ignobiles natales inter servos & abjectissima mendicabula numerabant; fortuna tamen cum tempore mutata, & ingenii dotes ad sublimem denique statum evexerant. Manichæorum is author fuit hæreticorum, qui inter errores plurimos etiam hunc spargebant, dari transmigrationem animarum Pythagoricam; prohibuerunt proin omnem agriculturam, quòd innumera committi homicidia crederent, dum herbarum animæ, animabus hominum fortè simillimæ, suis è corporibus procul pellerentur, aut certè, si diversæ in iis viverent animæ, eadem haudquaquam à Deo bono, sed à Deo malo, omnium malorum authore vitam accepissent. Præcepit itaque Eutygianus, ut carnes animalium, fruges, uvæ, fabæ, aliavè similia in aris reposita, à Sacerdote vi sacrorum verborum vim sacram acciperent, Manichæorum hoc factò contraveniens erroribus, qui à malo genio hæc procreata fuisse somniabant. Divorum Martyrum curam etiam in se suscepit singularem; rubri enim vestimenti genus assignavit non nisi Christi athletic concedendum, cum suo inferrentur tumulo. Atque ut mos hic novus vigorem acciperet, quadraginta duorum & trecentorum Martyrum cadavera purpureo vestitu ornata, propriis sepelisse manibus traditur; his demum ipse accessit Martyr, purpurâ decorus geminâ, sub Numeriano Imperatore an. Redemptionis humanæ 283. Sedis 8.

## XXIX. D. Cajus, Dalmata.

**P**ONTIFEX creatus exemplò Fabiani animatus, regiones suis distribuit Diaconis, ut res gestas Martyrum annotarent. Sacerdotes ipse initiaturus non modò diversos sacrorum Ordinum gradus attendit, sed etiam observandis temporum intervallis distinctos esse voluit: septem iidem fuere gradus etiam hodie notissimi; primus Ostiarios, secundus Lectores, tertius Exorcistas, quartus Acolythos, quintus Subdiaconos, sextus Diaconos, septimus denique Presbyteros exornabat.



Cæterùm Cajus Pontifex patrem habuit Cajum Maximum Diocletiani Imperatoris fratrem, matrem verò Serenam, Philippî viri Romæ Principis, & demum Imperatoris filiam; fratrem denique germanum Gabinum nomine, qui uxore defuncta in Sacerdotum venit numerum, sollicitus de DEO magis, quàm de conjugè altera. Filiam in Matrimonio Gabinus genuit unicam Susannam, quam Diocletianus Galerio Maximiano in sponsam dare decreverat, vinculo hoc connubii firmaturus magis suum Imperium. Verùm triduo deliberationi datò, & eòdem elapsò, respuit oblatas nuptias Susanna; repulsam probavit pater Gabinus & Cajus patruus, quibus proin omnibus pro Fidei & castitatis amore caput abscissum est; Susanna in domo patria sanguinem fudit, domi nacta *Sponsum sanguinum Christum*, ejusdem nati anno 296. Pontificatus 12,

### XXX. D. Marcellinus, Romanus.

CUM Diocletianus & Imperii socius Maximianus inauditâ hætenus crudelitate in multa millia Christicolarum sæviissent, addiderunt crudelitati blanditias, quibus circumventus thura diis obtulit. Ita habet aliquorum Veterum Historia, quam falsam dicit D. Augustini & aliorum autoritas. Addiderunt tamen priores, Marcellinum mox pœnitentia adeò reductum fuisse, ut Sinuessam Campaniæ urbem ad Concilium 180. Episcoporum anhelus, cilicioque indutus cucurrerit, in quorum præsentia profusus in lacrymas, scelus suum confessus sit, & admissi sceleris rogârit pœnam & veniam; cui etiam responderint unanimi voce Episcopi; *prima sedes à nemine judicatur, tu reus es, tu Judex, ex ore tuo justificaberis, ex ore tuo damnaberis.* Adiit indè ultrò Maximianum, cui cum exprobrâisset impietatem suam, ejusdem jussu plexus est capite. Corpus sanctissimi Martyris diebus triginta sex inhumatum publico in loco sine honore fuit, cui denique honorem dedit D. Petrus, probans apparitione sua pœnitentiam Marcellini Anno Christi

304. Sedis 2.

Re-



*Reflexiones Historicae supra III. Seculum.*

**N**IMIS longum visum est Seculum hoc tertium Antagonistis nostris, Pseudo-Historicis; hi namque pridem Seculi hujus cursum interrumpere suis veluti clamoribus conati sunt, dum centuriam hanc nostram in pluribus Pontificibus aut fallere aut falli palam asserunt. Ex quindecim, inquiunt, hujus Seculi Pontificibus quinque minimum sunt, quos aliis longe coloribus depinxerunt fide digniores Historici nostri; fuit enim hoc tertio Seculo Zephyrinus, fuit Urbanus, Pontianus, Cornelius & Marcellinus, qui omnes turpiter hallucinati sunt. Ita ferè differunt etiam nostri temporis A catholici.

R. Itane, inquitis vos, tam turpiter hallucinati sunt Pontifices, quos tamen etiam hoc Seculo laude sua dignissimos censuerunt Calvinus, Lutherus, Magdeburgenses, &c. dum *veros ac sanctos Pontifices fuisse* eodem veluti calamo scripserunt? quid igitur erroris aut culpæ contraxit Zephyrinus? respondet nobis Rhenanus A catholicus in annotationibus suis ad Tertullianum: *Episcopus Romanus montanizat*, id est, Zephyrinus videtur approbasse Montani hæresin; id enim ipse Tertullianus, cujus testimonium aliàs maximi faciunt Romani, testatus est. Ita fert sensus Rhenani.

Verùm audiamus nos more nostro C. Bellarminum, qui hunc in modum respondet: *Non est omnino fides habenda Tertulliano hac in parte; quandoquidem ipse Tertullianus Montanista erat: sicut enim paulo antè Artemon (hæreticus) falso jactaverat, Victorem Romanum Pontificem secum sentire, ut ex Eusebio ostendimus: ita nunc Tertullianus Montanista Romanum Pontificem in Montani sententiam trahere conatur; alioqui cur nec Eusebius, nec ullus alius Historicorum veterum, hunc errorem in Pontifice Romano (scilicet Zephyrino) notavit?* Fuit nimirum etiam veterum hæreticorum jam depravatus genius, ut undecunque auctoritatem quamdam suis erroribus conciliare etiam per summum nefas potuerunt, id summa sua industria & pari impudentia præstiterint. Hominum sanè miserimi! qui ut tegant malitiam suam, ab iis etiam, quos maximè propter fidem & virtutem oderunt, virtutis speciem sibi mutuam sumunt: & ut autoritare polleant, eos sibi

autho-



authores aut adjuutores fuisse dicunt, in quibus aliàs nullam auctoritatem agnoscunt, nisi quando cum ipsis sentiunt. Fuit Tertullianus, ut noverrunt omnes, tandem hæreticus Montanista: ut talis tamen non videretur, eum sibi doctrinæ socium junxit, qui hæreticus non fuit. Legat hæc super re C. Bellarminum, qui volet: is enim clarissimè ostendit, quòd Zephyrinus nunquam cum Montanistis senserit, &, quod si errorem ab hæreticis ipsi imputatum commisisset, is error minimè circa Fidem, sed circa personam solùm fuisset, cum Montanistas pro hæreticis non agnovisset, horum fraudulentâ doctrinâ circumventus. Videri nimirum etiam Romanis Pontificibus Catholicus quis potest, qui talis non est: lupus enim sæpè sub pelle later; externam hominum doctrinam ipsorum est discernere sæpè solùm, ac judicare; Scrutator cordium solus DEUS est. Hæc de Zephyrino.

Quid verò mali contraxit Pontifex Urbanus? Respondent Centuriatores Magdeburgici his verbis: *instituit Confirmationem post Baptismum; sed blasphemè dicit, per manûs impositionem Episcoporum, accipi Spiritum Sanctum, & plenè Christianos fieri.*

Consideremus obiter tantùm Magdeburgensium verba, quibus tria obijciuntur D. Urbano mala. 1. Quòd Sacramentum Confirmationis instituerit. 2. Quòd blasphemus fuerit. 3. Quòd accipi Spiritum Sanctum per manûs impositionem docuerit. Ad singula

Respondeo, & ad 1. quidem: quàm parùm sibi constet Magdeburgicorum Historia, nunc attendendum. Actorum c. 8. & 19. refertur, quòd Apostoli super baptizatos manus suas imposuerint, ut acciperent Spiritum Sanctum; duobus igitur Seculis ante Urbanum Papam Confirmatio in usu jam erat: quomodo ergo Urbanus instituit? Item Tertullianus vixit & floruit circa annum Christi 192. uti habet A catholicorum etiam Chronologia: Martyrium verò sustinuit D. Urbanus anno 233. Et tamen Tertullianus quadruplici in loco scriptam testimonium nobis reliquit, Confirmationem post collatum Baptisma in Ecclesia passim adhiberi: quomodo ergo Urbanus primò instituit, quod longo tempore ante ipsum fuerat in usu? quasi verò instituti aut præcepti cujusdam usum exercere idem sit, ac primò instituere, aut præcipere. Confirmationem nimirum, ut habet perpetua Ecclesiæ Traditio, Christus primò instituit, ejusdem verò usum exercuerunt primi Apostoli, & post hos perpetui eorundem Successores Episcopi.

Ad 2.



Ad 2. respondeo. Quo pacto Urbanus blasphemiae reus est, cum ipsum *verum ac sanctum Pontificem fuisse* ipsimet etiam Magdeburgenses scribant? en! verborum elegantem constantiam! qualem toties deprehendimus, quoties quempiam Summorum Pontificum tribus h. s. Saeculis accusari audimus; conveniunt enim perquam venuste: *Verum esse, ac sanctum Pontificem*, & esse blasphemum, vel alterius vitii dedecore notatum.

Ad 3. respondeo. Quod D. Urbanus per manus Episcopalis impositionem Spiritum Sanctum accipi docuerit, non blasphemè, sed sanctè docuit: ita enim docere didicit ex citatis Actorum 8. & 19. capitibus; ita etiam didicit ex temporum vicinitate, quam cum DD. Apostolis habuit; ita didicit ex Traditione, usu & praxi Ecclesiae; ita didicit ex Tertulliano & aliis Scriptoribus &c. ita etiam post D. Urbanum docuerunt Cornelius Papa, D. Cyprianus, D. Cyrillus, D. Augustinus, & quis demum non ex SS. Patribus?

Jam verò, quæ D. Pontiani est culpa? Respondent rursus Magdeburgenses: *scripsit, Sacerdotes proprio ore Corpus Domini conficere & populis tradere, ac per Sacerdotes Deum aliorum hostias acceptare, atque eorum peccata donare, & sibi eos reconciliare.* Atque hanc sententiam D. Pontiani iterum blasphemam dicunt.

Verùm memores sumus notissimæ nobis verborum constantiæ: *Verus ac sanctus Pontifex fuit D. Pontianus, & tamen blasphemus.* Ita ratiocinari didicerunt Doctore Lutero Magdeburgenses Historici, quibus ita respondet C. Bellarminus: *Nihil afferunt Magdeburgenses, unde probent D. Pontiani sententiam esse blasphemam. Quare moleste ferre non debent, si nos Martyri sanctissimo, & ab Apostolorum Successoribus instituto magis credamus, quam Lutero, praesertim cum illud idem in omnium veterum Patrum Scriptis passim legamus.* Afferunt deinde clarissima DD. Hieronymi, Augustini, & Chrysostomi verba, quæ cum D. Pontiani sententia omnino conveniunt.

Quis autem nunc error D. Cornelii fuit? Magdeburgensium responsum in promptu est: *Docuit Cornelius, in Calice Domini solam aquam esse offerendam.* D. verò Cornelium ita docuisse, probant ex eo, quod D. Cyprianus in epist. 3. ad D. Cornelium data multis disputet contra errorem hunc sanè maximum.

Sed mirum in modum fallunt & falluntur Magdeburgenses D. Cyprianus enim eam epistolam non ad Cornelium, sed ad Cæcilium quemdam



Africae Episcopum scripsit; non igitur Cornelius & Cæcilius iudem fuere. Adhæc D. Cyprianus in sua epistola non dicit, hunc errorem fuisse illius, ad quem scribit, sed quorundam aliorum. Probè itaque huc quadrat C. Bellarmini clausula, quam suo annexit responso: *Sed Magdeburgenses tunc fortè largiùs liberant, & scintillantibus ac tremantibus oculis unum legerunt pro alio, Cornelium nempe pro Cæcilio.*

Quid tandem contra D. Marcellinum apponunt? R, hoc unum; *Idolis sacrificavit: deterior igitur hæretico fuit.* At verò hic Marcellini error minimè obesse potest Romanæ Sedi; atque ut ordine procedamus: primò Marcellinus non docuit quidpiam contra Fidem. Secundò non fuit hæreticus aut infidelis, nisi actu quodam externo ob metum mortis extorto. Tertio peccatum suum fati seriâ & severâ poenitentia delevit factus Martyr in Ecclesia militante invictissimus, & in triumphante gloriosissimus.

Intelleximus hætenus, tum ex nostra, tum etiam ex adversariorum nostrorum Historia, quales ac quanti Pontifices triginta numero hucusque Ecclesiam gubernârint. Tales nimirum ac tanti fuerunt, ut veritas inimicis ipsis hæc expresserit verba: *fuerunt omnes veri ac sancti Pontifices.* Quamvis autem deinde fuerint, qui dictorum suorum oblitii hos ipsos *veros ac sanctos Pontifices* gravis culpæ, aut in Fide erroris arguere non formidârunt, horum tamen objecta ita clarè ac solidè sunt soluta ac refutata tum à C. Bellarmino, tum à Scriptoribus aliis, ut ipsimet Adversarii nihil habeant, quod respondeant. Certè à longissimo tempore expectatum fuit Magdeburgensium & aliorum responsum; sed ut apparet, expectabunt Diem Judicii. Cæterum ut nos supra tria hæc Secula velut in unum collecta oculos mentis nostræ non nihil adhuc reflectamus, Ecclesiæ Præcepta, Ritus, ac ut vocant Ceremonias aliave plura hoc ipso tempore jam observata nunc considerabimus, comparisonem quamdam exinde desumpturi, quæ antiquam inter & nostram intercedat Ecclesiam.

- I. Sacramentorum à Christo institutorum usus Apostolorum tempore  
*Act. 8. & 19. D. Urbanus, D. Soter, Tertullianus &c.*
- II. Venerum jejunium ac Quatuor Temporum, *D. Telesphorus, & D. Calistus.*
- III. Nomen Christiani Antiochiæ natum. *D. Epiphanius.*
- IV. Ritus plerique in Sacrificio Missæ à nobis adhiberi soliti, *D. Anacletus, D. Evaristus, D. Alexander I., D. Sixtus &c.*

V. Car-



- V. Cardinalium Officia & eorundem Tituli. *D. Clemens, D. Evaristus.*
- VI. Episcoporum Dignitas & Jurisdictio in suas Diceceses. *D. Petrus, D. Clemens, D. Lucius, D. Anacletus &c.*
- VII. Episcoporum à tribus Episcopis adhibita Consecratio. *D. Anicetus, Nicæna Synodus.*
- VIII. Ornatus seu Vestimenta Sacerdotum ad Aram litantium, *D. Clemens I.*
- IX. Omnes Sacerdotum Ordines & eorundem sumendorum interstitia, *D. Cajus, D. Sylvester, D. Calixtus.*
- X. Cælibatus Clericorum, & à fœminarum consortio separata habitatio. *D. Lucius.*
- XI. Clericorum peculiare insigne seu Corona in capillis. *D. Anicetus.*
- XII. Institutio Diei Dominicæ & Fæstorum Nativitatis Christi, Epiphaniæ, Resurrectionis, Ascensionis, Pentecostes &c. *D. Pius I, Traditio Ecclesiæ perpetua, quam hic non negant Lutherani ipsi.*
- XIII. Veneratio & invocatio Sanctorum. *D. Cyrillus, D. Athanasius, D. Basilus &c. &c.*
- XIV. In honorem Divorum erecta Tempia. *D. Calistus, D. Fabianus, D. Hyginus.*
- XV. Veneratio sacrarum Reliquiarum. *D. Cornelius.*
- XVI. Consecratio ac Dedicatio Templorum. *D. Sixtus II. D. Felix I.*
- XVII. Communio Paschalis. *D. Soter & D. Zephyrinus.*
- XVIII. Dies Paschatis die Dominica celebratus. *D. Pius I.*
- XIX. Tria Sacra in Nativitate Domini. *D. Telesphorus.*
- XX. Cantus Ecclesiasticus. *D. Pontianus.*
- XXI. Horarum Canoniarum distinctio. *D. Epiphanius, D. Basilus, Tertullianus.*
- XXII. Lampades ac sacra Lumina in SS. ædibus. *D. Melchiades.*
- XXIII. Status Religiosorum varii. *D. Urbanus I. D. Pius.*
- XXIV. Monasteria varia jam condidit. *D. Antonius, D. Pachomius, D. Hilarius.*
- XXV. Virginitatis votum perfrequens. *D. Hieronymus, Origènes Homil. 4. in Levit.*



- XXVI. Miracula plurima, D. Petrus, D. Paulus, D. Clemens. &c. &c.  
 XXVII. Stationes seu Processiones. D. Cletus.  
 XXVIII. Præsentia Parochi in contrahendis Nuptiis. D. Soter.  
 XXIX. Assistentia patrinoꝝ in levandis ex Baptismatis lavacro neophytis. D. Hyginus.  
 XXX. Sententia Excommunicationis &c. Vide Seculum XVII. ubi ex instituto hac de re agitur. En ! tibi Auctores, vel ipsos primos Pontifices, vel Patres primigeniæ Ecclesiæ.

Atque hæc rerum capita vel singula vel certè multa etiam in heterodoxoꝝ Historiographis passim inveniuntur, qui tamen, si paucos excipiamus, facillè concedunt, quòd tribus minimum à nato Christo Seculis Romana Ecclesia à recto vitæ ac Fidei tramite non deflexerit. Notent igitur sibi, quàm longè ipsi à veræ Fidei, ac melioris vitæ tramite abièrint; cum ipsorum Fidei ac vitæ norma trium primorum Seculorum Ecclesiæ sit dissimillima, non verò sic nostra. Verùm de his plura dabunt ventura hic Secula, & præsertim C. Bellarminus.

### Seculum Quartum.

#### XXXI. D. Marcellus, Romanus.

**A** Marcellino diversus Pontifex, epistolam rationum pondere gravissimam scripsit ad Episcopos Antiochenæ provinciæ, in qua littem oppidò gravem moverunt. Episcopi haudquaquam animarum zelò, sed arrogantia fastu accensi. Eadem epistolâ non obscure significavit, nullum Concilium jure celebrari posse, nisi autoritate Romani Præsulis approbatum. Atque dum ingens Ecclesiæ damnum hac ex parte impedire laboravit, incrementum ex parte altera eidem dedit, dum in Urbe novas quinque Parochias erexit, quibus viginti quinque diversos eosque sacros præesse jussit ministros, ut sacra fidelibus ritè subministrarent. Ejusdem Pontificis hortatu Lucina eximie probitatis vidua Romana bonorum suorum hæredem scripsit Ecclesiam, lares proprios in ædem Sacram convertens, quam D. Marcelli templum posterì dixerunt; Priscilla verò Lucinæ par animò mulier in via Salaria coemeterium copiosis sumptibus extruxit, ex quo D. Marcellini cadaver denique

D. Mar-



D. Marcellus in Vaticanum transtulit, monita D. Petri, quem sibi conspicuum habuit, secutus. Fuere hæc, ob quæ vice altera Maxentius Tyrannus Marcellum ad equorum cryptas condemnavit, ut inter Agafones vilissimis operam daret negotiis: Vir verò non nisi ad summa munia natus summo didicit esse loco, dum fuit in infimo, ex quo denique ærumnis consumptus evolavit ad supremos cœlorum apices anno 309. Sedis 5.

### XXXII. D. Eusebius, Græcus.

**M**EDICI filius & ipse primùm medicus fuit, Demum creatus Pontifex sedulo præter alia plurima curavit incruentum Christi Servatoris corpus, quòd quia in sindone linea eaque munda sepultum fuerat, in linea, pura, eaque candida tela præcepit reponi à Sacerdote Sacrum faciente. Duos alios Eusebios vidit tunc Ecclesia, alterum Sardum Vercellensem denique Episcopum, Arianorum malleum vocatum, quem parvulum D. Eusebius Pontifex sacro Baptismatis lavacro mundavit: alterum verò Arianorum socium, teste Hieronymo, Cæsarea Palæstinæ Episcopum habuit eo solùm nomine celebrem, quòd multos libros conscripserit, quibus Ecclesiæ statum se elucubrâsse existimavit. Præter Arianos sibi infestos habuit Eusebius Pontifex Donatistas, quorum tamen plurimos seriâ pœnitentiâ contritos solâ manuum impositione Ecclesiæ restituit, suò & aliorum summò solatiò, quod auxit etiam Divina Nemesis, dum acerbissimos Christiani nominis persecutores Maximinianum & Maxentium è medio sustulit, hunc nempe à Constantino magno in Tyberim demersum, illum verò ulcere pessimo percussum. Eusebius itaque ferè omnium Pontificum primus Martyr non fuit, si mortem, non mentem spectare lubeat. Mortuus est anno 311. Sedis 2,

### XXXIII. D. Melchiades, Africanus.

**I**NTER Pontifices hæctenus ex parte felicissimus Constantinum Magnum Imperatorem non modò sibi benevolum, sed etiam summè munificum expertus fuit: penates enim Plautii Laterani, viri Romæ Patritii, quem Nero Fidei odiò occidi jusserat, dono datos accepit sibi & venturis Successoribus peropportunum domicilium. Tam amicè



igitur ab ipso Augusto habitus, omnem curam eò convertit, ut in DEI Ecclesia ardor in dies augmentum sumeret, abusus verò penitus abolerentur. Eum in finem Decreto stabilivit, ut candelabra minimum duo supra aram posita ardentibus facies tenerent litante Sacerdote. Præcepto altero fideles omnes commonuit, ne extra verni jejunii tempora Dominico die, aut quintâ feriâ jejunium sibi publicum indictum putarent, eò quòd Ecclesiæ hostes iisdem diebus jejunium sibi servandum promulgassent, Orthodoxos ex parte imitaturi, ut Ecclesiam totam everterent. Stravit præterea Donatistis ex Africa in Italiam venientibus viam facilem, per quam eorum plurimi, qui Majorino contumaci hæretico nimium quantum adhæserant, ad ovile Christi reducerentur: convocato enim Concilio Majorinum anathematis sententiâ condemnavit, Donatum verò primum novæ hæresis & gravissimæ seditionis auctorem confudit, ipsis etiam Donatistis ex eo tempore maximopere exosum. Cæterum introduxit etiam Melchiades usum sacri panis, quem Eulogias vocârunt; eadem à Summo Præsule Sacerdotibus & Parochiarum Curatoribus quinta verni jejunii Dominica tradebantur, ut in subditos greges distribuerent, simulque eodem signo ad mutuam eamque æternam charitatem sese accenderent, qua plenus D. Melchiades ad superos evolavit annò 313, Sedis 2.

### XXXIV. D. Sylvester, Romanus.

**E**X patre Rufino, matre Fausta sanctis parentibus natus Sanctissimus, Constantinum M. Imperatorem ritè credere & imperare docuit, coram quo Judæos instituta disputatione publica erroris sui convicit; quam ob rem Taurum Hebræum ab ipsis Hebræis trucidatum hisce verbis ad vitam revocavit: *si JESUS Christus, quem ego prædico, verus est DEUS, de Virgine natus, surge protinus, & abjecta feritate confiste.* Dedit vim verbis DEUS, ut uno cum Judæo multi surgere & stare discerent. Alia plurima patravit miracula, & edidit Decreta, quibus statuit, ut Chrisma à solo conficeretur Episcopo. 2. Ut eodem confecto Chrismate Sacerdos summam capitis partem obliniret post collatum Baptisma. 3. Ut Diaconi Dalmaticis in Ecclesia & palla linostina ad lævam uterentur. 4. Ut dies hebdomadis in certas ferias distinctæ manerent, Multa alia providentissimè juxta ac prudentissimè

or-



ordinavit, dum pauperibus abundantissimè providit. Sylvestro adscribendum etiam est, quòd Constantinus tantam auri alteriùsque pretii summam Ecclesiæ dederit, ut Salomonem ab eo superatum fuisse apertè scripserit Giaconius. Silentio hìc praterimus ejus virtutes verè Pontificias, ob quas meritò Sanctorum numero est adscriptus anno 335. Sedis 22. non completo.

### XXXV. D. Marcus, Romanus.

**D**IVUM Marcum S. Sylvestri Successorem veterum scripta his exornarunt encomiis: *fuit Marcus vir bonus, justus, DEO fidelis ac multa virtute coruscus.* Ex quibus aliisque titulis simplicitatis & veritatis testimonium elucet. Ob multiplicem virtutem electus Pontifex continuò mandavit, ut à quovis Sacerdote sacris operante subjungeretur finitò Evangelii verbis Nicæni Concilii Symbolum, seu Fidei compendium. Novus hìc orandi modus tunc maximè valuit contra Arium, qui blasphemis edusque inauditis unigenitum DEI Filium petere haud erubuit. Verùm vivere desijt subito turpissimum nactus vitæ exitum, dum vitam mortalem immortalì commutavit Marcus, dissimillimus Ario in vita & morte, quam oppetit nono Pontificatùs mense anno 336. postquam Ostiensi Episcopo, à quo jam tum consecrari Pontifices consueverant, copiam sacri Pallii concessit, duasq; Romæ basilicas erexit, quas donis pretiosissimis exornavit Constantinus Magnus, Princeps in Ecclesiam Romanam semper munificentissimus, sed eam ob rem plurimùm exosus ethnicis & hæreticis.

### XXXVI. D. Julius, Romanus.

**C**ONTRA Arianos se Caput Ecclesiæ constanter ostendit ac probavit D. Athanasii Alexandrini Episcopi defensor invicissimus, cujus causam & Symbolum laudavit, totique Ecclesiæ commendavit; eorum verò causam reprobavit, qui Constantii Imperatoris viribus freti conciliabulum in Thracia coegerunt, & anathematis sententiam in ipsum Pontificem pronuntiârunt. Bruta sanè fulmina! Ibi etiam Sardicensis Concilii acta suis turpissimis erroribus plurimùm foedârunt, colorem à virtute mutuantes, ut sua vitia tegerent. Celebravit nempe  
Julius



Julius geminam Synodum, alteram Romæ, alteram verò Sardicæ, in qua numerati sunt Orthodoxi Episcopi trecenti, à quibus damnatus est denuo Arius salvò semper Juliò, maximè dum mortuus est annò 352. Pont. 15. 5. Mens.

### XXXVII. Liberius, & XXXVIII. D. Felix, Romani.

**F**ERVEBANT identidem magis Arianorum furia, quibus D. Athanasium in exilium ejici cupiebant, missis eam ob rem Legatis ad Liberium Pontificem, qui tamen ab hoc iniquissimo proposito primum precibus, inde verò animi constantiâ, quâ exilium in duos annos pertulerat, Constantium Imperatorem avocare conatus est. Sedem Romæ interea Felix Archidiaconus Romanus Imperatoris operâ adjutus conscendit, eò quòd cum Arianis Constantinus speraret, fore, ut in Athanasii condemnationem consentiret facilè novus Pontifex Cæsari haud ingratus. At diversa longè ostendit eventus; Felix enim à se totus jam diversus convocato quadraginta & octo Episcoporum Concilio Athanasii acta comprobavit, Arianos è contrario condemnavit, anathematis poenâ etiam in Cæsarem latâ, nisi hac in parte Ecclesiæ obediret. Mox igitur Constantius revocavit ex suo exilio Liberium, eumque suam in sedem restitutum blanditiis eò abduxit, ut in Athanasii exilium consenserit, vel consensisse fuerit visus omnibus. Duo itaque ad speciem Pontifices duas in partes abstraxerunt Clericos, aliis Liberio, aliis Felici adhaerentibus, quorum hic, Imperatorem simulque Arianorum sectatoribus è communione fidelium proscriptis, tandem ab iisdem captus & capite est plexus. Tum verò Liberius D. Felice è medio sublato sibi denuo penitus & Ecclesiæ restitutus, Fidem, quam animo nunquam negarat, palam in Concilio Ariminensi, & dein Romano professus, eamque ob causam ab Arianis Româ pulsus, in cœmeteria Novellæ & Ostriani se recepit, ubi DEO, Ecclesiæ, sibi que vacans vitam sanctè finiit anno 367. Sedis 15.

### XXXIX. D. Damasus, Hispanus.

**O** virtutem & doctrinæ excellentiam ab Episcopis Africæ *Patres Patrum* dictus, & demum Pontifex lectus, Ursicinum æmulum Valentiniani II. Imperatoris ope à Summæ Sedis invasione impe-



impedit; adjectore autem Theodosio Magno Concilium Constantino-  
 politanum I. indixit, cui interfuere centum quinquaginta Episcopi, à qui-  
 bus Arius, Macedonius, Eunomius, Sabellius aliique hæretici sunt con-  
 demnati. Idem acta Nicænæ Synodi confirmavit, ejusdemque Symbo-  
 lum approbavit: Ariminensem verò conventum à Liberio Pontifice jam  
 rejectum iterum rejecit. Psalmos Davidicos in Choro alternis vocibus  
 recitari præcepit, Psalmis singulis addens hanc clausulam: *Gloria Patri &  
 Filio & c.* quem psallendi modum ab Ecclesiæ exordio in Ecclesia fuisse  
 demonstrat Baronius, novam tantum cantandi methodum à Damaso in-  
 troductum agnoscens. D. Hieronymo ob studiorum & virtutum æqua-  
 litatem notissimus sæpè præsentem alloquiò, sæpius absentem litteris di-  
 gnatus est, cujus proinde hortatu D. Ecclesiæ Doctor Psalterium 72. In-  
 terpretum emendatum Græcæ Ecclesiæ reddidit. Taceo multa alia præ-  
 ter ætatem, quam ad annos 80. pene produxit, septem & decem annorum  
 Pontifex anno Redemptionis humanæ 384. mortuus.

### XL. D. Siricius, Romanus.

**I**N Concilio Romæ congregato damnavit cum affectis Jovinianum D.  
 Ambrosio quondam subditum, quibus præ Virginitate Matrimonium  
 extollere placuit adeò, ut Deiparam post Christum natum permanfisse  
 Virginem pertinaciter negarint, non amore veritatis, sed libidine tra-  
 ctu. Damnati sunt iidem omnes in Mediolanensi Synodo teste ipso D.  
 Ambrosio, qui hunc in modum ad Siricium scripsit: *itaque Jovinianum,  
 Auxentium, Germinatorem, Felicem, Protinum, Genialem, Martianum, Ja-  
 nuarium & Ingeniosum hereticos, quos Sanctitas tua damnavit, scias apud nos  
 quoque secundum judicium tuum esse damnatos.* Sententiam similem tulit  
 Siricius in Manichæos pridem damnatos, iterumque damnandos, com-  
 munem verò omnibus mortis sententiam ipse subiit anno 398. Sedis

13.

### XLI. D. Anastasius, Romanus.

**L**AUDAVIT Anastasium Pontificem D. Hieronymus hisce lat-  
 tibus: *Anastasius Apostolicæ sollicitudinis vir statim noxium  
 perculit caput hereticorum, & sibilantia hydræ ora compe-  
 scuit.* Origenistas nimirum Romæ damnavit, & in Concilio Ale-

R. P. Kolb Series Pont. Pars I.

G

xandri.



xandrino & Carthaginensi, ut damnarentur, pariter curavit. Corruptos etiam Clericorum mores iteratis legibus emendavit, probè memor continentia, Ministris sacris pridem præscriptæ. Stare is ipse præcepit Christianum populum, cum Evangelii verba à Sacerdote ad Aram faciente legerentur. Eos demum è numero Clericorum excludi mandavit, qui vitium corporis à natura aut casu accepissent, selectum virorum in ministerio Domini exposcens; cui, utpote ter Optimo, dandum ab homine, quod bonum est; id perbene præstitit in vita & morte Anastasius an. 402. Sed. 4.

### Reflexiones Historicae supra IV. Seculum.

**U**NDECIM hoc Seculo numeravimus Pontifices; ex iis octo fuerunt, in quibus nec ipsi Pontificum inimici oculatissimi quicquam erroris notarunt. Tres tamen exorbitasse nimium, creduntur ab iis, qui credere nunquam bene didicerunt. 1. Eorum Liberius, 2. S. Felix, 3. Siricius fuit; hic à Calvino accusatur, quòd Conjugium verum ac legitimum appellaverit pollutionem; illi verò à Tillmanno Heshusio & Joanne Hübner Arianæ hæreseos rei constituuntur.

Verùm etsi ipsi sint in re, (provocatus hìc dicere compellor) verbis tamen ostendunt se nescire, quid sit hæresis, aut quis hæreticus; hoc enim si cepissent, facilè etiam caperent, nec Liberium, nec Felicem unquam fuisse hæreticum. Etsi namque DD. Athanasius & Hieronymus scribant, *Liberium tediò exilii inflexum tandem fuisse ad subscriptionem hæreseos*, atque hoc ipsum malit fateri C. Bellarminus, quàm contrarium cum Sulpitio, Socrate, Sozomeno & Nicephoro asserere, non tamen Liberius hæresin unquam docuit, aut in hæresin lapsus est firmiter, minùs pertinaciter adhærens privato suo iudicio, illudque anteponeus totius veræ Ecclesiæ sententiæ, in quo consistit omnis hæresis; sed solum peccavit actu quodam externo, eo ferè modo, quo D. Marcellinus. Atque hoc ipsum docuit jam D. Athanasius paulò antè allatus, ajens: *Liberium invitum coactum vi tormentorum fecisse, quod fecit; nec esse censendam ejus sententiam, quàm minæ & terrores extorserant, sed eam, quam protulit, cum liberos haberet affectus.* Quòd autem iudicium



dicium suum totius Ecclesiæ Sententiæ non pertinaciter antetulerit, ostendit aliàs abundè, & post occisum D. Felicem maximè in duobus Conciliis, ac deinde in cœmeteriis, in quæ ab Arianis pulsus, in ærumnis maximis vitam sanctissimam vixit. Non solent nimirum illi, qui vel unquam tantùm in hæresin consenserunt, & eam animò quasi nutritam foris produnt, facillè suam mutare mentem, ex pessimis repentiè fieri optimi, uti innumeris exemplis suis hæretici pene omnes ostenderunt, qui ante & post Liberium extiterunt. Adeoque hic non expressè, sed ad summum interpretativè in hæresin consensit, dum D. Athanasium damnari permisit, & cum Valente & Ursacio communicavit, quos hæreticos esse vix ignorare potuit, licèt Catholicos esse sese finxerint. Atque hanc D. Hieronymi sententiam fuisse scribit C. Bellarminus, quem hac de re pluribus differentem vide, sicut & Christophorum Ott &c. Denique cur adversarii nostri inclinant semper in partem deteriorem? cur contra, & non potius pro Liberio loquuntur? eosdem enim latere non potuit Historia antiquissima Sulpitii, Socratis, Sozomeni & Nicephori, qui omnes testantur, Liberium de Fidei constantia nunquam aliquid remisisse. Certè si D. Hieronymus negasset, Liberium subscripsisse hæresi Arianæ, affirmassent verò, quod negat Hieronymus, quatuor dicti Authores, ambabus manibus amplexi fuissent horum, non verò D. Hieronymi opinionem. Ad summum igitur de constantia Liberii dubitare potuissent Lutherani Historici, non verò instar Evangelicæ veritatis asserere, Liberium Arianum fuisse.

Pari ratione de D. Felice responderetur, eundem Arianum nunquam fuisse, licèt ob honorem sibi ab Arianis exhibitum communitatem cum ipsis habuerit; sicut non continuò Lutheranus est, licèt Catholicus cum Lutheranis agat liberè. Imò si exteriùs simularet, Lutheri doctrinam probari sibi admodum, animò tamen Orthodoxam Fidem retineret, certè talem Lutherus suum esse non crederet. Vidit, ut tradunt Historiæ, Roma Romiperas etiam ex Lutheranis & Calvinianis plurimos, qui ad pedes Pontificum sese abjecerunt, signaque alia non obscura ediderunt, quibus exteriùs se Romanæ Fidei addictos esse ostenderunt, toto autem corde Lutherum suum aut Calvinum retinuerunt. Quis, quæso, tales Orthodoxos, seu, ut loquuntur adversarii, Papistas fuisse dicat? Verùm quid demum sequeretur, si D. Felix, quamdiu cum Arianis egit, hæreti-



cus fuisset? an ideo in hæresin incidisset, dum Summus fuit Pontifex? haud sanè sequeretur, sed potiùs ex eo eluceret vel maxime Dei singularis providentia in Ecclesiam Romanam, quòd D. Felix longè diversus subito fuerit factus, dum creatus est Pontifex: priùs enim Constantio Imperatori adherere visus est, ut verò Pontificem egit, Constantio apertè restitit. Priùs ab Arianis promotus; dein verò ab iisdem Sede sua deturbatus fuit. Priùs D. Athanasium condemnare credebatur, dein verò ejusdem causam comprobavit, Liberique exulantis sententiam defendit. Priùs ab Arianis Divo Felici inter congratulantium voces acclamatum fuerat, ut longissimè viveret, postea verò ab iisdem in odium Romanæ Fidei capite plexus est. En! D. Felicis mirabilem conversionem! Plura & clariora de Liberio & D. Felice legi possunt apud C. Bellarminum, Christophorum Ott & alios.

Calvinum jam paucis expediamus, qui accusavit Siricium Pontificem, quòd Conjugium legitimum pollutionem vocaverit. Adeò nempe ignarum ac stupidum fuisse Siricium existimavit Calvinus, ut homines nasci posse crediderit, veluti nascuntur in sylvis fungi, aut in campis lolium. Simplex sanè fuisset hic Pontifex; simpliciores fuissent Clerici, quòd tale toti Ecclesiæ Caput formarent; aut veriùs fuit simplicissimus hac in parte Calvinus, quòd talia sibi persuaserit; Sed fortè, inquitis mihi, nefas est simplicitatis cujusdam argui Calvinum minimè simplicem. His ergo repono: arguat ipsum igitur C. Bellarminus impudentiæ & mendacii, qui de eodem ita hinc scribit: *Sed Calvinus more suo impudenter mentitur: non enim Siricius Conjugium verum & legitimum pollutionem appellat; sed illicitam conjunctionem eorum, qui post peractam publicam penitentiam iterum redeunt ad eandem conjunctionem, propter quam penitentiam egerant. Nemo autem penitentiam unquam egit, quòd inierit legitimum Matrimonium.* Hactenus Bellarmin. Noverint igitur Calviniani, in veteri etiam Ecclesia propter publica præsertim scelera fuisse sæpe injuncta publica pœnitentiæ opera, quæ homines peccatis innutriti sæpe peregerunt animò potiùs satisfaciendi humano judici, quàm Deo vindici; animo servili, haud filiali; affectu potiùs ad relapsum prono, quàm ad emendationem parato. Tales igitur peractâ publicâ pœnitentiâ ad vomitum redierunt pejores prioribus. Atque talium carnalem amicitiam, perpetuam esse pollutionem, non autem legitimum Matrimonium, verè pronuntiavit Siricius.

Tan-



Tandem hujus Seculi Pontificibus immiscere voluerunt Conradus Halberstatensis & Magdeburgici Leonem quemdam nomine, quem scribunt Arianum fuisse, & eodem mortis genere obiisse, quo Arius perit, Verùm de hoc Leone nihil meminerunt Scriptores omnes Veteres, nimirum Hieronymus, Augustinus, Optatus, Theodoretus, Ruffinus &c. Eiusdem etiam mentionem nullam faciunt Recentiores, ut Sigebertus, Martinus Polonus, Platina, & quotquot sunt alii alicujus nominis Historici. Qualem igitur novum Leonem, aut novum Arium confinxerit Halberstatensis, satis patet. Notârunt hoc ipsimet Magdeburgenses, sed non ad satietatem; ajunt enim, hanc de Leone Papa opinionem non esse improbabilem. His scilicet improbabile illud non est, quod non est evidentissimè falsum, ipsis falsitates nimium amantibus.

Cæterum si vitæ exitus Aarii & hujus putatitii Leonis tantopere displicet Halberstatensibus & Magdeburgicis, cur ad Lutheri & Calvinii mortem non magis reflectunt mentis oculos? de quorum utroque testantur Authores fide non indigni, eos interijisse morte haudquaquam honorifica, Lutherum nempe potu nimio crapulosum somno obrutum fuisse ultimo; Calvinum verò & Herodem ejusdem mortis genere extinctum fuisse, morbo nimirum pediculari. Verùm negabunt hoc utrumque tam Calviniani, quàm Lutherani, vel si inficiari nequeant, dicent ejuscemodi vitæ exitum sæpè non fuisse deterioris vitæ aut mortis indicium. Equidem & hoc non negabunt Romani, præsertim si melioris vitæ argumenta mortis horam præcesserint. Cur verò Hübnerus & alii ineptissimi critici tantopere sibi complacent in morte Philippi II. Hispaniarum Regis? cùm hoc de Rege Historici alii notæ melioris & numeri majoris scribant, eundem febrium & arthritidis doloribus fuisse confectum. Adhæc quòd inter heroicis virtutum actus, & raræ patientiæ exempla vitam mortalem finierit, nec ipsos hostes latet. Non est igitur, cur

sic immorentur Hispaniæ vermibus & pediculis

Historici Lutherani,



## Seculum Quintum.

## XLII. D. Innocentius I. Albanus.

**A**D. Hieronymo etiam summè laudatus Pontifex laudari ab omnibus est meritum ob id maximè, quòd Ecclesiam ab hæreticis purgare impensè studuerit; Pelagium enim cum sociis Coelestio & Juliano Divinorum auxiliorum hostibus condemnavit: parvulos proin ex Christiana matre susceptos contra eorum doctrinam Baptismatis undâ lavari præcepit, quos non minùs, quàm Paganorum liberos protoparentum nostrorum peccatò contaminatos esse semper didicit, & docuit Orthodoxa Ecclesia. Laudem maximam Innocentio dixerunt etiam Donatistæ, quorum plurimos ejuratâ hæresi ad Ecclesiam reverbos benignissimè fuit amplexus, osculum pacis eisdem etiam tribuens; quem morem in officiis ad aram solennibus observari præcepit, & editò decretò confirmavit. Præceptum aliud reliquit, quo feriâ quintâ in cœna Domini consecratam hostiam, ut vocare solemus, in sequentem diem pro Sacerdote & infirmis servari iussit. Encomiò prorsus digna sunt, quæ pro D. Joanne Chrystostomo Episcopo Constantinopolitano egit; huic enim contra Theophilum Alexandrinum, & Arfacium geminos Episcopos, quorum vi ac fraudibus sua è sede Chrystostomus pulsus fuerat, constanter patrocinatus est; eodem dein exule mortuo Arcadio Imperatori Theophili protectori cum Eudoxia Augusta conjugè Ecclesiæ aditu interdixit, epistolâ severitatis plenâ ad utrumque datâ. Post peractam pœnitentiam in Ecclesiam ab Innocentio receptus Arcadius & Eudoxia, Numini tamen severas dedere pœnas; dedit verò idem Numen D. Innocentio finem vitæ felicissimum anno 417. Pont. 15.

## XLIII. D. Zosimus, Græcus.

**C**OELESTIUM atque Pelagium socios ab Innocentio jam condemnatos iterum condemnavit, detegens simul eorum fraudes, quibus Orthodoxæ Fidei se addictissimos esse simulârunt, ut toti Ecclesiæ imponerent. Ducenti Episcopi tunc congregati Carthagine



thagine testimonium dixerunt adversus Pelagianos : tot itaque Patrum Decreta auctoritate Apostolica probavit atque confirmavit, simulque perfectum dedit, ut teste Hipponensi Præsule hæresis Pelagiana toto orbe damnaretur. His ritè peractis animum adjecit ad Parochias minores, in quarum sacris ædibus non minùs cerei Paschalis lumen requisivit, quàm in Parochiis majoribus. Clericorum adhæc statum sibi commendatissimum habuit, quos sic initiari Sacris Ordinibus præcepit, ut ritè priùs eos susciperent, quos Minores dicimus. Mores verò eorundem ita compositos esse desideravit, ut nec ipsi popinas facilè ingrederentur hospites nec vinum venale aliis porrigerent, memores potiùs animarum curandarum, quàm corporum : animarum omnium certè curam ipse gessit supremam eò usque, donec suam egit animam annò 418. Pont. 1. & 4. Mens.

#### XLIV. D. Bonifacius, Romanus.

**D**UM supremam Sedem conscendere paravit, Eulalium sibi oppositum obicem offendit, quem tamen Honorius Imperator continuò Urbe ejecit, ut tranquilla Sedes Bonifacium exciperet. Sublato hoc schismate turbas excitavit Julianus Capuæ Episcopus sectâ Pelagianus ; geminas is dedit epistolas multorum mendaciorum, & latentis hæresis indices, alteram Romæ, alteram Theffalonicæ aperiendas. Utramque aperuit Bonifacius ; utramque refutavit Augustinus, editâ adversus Julianum insigni Apologia, quam Bonifacii dedicavit honoribus. Varias deinde variorum Episcoporum judicavit causas, crebris ostendens exemplis, quanta pollerent potestate Romani Pontifices in Episcopos omnes reliquos. Cæterùm è Clericorum numero exclusit servos atque ære alieno oppressos, ne aut Sacerdotia vilescerent, aut obæ-ratis fieret turpe aylum. His aliisque in Ecclesia ritè ordinatis res suas Bonifacius composuit anno 423. Sedis 4. Mens. 9.

#### XLV. D. Cœlestinus, Romanus.

**D**AMNATA hæresi Nestoriana Salutationem Angelicam his auxit verbis hominum imbecillitati admodùm consentaneis : *Sancta Maria Mater DEI, ora pro nobis peccatoribus &c.* Mariam enim, Virginem DEI Matrem vocari dum Nestorius suis cum



cum sectatoribus noluit, Pontifex antiquum Ecclesiæ morem præcepto novò confirmaturus, *DEI Matrem* vocari præcepit, variis adjutus Conciliis, inter quæ Ephesinum eminuit, ducentos facillè numerans Episcopos, à quibus ter invitatus Nestorius haud comparuit pessimo exemplo futurus feris etiam hæreticis. Furentibus in orientis plaga Nestorianis, occidentem versus Pelagiani zizaniam spargebant. In Britannia, Scotia & Hybernia noxium semen altas jam radices egerat, quas ut radicitus evelle-  
rent, missi sunt à S. Cœlestino DD. Germanus & Lupus cum sociis, quibus respondit ingens laborum fructus Cœlestino maximè adscribendus, qui cum inter gravissimas Ecclesiæ turbas consenuisset, plenus meritis dissolvi cupijt, ut esset cum Christo & ejus Matre Virgine, cujus honorem defendit usque ad extremum spiritum, quem emisit anno 432. Pontificatus 8. 5. Mens.

### XLVI. D. Sixtus III. Romanus.

**E**PHESINI Concilii acta suò Pontificiò Decretò confirmavit, Joannem verò Antiochiæ Patriarcham cum S. Cyrillo Alexandria item Patriarcha amicitia vinculo conjunxit, obicem ponens damnis gravissimis ex discordia Episcoporum oriri solitis. Interea petitus ab Anicio viro nobili Romano quondam Consule calumniâ gravissimâ, qua jurata DEO Virgini Chrysonitidi nomine vim illatam fuisse à Sixto Anicius sparserat in vulgus. Concilium igitur Romæ continuo convocavit, in qua ventilari suam causam desideravit vir Virgineus: talis enim à quinquaginta septem Episcopis inventus est & judicatus, Anicius verò tanquam calumniator sacrilegus condemnatus, à Valentiniano Cæsare proscriptus, à Divina Nemese intra tempus trimestre è vita evocatus, à Sixto demum honorificentissimè tumulo illatus fuit, pro maledictor tantum beneficium recipiens. Alterum Virginitatis testimonium reliquit de se posteris, dum Magnæ Virginitatis honoribus erectam basilicam in magnificentissimi templi formam extendit, & argento copiosissimo exornavit. Præter hæc aliæ plurimæ ab Apostolorum Principe Petro admonitus, Petrum Chryso-  
logum Ravennæ Episcopum designavit, ex primo hominis aspectu eundem ipsum agnoscens, quem D. Petrus apparitione sua indicaverat. Hujus etiam aspectu fruiturus in coelum avolavit D. Sixtus anno 440. Sedis 8.

XLVII. D.



## XLVII. D. Leo, Etruscus.

**D** Leonem alii Demosthenem, alii sacræ eloquentiæ Tullium, alii Theologiæ Homerum, alii Petrum in Sede Pontificia, alii Paulum in Cathedra, alii demum Leonem undique magnum dixerunt. Magnum profectò confessus est ipse Attila Hunnorum Rex in agnum ex lupo pene mutatus ob præsentiam Leonis, cuius latus stipari à cœlesti quodam, eoque armato genio Rex paganus asseruit, fide humana eò dignior, quò à Fide Divina fuerat remotior. Magnum esse testatus est Genfericus Vandalorum Rex, qui ne Urbi captæ faces subderet, simulque à cædibus atque ignominiiis abstineret, unus Leo evicit. Magnum etiam dixit Chalcedonensis Synodus, cuius acta Leo comprobavit, Eutychen verò cum Dioscoro atque Nestorio condemnavit. Placuit eadem comprobatio eademque damnatio plurimum sexcentis atque triginta Patribus, quorum vox unanimis hæc fuit: *Leo sanctissimus, Apostolicus & Oecumenicus Patriarcha permultos annos vivat.* Enimverò acta Leonis placere potuerunt tanto Patrum Concilio; eadem namque omnium Pontificum I. D. Petrus legit & emendavit, ad cuius in sepulchro jacentis pedes Leo deposuit, atque has inter D. Petri voces recepit: *legi, emendavi.* Non minoris æstimârunt Leonem omnes in Orthodoxo orbe Episcopi, in quos Supremam Potestatem ita exercuit, ut eorum multos ab officio removerit, multos monitis emendârit, multos eòsque muneri suo intentos encomiis extulerit.

Summa veneratione prosequi studuit Mysterium Incarnationis Dominicæ Sacratissimum, quod Ecclesiæ totius curæ ac cultui commendatissimum, in annos singulos esse voluit. Aliis in S. Liturgia orationibus addi præcepit: *Orate fratres &c. hanc igitur oblationem &c. Sanctissimum Sacrificium, Immaculatam Hostiam &c. Itē missa est.* Ivit Leo ad plures inter Divos etiam Magnus an. 461. Pontificatus 21. non completo.



## XLVIII. D. Hilarus, Sardus.

**C**ONSECRATUS Pontifex encyclicas litteras quamprimum dedit ad quosvis toto in orbe terrarum Episcopos. Caput litterarum alterum continebat Nestorii, Eutychetis, Dioscori & aliorum novatorum damnationem; alterum verò confirmationem trium Oecumenicorum Conciliorum Nicæni, Ephesini & Chalcedonensis. In Hispania deinde quorundam Episcoporum acta rescidit, qui sibi in dioecesi sua successores eligere non dubitabant. Aliorum etiam tum Episcoporum, tum Clericorum mores datis epistolis castigavit, ubi eos quoque è numero Sacerdotum excludi præcepit, qui quondam uxorem viduam duxissent. Macedonios etiam hæreticos, licet Anthemii Imperatoris favore suffultos, magnò animò Româ expulit, principiis periculosis continuò occurrens, ne suâ morâ noceant. His egregiis Pontificis factis accessere miracula, quibus conspicuus diem suum obiit an. 467. Pont. 5. m. 10.

## XLIX. D. Simplicius, Tiburtinus.

**D**ECRETUM edidit, quo Ecclesiasticorum proventuum partem Episcopo, partem alteram fabricæ, tertiam pauperibus, ultimam denique Clericis officio suo ritè fungentibus deberi declaravit: quorum ultimis animarum curam ac zelum sedulò commendavit; hebdomadarios proin Sacerdotes constituit, ut servato ordine fidelibus ritè pia ac sacra ministrarent. Multum negotii tunc faceffivit Simplicio Anatolius Constantinopolitanus Patriarcha, qui sedem suam supra reliquas exaltaturus suas in partes traxit Leonem Imperatorem. Verum spe sua exciderunt & Anatolius & Leo, cujus privilegii à Chalcedonensi Synodo, ut aiebat, sibi concessis more Antecessorum suorum constanter contradixit, quòd Primatum Romanæ Ecclesiæ haud obscure convellerent. Pari fortitudine Petrum Alexandria Patriarcham anathematis sententiâ condemnavit, quòd Eutychianæ hæresi subscriberet. Tempore Simplicii augmentum sumpsere Comprecationes fidelium publicæ, quas longa procedentium serie per urbis compita, vicos & agros primum Gallicana, dein verò toto in orbe reliquæ instituerunt Ecclesiæ. In Imperio



perio cuncta turbata fuerant externis populis tum in Germaniam, tum in Italiam irrumpentibus; trecentorum igitur annorum interregnum Romanos inter Imperatores intercessit, Momylô Augustulô Imperium hic finiente. Finem vitæ & Pontificatui suo imposuit longè nobiliorem Papa Simplicius post annos Sedis 15. Christi 483.

### L. D. Felix III. Romanus.

**D.** GREGORII Magni Atavus vix fuit Summa in Sede collocatus, quamprimùm Zenonis Imperatoris Enoticon, utpote Orthodoxæ Ecclesiæ dogmatis summè contrarium rejecit, probè gnarus, nequaquam Romanam Ecclesiam obnoxiam esse compositioni illi, quali inter sese dissidentes sæpe Repes transigunt, & partes mutuò cedant partibus, ut arma sileant. Integritatem nempe summam servat Catholica veritas, haud patitur minui, nec mutilari, transactionis omnis expertus. Non minùs fortiter resistit Acacio & Petro Fulloni hæreticorum Fautoribus, quorum hic Antiochenæ, ille verò Constantinopolitanæ Ecclesiæ Episcopus præerat; utrumque enim examinatâ eorum causâ & culpâ dictâ anathemate proscripsit. Extra Ecclesiæ gremium mortuus est uterque finem vitæ imponens tristissimum; tristiori verò fato extinctus est Zeno vivus adhuc tumulo illatus. Diversa longè mors fuit D. Felicis; post obitum enim suum totus splendidus Tarillæ nepti suæ D. Gregorii amitæ apparuit, relinquens argumentum vitæ suæ & mortis optimè transactæ, sedit an. 9. mortuus 492.

### LI. D. Gelasius, Afer.

**D.** AUGUSTINI quondam discipulus à Vandalis ex Africa pulsus Romam venit secum ferens D. Augustini Regulam à Clericis Regularibus jam antè observatam, & à Leone I. confirmatam. Creatus tum Romæ Pontifex Anastasium Orientis Imperatorem Ecclesiæ Primatui unâ cum aliquot Episcopis resistentem in Concilio Romano refutavit, & contumaces anathemate confixit; in eadem proin Synodo declaratum fuit, primum locum deberi Sedi Romanæ, secundum Alexandrinæ, tertium Antiochenæ; inter Syno-



dos verò Oecumenicas primò locò venire Nicænam, secundò Constantinopolitanam, tertio Ephesinam, quartò Chalcedonensem. In eodem Concilio actum fuit denuo de quatuor partibus bonorum Ecclesiæ, firmatúmque, quod statuit Pontifex Simplicius. Dum hæc Romæ agebantur, Manichæi suam hæresin latè spargere laborabant. Inter reliquos errores hunc propugnârunt maximè, *Christi Corpus absque vero Sanguine fuisse*. His igitur ut contraveniret Orthodoxa Ecclesia, Gelasius sub utraque specie sacram Synaxin etiam Laicis impertiri præcepit, jam tum demonstrans ex Ecclesiæ arbitrio pendere, nunc unam S. Eucharistiæ speciem, nunc utramque fideli populo concedere, si varii rerum eventus in Ecclesia deposcerent varietatem. Cæterùm Præceptum istud eò usque duravit, dum hæresis evanuit. Decretum quoque cunctis promulgavit, in quo erat legere Catalogum librorum tam Veteris, quàm Novi Testamenti, ut ab Apocryphis Canonici ritè discernerentur. Hoc ipso tempore è sua eremo prodiens D. Benedictus instar solis toti apparuit orbi, dum nempe D. Gelasius disparuit in terris, oriturus in cœlo inter sydera majora sydus novum, an, 496, Sedis 4.

## LII. Anastasius II, Romanus.

**A**NASTASIUM Orientis Imperatorem inter persecutores suos expertus est facilè maximum ob Acacii Constantinopolitani quondam Episcopi, tum verò hæretici, errores constanter condemnatos. Vim omnem facilè elusit Anastasius Pontifex. Igitur ad fraudes confugit Anastasius Imperator, quibus operâ Festi Senatoris Romani, hominis versipellis, adeò victum fuisse scribit Gratianus cum sequacibus parùm cautis Historicis, ut ab hæresi vix immunis fuerit Romanus Pontifex. Verùm contraria omnia de eodem testantur CC. Baronius & Bellarminus, atque alii plures notæ melioris Historici. Et sanè vel nunquam Festi fraudibus per suummet arbitrium pariturus fuisset, etsi longiùs vixisset Anastasius, vel saltem ut malè non posset agere, è vivis in tempore ereptus est divinitus, an, Sedis 2.

Christi 498.

*Reflexio-*



*Reflexiones Historicae supra V. Seculum.*

**U**NDECIM hoc Seculo numeravimus Summos Pontifices; Si novatorum super his audiamus iudicium, quinque ex illis turpiter sua in doctrina errarunt.

Primum eorum fuisse dicunt Innocentium I. Secundum Coelestinum. Tertium Leonem I. Quartum Gelasium. Quintum Anastasium II. Singulorum nunc errores, aut potius adversariorum erronea iudicia considerabimus.

Primus Innocentius trium à Magdeburgensibus errorum reus notatur. Primus error est : *Innocentius praecepit, ne recipiatur virgo jam velata ad poenitentiam, quamdiu vivit ille, cui vel nupsit, vel quocum fornicata est.* Secundus error : *Innocentius docuit, ratum quidem esse Baptismum ab Arianis collatum, sed non per eosdem conferri Spiritum Sanctum; quia se ab Ecclesia separarunt.* Tertius est : *Innocentius docuit, Sacerdotem non posse esse eum, qui viduam in uxorem acceperit, cum Moyses in Levitico praecipiat, ut Sacerdos Virginem uxorem accipiat.*

R. Si Magdeburgenses maturius considerassent doctrinam de velatis jam virginibus traditam, puderet enimverò ipsos erroris sui: non enim locutus est Innocentius de velata virgine, quæ post perpetratum peccatum ferò contrita revertitur ad Dominum; sed de tali, qualem sibi perpetuò sacrilegii vinculo junxit Lutherus & Calvinus; atque tales non recipi poterant ad poenitentiam, quamdiu vixerunt Lutherus & Calvinus; qui nunquam intra se dixerunt, cupio dissolvi & esse cum Christo, sed potius volo magis ligari, & semper esse cum Lutero meo aut Calvino.

Secunda Innocentii doctrina etiam non sincerè refertur: docuit enim eo in casu validum esse Baptismum, in quo casu tam baptizans, quam baptizandus esset formalis hæreticus, qui haud dubiè suam ob pertinaciam non accipiunt Divini Spiritus gratiam.

Tertia item doctrina plurimum corrupta traditur à Magdeburgicis; Innocentius enim sic ratiocinatus est: tenebantur Sacerdotes in Testamento



mento Veteri ex Divino Præcepto non ducere uxorem viduam ; ergo multò minus convenit Sacerdotibus novæ legis uxorem ducere, quæ unquam fuerit vidua. Hanc profectò ob convenientiam, quod DEUS non præcepit, potest præcipere Ecclesia, ita tamen, ut suum, non Dei Præceptum semper agnoscat, atque adèò dispensandi facultatem sibi semper retineat. Tandem quis hos Innocentii errores notavit per undecim Secula ? certè nullus amicorum, nec inimicorum ; uti etiam nullum pro se attulerunt Magdeburgici. Dicent equidem ; adsunt epistolæ, relicta nobis contra Innocentium propria testimonia.

R. Adsunt epistolæ, quas legerunt ante Magdeburgicos Episcopi & Doctores plurimi, & præter hos inimici innumeri, nec tamen ullus eorum sic legit, aut intellexit, velut legerunt Magdeburgici : ostendant enim hi ipsi, quòd nullo unquam ante ipsos tempore error talis à viris gravibus vel fuerit notatus, vel refutatus, vel in praxin ab Ecclesia Romana deductus ? doctrinas nempe Pontificum, quæ vel ad Sacramentorum administrationem pertinent, vel ad hominum actiones referuntur, non speculando tantùm, sed operando maximè veneratur nostra Ecclesia, ita ut à malo declinet, & bonum faciat.

Secundus D. Coelestinus accusatur, quòd *heresi Nestoriana fuerit infectus.*

R. Vehementer deceptus est Laurentius Valla D. Coelestini criminator : duo namque eodem ferè tempore erant Coelestini, unus hæreticus Pelagianus simul & Nestorianus. Alter fuerat D. Coelestinus Pontifex, qui præcipuè Nestorii hæresin condemnavit, uti constat ex toto Concilio Ephesino. Ecce quantum sibi hæc duo convenient ! Coelestinus ex testimonio Oecumenici cujusdam Concilii condemnavit præcipuè Nestorii hæresin, & tamen ipse fuit Nestorianus. Nonne etiam hæc duo maximè quadrarent ? Lutherus præcipuè Papiſtas damnavit, & tamen ipse fuit Papiſta ?

Tertius D. Leo duos errores docuisse dicitur : primus eorum est, quòd *mulier non peccet, si nubat alteri viro, dum existimat, primum maritum vivere, sed ad se nunquam rediturum amplius.* Alter error est, quòd *mulier possit manere cum secundo marito, si primus ad eam redire nolit.* Quem posteriorem hunc errorem atrò valde calculò notarunt Magdeburgici.

Ad utrumque expedita est responsio. Ad primum. D. Leo, de qua muli-



muliere loquatur sua in epistola, ipse disertè explicat : loquitur autem de illa, quæ nubit vivente adhuc marito, quem tamen ipsa per invincibilem ignorantiam mortuum fuisse existimat. Et talis secundum D. Leonem non peccat. De illa verò muliere, quæ nubit alteri viro, dum existimat suum priorem maritum etiamnum vivere, nunquam dixit D. Leo, quòd non peccet. Si objiciant hic AA. *Leo Pontifex non dicit ibidem, quòd peccet; ergo dicere voluit, quòd non peccet.* Verùm quàm mala hæc sit sequela, neminem latere potest, cui cerebrum in capite est reliquum. Similis nimirum huic foret sequela prior: *Leo Pontifex non dicit, Lutherum ex Monacho fore maritum: ergo dicere voluit, ex Monacho non fore Maritum.* Hæc est Dialectica Magdeburgensium, non D. Leonis.

Ad secundum patet responsio abundantissimè ex ipsa D. Leonis doctrina; is enim velut omnes alii Romani Pontifices docuit semper, Matrimonium esse indissolubile. Quo igitur pacto alterum docere potuit? Id solum docuit, quòd si mulier nupsit alteri viro vivente marito primo, obligari eam mulierem, ut, relicto secundò redeat ad primum maritum, si tamen hic consentiat; si verò non consentiat, tam virum, quàm mulierem separatos manere oportere. Hæc fuit D. Leonis, & est totius Romanæ Ecclesiæ doctrina. Verùm longè est diversa Lutheri & sequacium. Mirum proinde est, quòd in alienis oculis festucam videre velint, dum in suis trabem retinent.

Quartus D. Gelasius ex Centuriatorum judicio duas tradidit sententias erroneas: prima est, qua docuit, *cum carne Christi manere in Sacramento verum panem.* Altera, *non posse sine ingenti sacrilegio sumi unam partem Sacramenti Eucharistiæ sine altera; cum tamen his nostris Seculis Ecclesia Romana tota contrarium doceat & exerceat, atque adeo Ecclesiæ veteri verbis & factis contradicat.*

R. Ad primum, inveniri quidem hunc errorem in quodam libro, quem tamen nequam scripsit Gelasius Papa, sed quem Gennadius ad Gelasium Pontificem scripsit. Vel certè eundem scripsit Gelasius alius, Cæsariensis nempe Episcopus, de quo meminit D. Hieronymus in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum. Plura legantur in C. Bellarmino.

R. Ad secundum, Gelasium ibidem solum loqui de Sacerdotibus, non verò de Laicis. Et hæc est responsio C. Bellarmini. Verùm concedamus



mus Centuriatoribus, etiam de Laicis locutum fuisse D. Gelasium. An ideo malè locutus est, aut malè docuit? minimè gentium. Docuit nimirum, quòd stante & durante Ecclesiæ Præcepto de utraque specie etiam Laicis impertienda non liceat Eucharistiam sumere sub una tantùm specie, & quidem sub reatu gravis culpæ, seu sacrilegii; veluti nunc aut docent aut discunt omnes Catholici, non licere Laicis sub gemina specie impertiri Eucharistiæ Sacramentum, postquam mutatum est Ecclesiæ Præceptum. Fuisse autem eo tempore Ecclesiæ Præceptum de utraque specie sumenda à D. Gelasio Pontifice omnibus impositum, videre est in eisdem gestis. Cæterùm fingamus, D. Gelasium præcepisse, ut sub una tantùm specie sacram Synaxin sumerent Laici; Lutherani certè uno ore omnes clamarent, Gelasius erravit, Gelasius fuit Anti-Christus, qui alteram S. Eucharistiæ speciem abrogavit.

Quintus denique Anastasius II. trium accusatur errorum à Magdeburgicis præcipuè. Primus error est, *quòd communionem habuerit cum Photino, & fortè etiam Acacio hæreticis sine ullius Concilii consensu aut presentia*. Secundus error est: *quòd voluerit occultè revocare & absolvere Acacium, quem tamen damnaverant DD. Felix & Gelasius Pontifices*. Tertius error est: *quòd Anastasius approbavit Ordines & Baptismata ab Acacio collatos*. Atque ob hos errores, dicunt Magdeburgici, hunc Pontificem morte improvisa divinitus fuisse extinctum.

R. Nisi perpetuò errare jam consuevissent Magdeburgenses, non tam facilè accusassent Anastasium ullius erroris. Non itaque error est, si Summus Pontifex agat cum hæreticis etiam excommunicatis absque Concilio. Imò quivis alius homo privatus ex tali consortio laudem refert, quale vel consilium vel necessitas suasit. Adde, quòd neutiquam probarint Magdeburgenses, Anastasium cum Photino communionem habuisse.

Secundus error rursus est Magdeburgensium, non Anastasii: Acacium enim revocare amplius non potuit Anastasius, cum Felicis III. tempore jam fuerit mortuus Acacius, uti ex Evagrio, Nicephoro & Liberato demonstrat C. Bellarminus.

Tertius error non minùs Magdeburgensium est turpissimus; ostendunt enim, se nescire, Baptismum à quibusvis, Ordines verò etiam ab hæreticis, modò fuerint aliquando veri Episcopi, validè conferri. Tri-  
bus



bus erroribus accedit quartus à Magdeburgicis commissus, dum scribunt, morte divinitus immissa, & quidem propter commissos errores fuisse sublatum Anastasium. Quòd enim pluribus quàm duobus annis Pontifex non fuerit, constat omnibus; quòd morte improvisa, & quidem propter commissos errores à Deo fuerit sublatus, nemini constat, quàm Magdeburgicis. Quidsi autem constaret, quid quæso pro Lutheranorum partibus sequeretur? sanè nihil adverto, quàm hoc, quòd Deus nolit, ut Romani Pontifices in rebus Fidei errent. Ceterum hic error Magdeburgicus credendus est manasse ex eo, quòd eodem pene tempore Anastasius Imperator hæreticus fulmine percussus perierit, ut scripserunt Beda, Cedrenus, Zonara & Paulus Diaconus.

His addi possent Reflexiones aliæ supra hoc Seculum permultæ, ex quibus Romanorum Pontificum summa laus eluceret. Sed eas brevitatè causâ nos omitimus; legi enim eadem possunt apud authores passim, præcipuè verò apud Christophorum Ott, qui quinque supra hoc Seculum animadversiones satis longas affert, in quarum prima differit de Innocentia & Sanctitate Romanorum Pontificum hujus Seculi. In secunda de Primatu Ecclesiæ Romanæ in hoc Seculo iterum demonstrato. In tertia & quarta de Constantia Romanorum Pontificum & Ecclesiæ supra Petram ædificata; quod hoc etiam Seculo demonstratum fuisse ostendit. In quinta demum afferuntur Pontifices Siricius, D. Anastasius I. D. Innocens I. D. Zosimus, D. Celestinus, quorum temporibus vixit D. Augustinus annò nimirum 385, ad Romanam Ecclesiam conversus, annò autem 433. sanctissimè defunctus. Atque hi omnes Pontifices summè fuerunt à D. Augustino honorati, & tanquam Oecumenici Episcopi ab eodem agniti, prout ex allatis ejusdem D. Præsulis textibus palàm fit & ostenditur.

*Seculum Sextum.*

**LIII. D. Symmachus, Sardu.**

**P**ERDIFFICILEM auditum ad summæ Sedis fastigium invenit; Festus enim Imperatoris Anastasij adulator, ut Symmachum ad recipiendum Anastasij Enoticon commoveret faciliùs, aut minimum à summo officio removeret, Cælium Laurentium sacrâ purpurâ conscriptum Presbyterum eidem æmulum opposuit, dans ansam  
*R. P. Kolb Series Pont. Pars I.* I peri-



periculoso schismate. Post longam igitur seditionem, post cædes & rapinas sacrilegas Theodoricus Ravennæ Rex Arianus dedit quietem Symmacho, jus suum Pontifici legitimo tribuendum probè ratus. Eodem ferè tempore Anastasius Imperator in Oriente, Thrasamundus in Africa, Alaricus II. in Hispania, Theodoricus in Italia Reges pestiferam Arianæ sectam hac una in parte non dispares pertinacissimè propugnabant; quibus tamen omnibus vel unus Symmachus fortissimè resistit, causæ æquitate fretus & potentis Dei auxilio; Anastasium enim ferocem epistolâ Apostolicæ autoritatis plena officii sui admonuit; Theodorici edicta immunitati Ecclesiasticæ contraria spreto, capitis periculo nullius valoris esse declaravit; Thrasamundo electiones sacrorum Antistitum prohibenti in faciem resistit; contra Alaricum denique eminens pugnavit institutis sex diversis Romæ Conciliis, missisque in omnem terram per idoneis viris, atque distributis largissimis eleemosynis, ut omnium necessitati & inopiæ succurreret adversus omnes hostes invictus, victus tamen à morte an. 514. Pont. 15. Mens. 8.

#### LIV. D. Hormisda, Campanus Italus.

**V**IDIT tandem Anastasium Imperatorem coelesti fulmine percussum interiisse. Hoc Tyranno igitur sublato damnata est Zenonis & Anastasii Imperatorum, nec non Acacii, Euphemii ac Macedonii hæreticorum penitus memoria. Justinus in Imperio Successor pessimâ Anastasii vitâ & morte commotus Legatos sibi mitti à Summo Pontifice petiit, ut in Oriente lux nova oriretur Ecclesiæ & pax diu desiderata rediret. Illyricum, ubi nunc est Dalmatia & Croatia, aliæque vicinæ provinciæ in melius mutatæ Orthodoxos Episcopos petiere, ut omnem hæresin suis tandem finibus eliminarent. Sublato insuper in Africa Thrasamundo Theodoricus Rex Rege priori mansuetior, etsi hæresi Ariana infectus, munera tamen Romam misit in templo Divis Apostolorum Primoribus sacro reponenda. Idem in Christianum coetum benignior Ecclesiæ plurimum profuit, dum non obsuit; cum etiam gentes moribus barbaræ passim Baptismatis undas expeterent. Exemplo fortè fuerunt cæteris maximo Zatus Colchorum, & Elesban Æthiopum Reges, Ro-



Romana Sacra edocti. In Gallia quoque Respublica Orthodoxa indices crevit, dum Clodovæus Rex ejurato non ita pridem idolorum cultu cum omni nobilitate Francica mirè auxit & illustravit Ecclesiam. Idem acceptò Româ nuntiò de nova Pontificis electione, continuo Hormisdæ auream misit coronam, corona cælesti Rex dignissimus, quam paulò post adeptus est annò 514. Clodovæo licèt è vivis ereptò gratissimum se ostendit Hormisdæ toti Galliæ; Remigium enim Francorum Apostolum & Alcum Avitum Viennensem Episcopum privilegiis auxit permultis, suas etiam eisdem vices committens, ut populo Francico cunctis in rebus adessent. Non absimilem charitatem Lusitanis atque Hispanis exhibuit; his enim Joannem Tarracónensem, illis verò Salustium Hispalensem Episcopum amplissima cum potestate præfecit. Hoc maximè modo perfunctus Pontificio munere Hormisdæ, vitam sanctissimam finiit morte, vitæ perquam simili an. 523. Sedis 9.

### LV. D. Joannes, Etruscus.

**T**HEODORICO Gothorum in Italia Rege vix non cogente, Ecclesiæ autem emolumento idipsum suadente, Constantinopolim profectus, Legatiquè regii munere ipse functus, geminò in via claudit miraculò: equus enim ab Illustri Fœmina Joanni commodatus, nequaquam deinceps supra se admisit sexum fœmineum. In primo etiam suo Constantinopolim adventu, præsentè Justino sola manuum impositione cæco visum dedit. Tantum igitur Pontificem summè veneratus Justinus ab eodem Imperii coronam omnium Imperatorum primus accepit; DEUS verò D. Joanni coronam gloriæ impertivit post ærumnas carceris, in quem à Theodorico Rege ingratisimo fuerat conjectus, quòd Constantinopoli Romam redux aliquot Arianorum templa more Romano consecravit, & alia ab Episcopis consecrari præceperit. Duos itaque duntaxat annos Pontifex fuit Joannes I. annis D. Petri dignissimus, Mort. an. 526.

### LVI. D. Felix IV. Beneventanus.

**A**THEODORICO Rege Jura Ecclesiæ invadente substitutus est mortuo D. Joanni. Verùm constanter ab universò Clero populòque Romano repulsus, tum demum admissus est, postquam



quam Theodoricus ventris profluvio turpem exoneravit animam. Ne verò exemplum Regis mortui pessimum Successor Athalaricus sequeretur, timuit universa Romæ Ecclesia; verum is auditis querelis justissimis, simulque hortatu D. Felicis motus, vim ullam fieri Clericis severe prohibuit. Felix igitur Pontifex expiatis rite Arianorum templis permultis in Ecclesia adversus hostes plurimos militante, adit denique triumphantem an. 530. Sed. 4.

### LVII. D. Bonifacius, Romanus.

**D**IVISAM doluit Ecclesiam, dum à Clericorum parte Dioscorum Presbyterum Cardinalem sibi oppositum vidit. Perniciosissimum fuisset hoc schisma Reipublicæ Christianæ, nisi Superi quamprimum avertissent; Dioscorus enim dum subitanea morte corripitur, Bonifacius continuo universis probatur. Confirmatus itaque Pontifex in Synodo Romæ habita constituit præter alia, ut deinceps, si fieri posset, in demortui Pontificis locum tertia quamprimum die, Successor novus Pontifex succederet, ne dilatio electionis longior schismati aliisve damnis gravibus locum daret. Hanc ob causam Vigiliam Romanam Diaconum in Successorem sibi delegit edito decreto, cui ad tumultum D. Petri universa Synodus subscripto nomine consensit. Verum id ipsum Decretum re maturius discussa Decreto contrariò revocavit, æque bonique consulens, Majorum more ac jure provisum Ecclesiæ satis fuisse. Curam dein omnem ad Eutychianos convertit, quos instar Iolij denuo succrescentes tota urbe expulit, expulsurus Orbe toto, si per vires ac vitam liquisset, quam mors abruptit an. 531. Sed. 1.

### LVIII. Joannes II, Romanus.

**S**UMMO in honore fuit præsertim Justiniano Imperatori, cujus Fidei Symbolum approbavit, Acæmetanos verò Monachos eidem pertinaciter contrarios condemnavit, Filium Divinum in Carne passum perpetuo asserens ita, ut nequaquam soli hominis naturæ talia posse adscribi oraculo confirmaret. Placuit Orthodoxis universis, & inter hos Justiniano maximè oraculum; unde ille pretiosissimis donis ornavit



ornavit Romanam Ecclesiam, & ejusdem Summum Sacerdotem. Verum vicit brevi Imperatoris in se suosque munificentiam Summus Remunerator Deus, concedens Cæsari adversus Vandalos in Africa raram victoriam, & post victoriam triumphum, in quo Constantinopoli per compita ductus Rex Vandalorum Gilimer agnovit in victore suo coeli potentiam. Eodem tempore Carthaginem convenerant plurimi in Africa sacri Antistites, ut collecta Synodo novum vigorem darent Africanæ Ecclesiæ ab Arianis cæterisque Religionis nostræ hostibus plurimum turbatæ. Missis igitur Romam Legatis rem cunctam Pontificis arbitrio decidendam subjecere, ad cujus tamen pedes dum se pronos abicere parant, jam tumulo illatum hunc Pontificem intelligunt an. Sed. 4.

### LIX. D. Agapetus, Romanus.

**J**USTINIANAM Fidei professionem jam à Joanne II, probatam iterum probavit, dein verò Theodati Gothorum in Italia Regis rogatu Constantinopoli venit, ut in ejus Regis gratiam Imperatorem mitigaret ob occisam perfidè Amalasiuntham Reginam naturæ ac gratiæ donis mirè dotatam. Humanissimè igitur à Justiniano susceptus Agapetus, ipsum Imperatorem Eutychna hæresi infectum agnoscit, à qua tamen eundem etiam brevi immunem reddidit, postquam extrema omnia ab irato Imperatore minis proposita experiri statuit, quàm in Patriarchæ Anthymi, aut Justiniani placita vel modicum inclinare. Deposito itaque Anthymo, Imperatore autem in fide confirmato, Synodum Constantinopolitanam, inter Oecumenicas V. præcipuè adversus Severum Antiochiæ Episcopum Imperatricis Theodoræ operâ suffultum celebravit, quem suis cum sociis condemnavit, nihil veritus minas Augustæ, victò jam Cæsare fortissimus. Sacro anathemate perculit ipsum etiam Childebertum, Clodovæi in Gallia Regis Regem Filium, quòd Ivetoti Episcopum manu propria occiderit. Refert quoque de Agapeto M. Gregorius testis tantum fide dignior, quantum tempore propinquior, quòd hominem mutum & claudum sacro prius epulò refectum signò crucis docuerit bene loqui & ritè ambulare; cum ipse ritè sedisset Pontifex annis ferè duobus, mortuus Constantinopoli an. 536, relinquens ingens sui desiderium & posteris dubium, num quisquam fuerit Pontificum, qui tam brevi tempore tam mira & magna patravit facinora.



## LX. Sylverius, Romanus, Ord. D. Benedicti.

**S**I Platinae Historico sit fides, plurimum valuit in electione hujus Pontificis autoritas, aut tyrannis verius Regis Gothorum Theodati: Clericis enim universis poenam mortis minatus est, nisi Sylverium Supremum sibi Praesulem praeficerent. Electus igitur à Clericis, atque adeo legitimus Pontifex, quod nollet Anthimum haereticum ex suo exilio revocare, ipse exul à Theodora Imperatrice & ab Antonina Bellisarii Ducis conjuge in insulam Pontiam est ejectus, promotò in solium Pontificis Vigiliò Diaconò Romanò, homine honorum avidissimo, pecuniis simul ac fraudibus Bellisarium corrumpente. Sylverius tamen licet Româ: motus sua secum tulit omnia, non minus, quàm antea Pontifex, his verbis rescripsit ad Amatorem Episcopum: *sustentor pane tribulationis & aqua angustiae, nec tamen dimisi aut dimitto officium meum.* Et profectò haudquaquam dimisit; convocatis enim ad se exulem permultis Episcopis, Vigilium ejusque affectas Romanae Sedis invasores sacrilegos declaravit, latâ in omnes anathematis sententiâ. Abreptus itaque à Vigiliò in carcerem brevi ærumnis ac inediâ extinctus est an. 549. Sedis 4. vitam ejusdem & mortem probârunt miracula, ut Vigilius vitam & causam reprobarent magis.

## LXI. Vigilius Romanus.

**V**IRI Consularis filius Sylverii Pontificis persecutor maximus, perspectâ Sanctissimi Antecessoris sui innocentiam ac integritate miraculis etiam demonstrata, melioris vitae methodum amplexus est, aliena morte vivere doctus, ut sanctius posset mori. Sedis enim summæ honores non ambiit ut quondam, subesse jam, non praesse paratus. Eam ob rem nunc tandem à Clericis legitimè electus Pontifex, Fidei Professionem Justiniani & Mennæ Constantinopolitani Episcopi ex more datam laudavit. Ecclesiam tunc turbare coepit discordia gravissima, ob *tria*, uti vocârunt, *Capitula*. Tres Episcopos eadem maxime tangebant, Theodorum nimirum Mopsuestiæ, Theodoretum Tyri, & Ibam Edeffæ Episcopos, Nestorii pridem condemnati haud obscuros amicos. De industria res omnis ita fuerat instructa à Capitulorum vel auctoribus

vel



vel adjutoribus, ut suas in partes traherent Episcopos Africa, provinciæ Venetæ, Liguria, Epiri & Illyriæ, imò ipsum Vigilium Pontificem. Verùm hic rei veritatem edoctus continuò condemnavit quoad multos errores memorata Capitula, ea tamen ratione, ut eadem damnatio minimè contraveniret actis Concilii Chalcedonensis, in quo trium Capitulorum authores nec fuerant probati, nec etiam condemnati. Haudquaquam grata erat hæc Pontificis sententia Justiniano, utpote qui pessimis consiliis, quæ Theodorus alter, Alexandria scilicet Episcopus, Origenis propugnator hæreticus suggesserat, persuasus edictis geminis tria Capitula penitus condemnarat Ecclesiastici Juris inuasor. Perstitit sua in sententia uterque tam Vigilius, quàm Justinianus: partes Cæsaris suis sententiis tuebatur Concilium invito Vigilio Constantinopoli celebratum. Hujus igitur autoritate audacior Justinianus Vigilium capi, in carcerem detruði, & dura captivitate penè ad mortem adduci jussit. Tandem tamen sedatâ irâ mitior Imperator cum Vigilio in gratiam rediit, qui proin re maturis consiliis denuo subjecta Concilium Constantinopolitanum approbavit, tria verò Capitula penitus condemnavit, ne videretur aut Nestorio, aut Origeni ulla ex parte favere, quorum sectarios cum Acephalis, Severianis & Eutychianis etiam ipse exemplo majorum rejecit. Rebus ita compositis, postquam integrum septennium Constantinopoli transegerat, Syracusas Siciliae pervenit, ubi calculi dolore confectus Romam haud vidit amplius, ex itinere longo adiens viam æternitatis, an. 555. Sedis 15.

## LXII. D. Pelagius, Romanus.

**N**ONDUM Pontifex trium Pontificum Constantinopoli Legatum egit, scilicet Agapeti, inde Sylverii, ac demum Vigilii; cujus ob exilium ac mortem suspectus Clericis Romanis, suspensionem omnem à se amovit, dicto super Evangelii librum & crucis effigiem sacramento. Probatus igitur cunctis Pontifex adversabatur etiam per aliquod tempus Justiniano Imperatori ob tria Capitula. Eidem tamen postea ad eò gratus extitit, ut Romam revertenti D. Proto-Martyris Stephani Reliquias dono dederit Constantinopoli Romam transvehendas. Synodum Constantinopolitanam nuper habitam etiam ipse confirmavit, & ut exemplum hoc sequerentur in Oriente Episcopi permulti, effecit,

Fatis



Fatis dein brevè concessit, quæ simul ac ejus vitam illustravit Epitaphium veritate potiùs & simplicitate, quàm arte commendatum. Sedit an. 4. Mens. 10. Mort. 559.

### LXIII. Joannes III. Romanus.

**I**NTITIUM Pontificatùs sui fecit, dum à Narsete Justiniani belli duce Longobardi in Italiam vocati venerunt, daturi initium gravissimis malis, quæ per plures, quàm ducentos annos universum in Occidente Imperium transversum egerant. Surripuerunt eadem turbatissima tempora Historiæ facinora plura, quæ annis tribus supradecem, dum sedit Joannes Pontifex, patravit. Id tamen de eodem referunt, quòd Monasterium in Gallia omnium primum in honorem DEI Genitricis à Clotario Rege erectum, multis privilegijs munierit. Obiit an. 572.

### LXIV. Benedictus I. Romanus.

**D**BENEDICTI quondam Discipulus omni virtutum genere conspicuus, miro omnium consensu electus est Pontifex tempore pene omnium iniquissimo; Longobardi enim Italiam tam fædè vastaverant, ut plurimis cæsis Itatorum reliquæ fame ac peste ferè omnes fuerunt absumptæ. Tot malorum cumulò pressis haudquaquam defuit summa charitate flagrans in omnes Benedictus; datis enim ad Tiberium Imperatorem epistolis, copiosam annonam ex Ægypto advectam impetravit summò suò & miserorum solatiò. Tandem cunctis, ut valeret longiùs, optantibus, ipse mortalis vitæ pertæsus, crescente in dies labore ac dolore, vitam immortalem meliori in Sede est auspiciatus an. 577. Sedis 4.

### LXV. Pelagius II. Romanus.

**E**X Viro Ordinis D. Benedicti Religiosissimo creatus Pontifex D. Gregorium sacrâ purpurâ ornatum cum Legatione misit ad Tiberium Imperatorem, usus ejusdem potissimùm operâ ad extinguendum penitus schisma ob tria Capitula excitatum, quod tamen Smaragdus supremus Ravennæ Præfectus (Exarchum Itali vocârunt) de-  
que



niq̄ue extinxit, ad arma sumenda & hostes Ecclesiæ vincendos à Pelagio animatus. Extincto hoc schismate Ecclesiæ cantum magis auxit ac ornavit; Præfationes enim, uti vocat Ecclesia, complures sacro Canoni præmitti solitas approbavit. Non minùs probavit D. Leandri Hispalensis aliorumque in Hispania ardorem, quo ibidem Gothorum Reges cum subiecto populo ejurare hæreses docuerunt. Non ita laudavit quorundam in Oriente Præfulum causam, qui Episcopi Oecumenici sibi nomen adscivere: eorum igitur machinationibus præcepto novo inhibitis, Aquileiæ Patriarcham Venetias transtulit; oborta verò lite Venetos inter & Aquileienses, utrisque Patriarcham dedit, expertus probè, beatiùs esse Episcopos urbibus dare, quàm datos revocare. E vivis ipse evocatus est an. 590. Sedis circiter duodecimo pestifera lue extinctus.

## LXVI. D. Gregorius M. Romanus.

**F**UIT verè Magni Benedicti Magnus Discipulus, Ecclesiæ Doctor, Summusque ejus Pontifex, quem omnes boni è cœlo potiùs datum, quàm in terris natum meritò asseruerunt. Eundem his verbis descripsit quidam Historicus. *Fuit DEO intimus, Clero acceptus, Cesaribus venerabilis, hostibus terribilis, per universam Ecclesiam vitæ sanctitate, scriptorum doctrinâ, miraculorum gloriâ, gestorum famâ, adhuc Longobardorum, Arianorum, Donatistarum, Manicheorum, Neophytorum & aliorum conversione sanè stupendus.* His paucis talis ac tanti Pontificis gesta lubet attingere; ejusdem enim facinora, utpote toti ferè orbi notissima pluribus describere, si animus foret, novus liber accederet libris plurimis, quos scriptos reliquit Gregorius. Sufficiat hic nobis D. Ildephonfi sententia, qui ita scripsit: *Gregorius M. superavit sanctitate Antonium, eloquentiâ Cyprianum, & scientiâ Augustinum; quare mortem ejus meritò luxit Orthodoxus orbis universus an. 604.*

Sedis 13.



*Reflexiones Historicae supra Seculum VI.*

**Q**UATUORDECIM hoc Seculo consideravimus Pontifices; ex his duo tantum fuere, quos in Fide errasse duo scripserunt auctores, uti refert C. Bellarminus. Liberatus nempe Diaconus Carthaginensis in suo Breviario circa annum Domini 550. in lucem edito affirmat, à Vigilio Pontifice scriptam fuisse epistolam ad Theodoram Imperatricem & alios hæreticos, qua epistola confirmaret hæresin ipsorum, & anathema dixerit eos, qui confessi sunt duas in Christo naturas. Durandus verò Galliae Episcopus, qui vixit circa annum 1320. scribit, quòd D. Gregorius M. dederit epistolam ad Joannem Episcopum Calaritanum, in qua permisit Presbyteris conferre Confirmationis Sacramentum. Quem locum Adrianus seculi XVI. Anabaptista in Anglia sedulo annotavit, & ait, *Pontificem posse errare in definiendis Fidei dogmatibus.*

Verum quòd neuter horum Pontificum in Fide errarit, demonstrat C. Bellarminus; Vigilius enim etsi eam epistolam ad Theodoram dedit, illo tamen tempore nondum fuit Pontifex, sed ambivit primum fieri, & quidem opera Imperatricis hujus & aliorum præpotentium hæreticorum, quibus contradicere ausus non est eadem in epistola, uti ipsemet ibidem satis indicat, dum eam occultari omni ratione desideravit. Secundò quamvis Imperatricis & aliorum hæresin eadem epistola non damnaret exteriùs, interiùs tamen seu animo eam nunquam probavit, veluti omnes circumstantiæ sufficientissimè indicabant. Tertio Vigilius postquam à Clericis tandem admissus est in Pontificis Sedem, miris prorsus modis est mutatus adeò, ut lupus in agnum transiisse visus fuerit, & hæc *mutatio dextera Excelsi* dici meritò potuerit. Unde potius novus honor Pontificibus Romanis accessit ex Vigili gestis, ut ipsimet Magdeburgenses inficiari non sunt ausi. Videatur de re hac uberius C. Bellarm.

Gregorius autem M. etiam non erravit, sed Durandus & Adrianus; duo enim Concilia Oecumenica, Florentinum nempe & Tridentinum idem docuerunt, quod docuit D. Gregorius, Confirmationis scilicet ministerium ordinarium esse Episcopum, extraordinarium verò Sacerdotem quemlibet,

cui



cui ut ritè Baptizatos in Fide confirmet, absente Episcopo facultas concedi potest.

Reflexiones aliæ supra hoc sextum & priora Secula.

**A**UDIMUS non rarò etiam hac nostra ætate querimonias Acatholicorum varias, quibus vociferantur in pulpitis, scholis, colloquiis, libris & sparsis sæpè sine ullo authoris nomine, aut Superiorum facultate foliis, Fidem Romanam à via Veritatis penitus aberrasse; Romanam Ecclesiam nominandam potiùs esse meretricem Babylonicam quàm Christi Sponsam &c. Quibus quorumcunque demum calumniatorum scommatibus, ut Catholica Historia denuo occurrat, operæ pretium nunc erit, aliquorum Pseudo-Historicorum hìc referre commenta.

Primum igitur commentum est Theodori Bezae in Burgundia nati, dein Lausonii, & demum Genevæ declamatoris, qui ait, *Anti - Christum jam tempore D. Pauli advenisse, & in templi Divini Sedem irrepisse, atque jam Ecclesiam errasse.* Consenserunt alii Bezae socii, qui ipso Apostolorum tempore jam errasse Ecclesiam dixerunt.

Secundum commentum est Lutheri & Calvini, quorum prior scripsit in causâ liberi arbitrii adversùs Erasmus; *Patres primorum etiam Seculorum cecutisse, imperitissimos fuisse, totâ vitâ errantes, nisi ante mortem fuerint reducti: neque Sanctos fuisse, neque ad Ecclesiam pertinuisse.* Posterior asserit, *Patres nobis deformatam Theologiam tradidisse, in errorem abreptos & Judaizantes.*

Tertium est Melanchtonis in Palatinatu inferiore nati, & demum Wittenbergæ in Saxonia Professoris, qui nunc Zwinglio, nunc Lutherò adhærebat, is asserit; *Ecclesiam interiisse post annos à nato Christo trecentos; ab ejus enim Seculi Patribus impuram nobis traditam fuisse Doctrinam.* Ob id etiam nonnulli à Romana Ecclesia alienati scripserunt, Anti-Christum fuisse Zosimum Papam, quòd is Ecclesiæ Romanæ Principatum in causa appellationum contra Africanos tueri memoretur.

Quartum est Lutheri, Calvini simul & Melanchtonis; Lutherus enim lib. de captivitate Babylonica & supputatione annorum mundi; Calvinus verò in Prophetas minores, & in epist. ad Sadoletum; Melanchton demum in loc. commun. tradunt, *Bonifacium Tertium fuisse Anti - Christum inter Pontifices primum; ita tamen ut circa ætatem D. Gregorij Magni Ecclesia Romana jam concidere cœperit, quòd hujus Pontificis*



tempore initium suum habere ceperint Orationes pro Defunctis, Invocationes Sanctorum, Missae Sacrificia.

Quintum est Lutheri lib. contra Papatum tom. 7. scribentis, concidisse Ecclesiam ante annos ferè sexcentos, nempe circa annum ferè millesimum post Christi Nativitatem. Atque in hoc commentum inclinavit, quòd in Apocalypsi scriptum legerit, Sathanam per annos mille ligandum esse, ne gentes seduceret, indè solvendum.

Sextum est sectatorum Lutheri, qui anno 1551. in repetitione Confessionis Augustanae tradiderunt, Ecclesiam corruisse ante annos trecentos.

Septimum est iterum Lutheri, qui in Wormatiensibus Comitibus an. 1522. publicè asserere ausus fuit, Ecclesiam nostram defecisse tempore Concilii Constantiensis, quod circa annum 1414. habitum fuit.

His adjiciunt discursus, aut potius fabulas Coburgenses praesertim Academici & Hübnerus, ex quorum verbis haec ferè puncta erui possunt, aut sua sponte fluunt.

- I. In Ecclesia Romana ob barbarorum hominum saevitiem orta est summa ignorantia, Theologiae ac Philosophiae sepultura praesertim in Occidente.
- II. Seculo VI. Fides Catholica propagata est, Missionariis per orbis latissimè partes discurrentibus, quorum praedicatione Sedes Romana supremam obtinuit auctoritatem in Hispania, Gallia, Anglia, imò & in Germania. Causae item litigiosae ferè omnes fuerunt oblatae Romano Pontifici, qui arrogavit sibi titulum *Episcopi tandem Oecumenici*.
- III. Hormisda Campanus erat Papa conjugatus.
- IV. Sylverius Campanus fuit Hormisdæ Pont. ex legitimo matrimonio susceptus filius.
- V. Pelagius II. disposuit, ut in administratione Sacramenti Evcharistiae post elevationem S. Hostiae, uti dicimus, Suffragia fierent pro animabus in Purgatorio detentis. Hoc ipsum ferè docent de Gregorio M. Scriptores Lutherani nonnulli.
- VI. Idem Gregorius M. varios ritus ac caeremonias instituit; nihilominus cum ipse ultimus fuerit Romanorum Pontificum verè Apostolicorum, hinc meritò cecinit Poëta quispiam: *Gregorius vitam finiit Apostolicam.*

Respon-



## Responsiones ad commenta Adversariorum.

## Responsio I. ad I. &amp; ad Capita præcipua universè.

**Q**UIS inprimis ex rudissima etiam plebe non notat assertionum, aut relationum harum summam discordiam, quam Lutherus, Calvinus, Melancton, Beza, Hübner, Academici Coburgici & testes alii iniquissimi suis in libris hac super re reliquerunt? miremur amabo, præclaros hos Historicos Ecclesiasticos, & ante reliquos Lutherum, dum nunc refert, Ecclesiam concidisse Apostolorum tempore, nunc tertio, nunc sexto, nunc Seculo duodecimo. Miremur etiam Calvinum & reliquos fallacissimos Lutheri socios, vel mendacissimos (ita per me dicant alii) filios, dum super Ecclesiæ casu aut ruinâ tam bene concordant. Nonne merito ipsis respondere potest illud Marci 14. *Multi testimonium falsum dicebant adversus eum, & convenientia testimonia non erant?* Et illud Dan. 13. *Rectè mentitus es in caput tuum &c. rectè mentitus es & tu in caput tuum? &c.*

Contra hos & alios permultos aniles fabulatores, tum à Theologis nostris Polemicis millies demonstratum est, quòd semper fuerit, & existere debeat vera eaque visibilis Ecclesia; de hac enim & similibus questionibus videri potest C. Bellarminus, Becanus, Vitus Pichler & alii plurimi: tum etiam ab Historicis omni exceptione majoribus ostensum fuit, Ecclesiam Romanam perseverasse ac permansisse continuo veram atque infallibilem ob perpetuam Divini Spiritus opem & providentiam: non enim errarunt in Decretis suis hætenus Summi Pontifices nec singuli nec universi, uti passim refert Historia; aut si iidem errassent, aut errare potuissent soli, nondum sequeretur, quòd unâ cum Conciliis Oecumenicis, aut cum universa Ecclesia in errorem incurrissent. Concilia autem maxime per sex prima Secula celebrata ipsimet laudant passim adversarii nostri.

Si tamen pergant nobis objicere, quòd ipsimet jam errarint Apostoli & SS. Patres: ergo etiam Ecclesia. His levis armaturæ hostibus iterum occurrunt, & pridem occurrerunt præter Concilia tam veteres quàm recentiores Authores gravissimi, qui ostenderunt primò, dictèria hæc & similia cuilibet sanæ mentis homini merito videri debere adeò temeraria at-



que infusa, ut major temeritas aut insania excogitari vix queat: Si enim à Lutheri tempore ad aetatem nostram suam DEUS Ecclesiam absque errore conservavit, cur simile beneficium non exhibere voluit, aut potuit primis Ecclesiae Seculis? Secundò ostenderunt, etiam si aliqui vel ex Apostolis, vel SS. Patribus errassent, quòd ejusmodi etiam privatus error toti Ecclesiae obesse nequaquam potuisset. Tertiò ostenderunt, quòd nec Apostoli universi, nec Patres unquam errarint. Quartò ostenderunt, tunc solùm officere errorem universae Ecclesiae posse, cum vel Summus Pontifex, vel tota Ecclesia in Decretis Fidei & morum vel malè confirmandis, vel malè usurpandis unquam errasset; similem autem errorem in universa Ecclesia unquam contigisse, ut tandem vel ad speciem tantùm probent scholae qualescunque Pseudo-Evangelicae, hodie dum expectat Romana Ecclesia *supra petram fundata & firmata*.

### Responsio II. ad II. & III.

**Q**Uòd Seculum quintum densis ignorantiae tenebris non fuerit adeò obscuratum, patet vel maximè ex Doctorum & Scriptorum numero, qui superiùs jam sunt allati. Iidem certè tot actales fuerunt, ut & numero & praestantia sua priorum Seculorum Scriptores si non longè superarint, minimùm adaequarint. Id ipsum de sexto Seculo planum fiet, si Scriptorum ordinem huc apposuerimus. Vixit itaque ac scripsit hoc sexto seculo

D. Fulgentius Cathagine natus Episcopus Ruspensis sanctissimus & doctissimus, qui libros plurimos scripsit circa Annum 520.

Andreas Caesareae post D. Basilium Episcopus scripsit commentaria in Apocalypsin, & fuit maximi aestimatus jam à Doctoribus sui temporis.

Petrus Diaconus auctor libri de Incarnatione & Gratia Christi, quem librum scripsit ad D. Fulgentium & alios Africae Episcopos.

Eugippus Abbas Africanus composuit magno labore duos tomos thesaurorum D. Augustini.

Marcellinus Comes scripsit Justiniani tempore Chronicum suum, cui finem imposuit an. 535.

D. Avitus



D. Avitus Alcimus Episcopus Viennensis in Gallia constitutus ab Hormisda Pontifice, de quo Avito ait C. Bellarminus, quod fuerit vir nobilissimus, sanctissimus & doctissimus, qui planè gravissimos & venustissimos scripserit libros.

Boethius Severinus Romæ vir consularis & Martyr clarissimus scripsit copiosissimè de re Philosophica & Theologica præter libros alios doctissimos.

Dionysius exiguus Scytha ; sed moribus Romanus scripsit præter cyclum Paschalem etiam collectionem sacrorum Canonum ex Conciliis Ecclesiæ Catholicæ. Circa an. 530.

Victor Episcopus Africanus scripsit librum de ratione Fidei Catholicæ. Aurelius Cassiodorus Theodorici Regis in Italia Consiliarius scripsit libros alios de institutionibus Divinarum Lectionum. Commentaria etiam in omnes Psalmos & in Cantica Canticorum. Historiam denique tripartitam ex libris Socratis, Theodori & Sozomeni. |

D. Victor Capuanus Episcopus scripsit de cyclo Paschali. Item teste Beda de sex ætatibus, præter alios libros. Circa annum 540.

D. Justus Orgelitanus Episcopus scripsit in Cantica Canticorum.

Anastasius Sinaita Episcopus Antiochenus scripsit plures libros, quorum unus *Dux viæ* contra Acephalos vocatus, impressus Ingolstadii anno 1606.

Arator S. R. E. Subdiaconus scripsit duos libros carminum, quibus acta Apostolorum complexus est, quos publicè recitavit concedente id Vigilio Pontifice.

Junilius Episcopus Africanus scripsit duos libros de partibus Divinæ Legis.

Primasius Episcopus Africanus scripsit in epistolas D. Pauli & in Apocalypsin commentaria.

Rusticus S. R. E. Diaconus Scriptor contra Acephalos.

Victor Tunonensis Episcopus Africanus scripsit de Illustribus Ecclesiæ Scriptoribus brevem Historiam circa annum 550.

Martinus Bracarensis Episcopus præfuit Concilio Bracarensi ; scripsit collectionem Canonum ex Græcis Synodis ; item de quatuor virtutum Cardinalium differentia &c.

Proco-



Procopius Gazæus scripsit in varios libros Veteris Testamenti commentaria circa annum 560.

Joannes Climacus Monachus religiosissimus scripsit librum triginta graduum, quibus ascenditur ad perfectionem, unde ipsi nomen Climaci inditum est.

D. Dacius Episcopus Mediolanensis scripsit Chronicum, in cujus lib. 1. c. 10. tradit Canticum *Te Deum laudamus &c.* compositum fuisse à DD. Ambrosio & Augustino.

Liberatus Archi-Diaconus Carthaginensis scripsit Breviarium de causa Nestorij & Eutychetis.

Dorotheus Archimandrita scripsit sermones viginti quatuor circa annum 570.

Venantius Fortunatus Episcopus Pictaviensis scripsit vitam D. Hilarij & plura sacra carmina, ex quibus in Ecclesiæ usu sunt maximè hæc duo: *Vexilla Regis prodeunt &c.* & *Pange lingua &c.*

Joannes Jejunator Episcopus Constantinopolitanus ob miram abstinentiam ita dictus, scripsit Homiliam de Pœnitentia, Continentia & Virginitate &c.

Joannes Biclarensis Monasterii Abbas persecutus est Victoris Tunonensis Chronicum; circa annum 590.

Evagrius libris sex descripsit Historiam Ecclesiasticam ab eo tempore, quo desijt Sozomenus.

D. Gregorius Turonensis Episcopus libris decem scripsit Francorum Historiam; unum librum scripsit de gloria Martyrum; unum de miraculis D. Juliani; duos de gloria Confessorum; quatuor de miraculis D. Martini &c.

D. Gregorius M. solus scripsit varios libros, eosque numerò minimùm sexaginta, ob quos D. Ildephonsus in lib. de Viris Illustribus primò loco ponit D. Gregorium M. eumque omnibus Scriptoribus antepōnit. Non absimile iudicium tulit D. Isidorus in lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis, licèt fateatur, ad se non pervenisse omnia opera D. Gregorij.

Omitto alios tum profanos, tum hæreticos authores non paucos, qui inter viros doctos nomen & numerum hoc Seculo sibi vendicârunt, atque ex hæreticis copia satis magna ore & calamo bellum Ecclesiæ indixe-

dixe-



dixerunt. Fuerunt iidem hæretici profectò non minùs docti, quàm Lutherus, Calvinus & alii seculo decimo sexto Doctores suo tantùm & suorum iudicio gravissimi. Sed cùm de sacris Scriptoribus hìc nobis potissimùm sermo sit,

Subijciant suis nunc oculis longum satìs doctorum in hoc & priori Seculo virorum Catalogum qualescunque Ecclesiæ Romanæ inimici; deprehendent in eo ingeniosos Poëtas, eloquentes Rhetores, eruditos Historicos, profundos Philosophos, diversos eòsque clarissimos Theologos, ac Oratores sacros præstantissimos, quorum libri vel soli sufficiunt ad illuminandum totum mundum. Quodsi jam hos comparare lubeat cum iis Scriptoribus, qui quatuor primis à nato Salvatore Seculis post DD. Apostolos Ecclesiam suâ doctrinâ illustrârunt, hanc facilè in sententiam nobiscum adibunt, quòd nimirum duo hæc postrema Secula inter sex prima fuerint doctrinæ radiis illustrissima.

Falissimum itaque est primò, quòd hæc duo postrema Secula laborârint summâ ignorantia. Falissimum est secundò, quòd propter virorum doctorum defectum his Seculis Pontificum dignitas augmentum majus acceperit. Falissimum est tertio, quòd ob ignorantiam horum Seculorum omnes causæ Romano Pontifici fuerint oblatae. Falissimum est quartò, quòd eadem causæ prioribus quatuor Seculis non æquè Romanam fuerint delatae, dum tyrannorum favities obicem non posuit. Falissimum est quintò, quòd his duobus ultimis Seculis primùm Romani Pontifices titulum *Oecumenici Episcopi* sibi arrogârint.

Delenda igitur rursus sunt in Lutheranorum, Calvinianorum & similium Historiis non modò lineæ plurimæ, sed integra Secula. Vulcano, ut dicunt alii, pars magna Hybneri consecranda est, qui si in aliis legeret ea, quæ ipse scripsit, aut scribendi methodum sibi usitatam in cuiusvis sui adversarii libro deprehenderet, absque mora vocaret ignorantissimum & malitiosissimum. Ego tamen his armis non pugnabo; ignarum tamen rerum Ecclesiasticarum, & malæ fidei Scriptorem si dicam Hybnerum, dummodo sapiat, haud agrè feret: primò enim ignorare se ostendit, quòd prorsus nesciat statum primitivæ Ecclesiæ. Secundò, quòd plurima asserat, quæ peritiores Lutherani & Calviniani non audent ipsimet asserere, uti ex eorum Historiis apparet. Tertio quòd ignoret munus Historici, dum pro suo libitu tanquam indubitata affert plurima, destitutus



omni authoritate Scriptorum Veterum, imò & Recentiorum. Quattò instar oraculi affirmet in quæstionibus suis Historicis passim multa, quæ tum Theologici nostri Polemici, tum Historici luce meridiana clariùs ostenderunt esse falsissima, & hanc ob causam à pluribus Iustris, imò & Seculis expectatum responsum, aut refutationem non impetrârunt. Mala verò fidei Scriptorem ipse se probat, eò quòd ea tantùm asserre conetur, quæ nata & apta sunt denigrare Romanorum Pontificum famam, honorem ac gloriam; illa verò gesta omittat omnia, quæ antiquissimi Historici non omiserunt. Ea nimirum est conditio hominum, præcipuè verò illorum, qui in solijs & thronis sunt collocati, ut vel multùm laudentur, vel vituperentur plurimùm, vix ullo mediocritati relicto loco intermedio. Hübnerus verò cùm materiam vituperiis idoneam per sex pene Secula in singulis Pontificibus non invenerit, singulorum tantùm nudissima nomina expressit, ita tamen, ut universos valde reprehenderit, & copiam laudis aberrimam penitus supresserit. Tales dat nobis schola Lutheri Historicos.

#### Responsio III. ad IV. & V.

**N**UNC attendendum, utrùm D. Hormisda simul Pontifex, & maritus fuerit. Quòd aliquando in statu matrimonii vixerit, testantur omnes Historici; quòd verò Summum Pontificatum Matrimonio conjunctum gesserit, nullus eorum est, qui vel à longè tantùm id affirmârit. Ecquænam causa foret id ipsum affirmandi? Quòd nimirum filium Sylverium Pontificem reliquerit, quem fortè tempore Pontificatûs suscepit? hoc enim verò summopere placeret Lutheranis & Calvinianis, si vel modicam veritatis speciem huic fabulæ possent affingere. Sed vel maximè repugnat ratio temporis: D. Hormisda enim an. 514. D. Sylverius verò an. 536. creatus est Summus Pontifex. Sylverius igitur si annò 514. fuisset natus, ætatis suæ annò vigesimò primo jam electus fuisset in Summum Pontificem. Quis autem tali ætate *hactenus* unquam creatus est Pontifex? Testantur præterea Annales Ordinis D. Benedicti, Menologium & Chronologia, D. Sylverium longo tempore discipulum fuisse D. Benedicti in Monasterio Lateranensi. Vel igitur brevissimo tempore potuisset esse discipulus talis, vel fuisset discipulus, antequam erat natus, cùm D. Benedictus circa annum 520. amplius Romæ non fuerit.

Et-



Et si itaque non minùs, quàm D. Petrus in statu connubij constitutus fuerit S. Hormisdà, non minùs sine uxore fuit inde, quàm S. Petrus, & reliqui omnes hujus Successores. Denique cur Lutherani &c. tam solerter exprimunt unius hujus Pontificis statum Matrimonij? cur non meminerunt potiùs reliquorum omnium hætenus Pontificum, qui cælibatum cum Pontificatu conjunxerunt? nonne *quæ carnis sunt, hi sapiunt Historici?*  
Rom. 8.

#### Responsio IV. ad VI. & VII.

**E**CCLESIAE usitatas Cæremonias D. Gregorius M. minimè Pontificum primus instituit: nam Cæremonias permultas ab ipsis Apostolis, alias verò à primis Apostolorum Successoribus in Ecclesiam introductas esse, testes sunt tot Ecclesiae Doctores, quot Gregorium M. præcesserunt. Id certè Tertullianus Seculi tertii Scriptor celeberrimus apertè testatur. Quin id ipsum etiam fateri oportet eos, qui Gregorium M. *Cæremoniarum Magistrum* appellant, nisi secum ipsis pugnare velint. Si enim Gregorius M. *Cæremoniarum Magister*, & primus, ut ajunt, Missæ Author fuit, qua ratione D. Anacletus Seculi secundi primus Pontifex jam præcipere potuit, ut post elevatam in Officio Divino S. Hostiam fideles Sacro Viaticò præmunirentur ad Martyrium forti animo subeundum? Qua ratione D. Telephorus ejusdem Seculi Pontifex Rituum & Cæremoniarum in Missæ Sacrificiis adhibendarum Author à Magdeburgensibus, & omnibus aliis horum amicis dici potuit? qua ratione multi aliante Gregorium M. Pontifices varias Cæremonias tum in celebrandis Missis, tum in aliis functionibus adhiberi præceperunt, quod passim suis etiam in Historiis exprimunt adversarii nostri?

Sed quid si daremus ipsis aliquid, quòd nempe M. Gregorius vel omnes vel plerasque Cæremonias instituerit, quid tum sequeretur? an non amplius foret Apostolicus Pontifex, quem hoc ipso titulo ornârunt A Catholicorum permulti? An non in potestate Pontificum sit novas Cæremonias in Ecclesiam introducendi? An non etiam Lutherus, Calvinus & alij Cæremonias varias instituerunt, quas eorum æstimatores etiam hodie adhibent in panis sui qualicumque consecratione; in coena sua; in suis concionibus; in canticis; in ordinatione novorum Ministrorum Ecclesiasticorum; in conferendo Baptismate, in contrahendis nuptiis; in sepeliendis



dis mortuis &c. Si his licuit, cur non etiam licuerit novas instituire Cæremonias M. Gregorio aut ejusdem Antecessoribus? quamvis nunquam concedimus, quòd hic Pontifex Ecclesiæ Cæremonias instituerit, sed solum earum aliquas aliter ordinaverit, alias verò injuriâ Temporum neglectas iterum restituerit.

### Responsio V.

**S**IMILIS priori responsio iis danda est, qui obijciunt Gregorium M. *Purgatorium instituisse*, & ob has pœnas imaginarias Missæ Sacrificia fieri, preces fundi, varias Cæremonias adhiberi præcepisse; nunquam enim Romani allegant aut allegarunt Gregorii M. auctoritatem in persuadendis purgatorii pœnis, sed potius allegarunt perpetuam Ecclesiæ traditionem & auctoritatem S. Scripturæ e. g. librorum Machabæorum &c. quos Lutherus ex Canonico Catalogo expunxit, ne credere teneatur Purgatorii pœnas, certus sibi de æternis inferorum pœnis. Gregorius igitur tantum addidit substantiæ novum modum, ut nempe debito ordine fierent omnia in sepeliendis mortuis, in Sacrificiis pro defunctorum animabus peragendis, in fundendis eum in finem precibus, in mortuorum anniversariis, diebus trigesimis & Sabbathis &c. celebrandis. Sed transmittamus etiam hic tantisper, Gregorium M. fuisse ex Romanis Pontificibus primum, qui definierit, à Deo statutas esse præter æternum inferorum ignem etiam Purgatorii piaculares pœnas, an ideo Gregorius aut Ecclesia Romana errasse censendi forent? minimè gentium: Purgatorij enim pœnas statuere in Domino mortuis subeundas, pendebat unice ex liberrimo Dei scelerum vindicis arbitrio: ut autem de Dei arbitrio hoc & voluntate hominibus constaret, solum Divina revelatione opus erat. An Divina hæc revelatio jam nobis sit data in Testamento Novo, aut Veteri, parum refert; utrique enim idem Deus summè verax locutus est, & suæ Ecclesiæ loquitur etiamnum. Quòd verò Deus tam in Veteri quàm Novo Testamento hanc de Purgatorij pœnis veritatem nobis revelarit, testata hæcenus fuit universa Ecclesia Romana; negavit verò Lutherus cum paucis, quorum ipse errorem hunc demptis erroribus aliis secutus est. Oportet igitur, ut vel Deus Luthero & sociis revelarit, non dari Purgatorij pœnas, vel easdem à Deo statutas esse revelarit toti Romanæ Ecclesiæ, quæ longitutine temporum, numero & qualitate testium penè in imensum

supe-



superat auctoritatem adversariorum. Cuicumque nunc igitur licuerit, Luthero & ejus sociis consentiat, sentient innumeri alij hoc in articulo cum Pontifice M. Gregorio, & Romana Ecclesia; quamvis ut dictum est, haudquaquam Gregorius M. hujus articuli Author extiterit. Quæ veritas tum ex Scriptura, tum ex Patribus & Historicis Gregorio M. antiquioribus ad oculum patet.

Responsio VI. ad VII.

**H**IS addenda sunt verba illa, quibus sextum hoc Seculum Coburgensis discursus Academicus claudit, dum ait:

*Gregorius vitam finit Apostolicam.*

Videntur nempe Coburgenses Academici in eam omnino propendere sententiam, quæ Romanis objicit, quòd cum fine hujus Seculi finem acceperit vera DEI Ecclesia. Qua ratione enim aliàs Romani *Pontifices Apostolici* fuissent, aut tales dici possent? Demus igitur etiam hìc Coburgensi Academiæ & universis Romanæ Ecclesiæ hostibus, ultimum inter *Pontifices Apostolicos* fuisse D. Gregorium M. Si hoc dederimus hostibus nostris, habemus nos eorum victas manus; non enim ullam rem, sive Sacramentorum numerum, sive eorundem usum, sive Fidei Articulos, sive libros Scripturæ, imò etiam Ritus ferè aut Cæremonias in Ecclesia Romana usitatas consideremus, poterunt ostendere, quæ non vigerit primis sex post natum Christum Seculis.







SERIES  
ROMANORUM  
PONTIFICUM.

PARS II.

*Seculum Septimum.*

LXVII. Sabinianus, Thulcus.



NONNULLIS Scriptoribus avaritiæ arguitur, quòd famis tempore triticum copiosò aurò pauperibus etiam vendiderit, à Gregorii M. liberalitate longissimè remotus. Hujus etiam D. Pontificis Gregorii libros haud æquò accepisse animò, scripserunt; quos proin libros è medio sustulisset, si per ipsum horum authorem licuisset, qui ter in somno spectabilis fuisse dicitur Sabiniano, ut eum ab hoc dedecore deterreret. Vituperiò hæc sanè, laude verò digna sunt, quòd lumen nunquam facile extinguendum sacris in ædibus requireret, ut erga Deum Evcharisticum in hominum animis perpetuum amorem accenderet. Statuisse insuper fertur, ut Monachi, nec minùs Clerici campanæ sonitu convocarentur ad Psalmos Davidicos statutis horis canorâ voce recolendos. Hæc egit Sabinianus brevi admodùm temporis spatio, scilicet non nisi quinque mensium Pontifex. Mortuus est an. 605.

LXVIII.



## LXVIII. D. Bonifacius III, Romanus.

**D** GREGORII M. & Sabiniani Pontificum Constantinopoli Legatus, tum demum Pontifex Clericorum suffragiis electus est, postquam Sedes Pontificia annò integrò cum sesqui mense relicta est vidua. Evicit istandem, ut annuente Phoca aliàs tyranno veriùs quàm Imperatore Cyriacus Patriarcha Constantinopolitanus Romanam Ecclesiam omnium Ecclesiarum Caput agnoverit, lite penitus de *Ecclesiarum Primatu* sublata. Peracto hoc gravi negotio vitam perfecit suam morte perfecta mense Pontificatùs sui 8. anno 607. Vide reflexiones hujus seculi.

## LXIX. D. Bonifacius IV, Marfus Italus.

**I**N Monasteriis D. Benedicti quondam vir religiosissimus post decimum ab obitu Bonifacii III, mensem creatus Supremus Romæ Antistes Monachis sui temporis privilegium concessit, ut more Clericorum ipsis liceret suis in templis Sacramenta administrare. Templum Pantheon in sacram convertit ædem Divorum Martyrum honoribus dedicatam; quam copiosis eorum Reliquiis ornavit. Princeps tamen honor post DEum ejusdem Virgini Matri datus est, unde nomen templo venit *Sanctæ Mariæ ad Martyres*, inter quos ipse Bonifacius sanctitate conspicuus numeratus est an. 614. Sedis 6. longo desiderio, & Martyrum veneratione Martyr.

## LXX. A-Deodatus, Romanus.

**H**AUSTA in D. Benedicti cœnobiis summa morum probitate & doctrina his veluti duobus passibus summum attigit dignitatis verticem, communi omnium Clericorum suffragiò electus Pontifex. Geminis aliis factis memoriâ dignissimis eximiam sibi comparavit famam; hominem enim morbo elephantiaco affectum oris osculo repentè sanavit: labem verò Simoniacam adeò detestatus est, ut infames etiam fœminas admitti præceperit, quæ contra Simoniacos testimonium dicerent. Totius ipse Ecclesiæ testimoniò probatissimam clausit vitam an. 617. Sedis 3.

LXXI. D. Bo-



## LXXI. D. Bonifacius V. Neapolitanus.

**D**UM subesse majoribus in D. Benedicti Monasterio didicit, toti Ecclesie præesse doctus fuit, cujus curam gessit prorsus singularem: præter regna & regiones omnes alias Anglia testis est, cujus Regem Eduardum suos errores dedoceri curavit, ut relicto deorum cultu uni DEO adhereret firmissimus & uni Ecclesie. Daturus aliud incrementum Anglicanæ Ecclesie, pallium uberrimæ potestatis insigne Justo Rossensi Episcopo misit. Cura in universam Ecclesiam singularis eluxit ex eo etiam, quod ejusdem immunitatem seu asyllum novis legibus firmaverit, labe verò Simonie infectos, ubicunque terrarum inventi fuissent, ab aris removeri jusserit, non nisi anathematis poena coercendos. De universis itaque optimè meritis, præmiorum locum adiit an. 625, Sed, 7.

## LXXII. Honorius, Campanus.

**I**N Pontificum seriem ad lectus continuò domum suam paternam, quam in Laterano habebat amplissimam, in Monasterium & templum convertit, Divis Apostolis Andreae atque Bartholomæo sacrum. Dein ad reformandum Clerum conversus, schisma Istrianum septuaginta annis continuatum sustulit; Fortunatò Patriarcha ob schisma ac hæresin depositò, Eminuit in præclaro hoc opere Reipublicæ Venetæ studium, quæ idcirco *Reipublicæ Christianissimæ* insignita est honorifico nomine ab Honorio. Herachum Imperatorem etiam ad saniora consilia aliquando capefenda à Pontifice persuasum fuisse, scribunt dignissimi fide Historici, eidem pro comperto habent omnes, Crucem Servatoris nostri sacratissimam è Perfide relatum fuisse ab eodem Imperatore; unde ab Honorio dies Exaltationis S. Crucis toti Ecclesie festus est indictus. Amore igitur & desiderio affixus Cruci Honorius è terra in coelum est exaltatus an. 638. Sed 12.

## LXXIII. D. Severinus, Romanus.

**A**CLERICIS electus, ab Isacio Exarcho Ravennatenfi Cesaris loco confirmatus est. Tanti valuit eo tempore Imperatorum vis potior, quam jus, ut, nisi confirmati fuissent ab Imperatoribus



bus Pontifices, quietis federe concessum non fuerit. Verùm nimis carò stetit pretiò imaginaria hæc Severini confirmatio ; vidit enim ab Isacio eodem rapi Lateranensis Ecclesiæ thesauros. Expertus est idem turbatissima tempora ob hæreses tum in Africa, tum in Asia, tum etiam in Europa passim invalescentes, plurimis privato spiritu seductis. Fortiter tamen obstitit quibuscunque hæreticorum machinis, præsertim verò Heraclii tandem Monothelitæ, cujus Ecthesin seu Fidei explanationem condemnavit. Inopinâ morte sublatus est brevi Constantinopolis Episcopus novæ Ecthesis & hæresis hujus auctor ; Imperium verò Heraclii à Saracenis magna ex parte occupatum. Inter invasores Imperii Ducem egit Mahometes, cum quo pene mortuus est D. Severinus, exitum tamen nactus à Mahomete diversissimum an. 639. Sed, 1. non completo.

### LXXIV. Joannes IV. Dalmata.

**H**ERACLII Ecthesin atque edictum, in quo nec unam, nec duas in Christo naturas nominari præcepit, edictò contrariò refutavit eidemque autoritatem omnem denegavit, duas præcipientes in Christo nominari, sicut sunt, substantias ; eum in finem indictâ Romæ Synodo Monothelitarum hæresin denuo condemnavit. Paruit hac in parte tandem Imperator, fulmen Sedis Romanæ metuens, aut verius seditionem in subiecto populo. Nec sic satis futuris rerum eventibus prospectum esse existimavit providus Pontifex ; in dicta enim & facta Honorii Antecessoris inquisivit sedulo, ut genuinum ejusdem sensum ostenderet universis, quos inter erant, qui Honorium Monothelitarum numero accensum cupiebant auctoritatem suæ sectæ à Summo Præsule mutuaturi, aut minimum summam Sedem traducèri more hæreticorum communissimo. Mortuus est Joannes an. 641. Sedis 1. mens. 9.

### LXXV. Theodorus, Hierosolymitanus.

**D**UOS Reipublicæ Christianæ turbatores præcipuè sibi oppositos habuit, utrumque Constantinopolis Episcopum, utrumque Monothelitam, Pyrrhum nimirum ac Paulum ; quorum primus ipsi aulæ Cæsareæ de hæresi maxime suspectus ex urbe tandem mi-

*R. P. Kolb Series Pont. Pars 1.*

M

grare



grare jussus, venit in Africam, ubi tamen à D. Maximo aliisque Africanis Episcopis erroris sui convictus Romamque delatus à Theodoro Pontifice perbenignè susceptus fuit, quòd culpæ suæ publicam profiteretur poenitentiam. Verùm rei hujus famâ Constantinopolim ad Constantem Imperatorem & Paulum Episcopum delatâ, hic partim in iram effusus, partim dolis intentus suas in partes facile traxit Constantem, eidem persuadens à Theodoro vim Pyrrho illatam fuisse, ut palinodiam caneret, & Monothelitis contradiceret. Clam igitur Româ evocatus Pyrrhus Ravennam ubi pervenit, continuò colorem mutavit apertus denuò Orthodoxæ Fidei hostis. Haud profuerunt suggesta consilia, nec minæ à Theodoro per nuntios intentatæ; latâ igitur à Pontifice anathematis sententiâ, in dies augmentum sumpturunt mala innumera: in Christicolas siquidem tanta suscepta est persecutio, ut par fuerit Neronianæ. Dum ergo tot cecidère Constantinopoli Martyres, tum his, tum aliis trophæa erexit Pontifex, trophæo ipse simili dignissimus, cum mala tulit plurima per Martyribus, dum vixit, & morte defunctus est an. 649. Sedis 7. Mens. 5.

## LXXVI. D. Martinus, Tudertinus.

**I**N Umbria natus convocato Romæ centum & quinque Episcoporum coetu condemnavit Typum, seu Fidei formulam à Constante Imperatore datam, à Paulo Monothelita verò dictatam. In novas igitur furias actus Paulus, subornatis falsis testibus Pontificem coram Constante gravissimorum criminum reum egit adeò, ut mandante eodem Olympus Ravennæ Præfectus cum copiis Romam venerit, ac nocte nato Servatori DEO sacratissima in Pontificem stringi gladium jusserit, dum sacram Hostiam Olympio Summus Sacerdos porrexit. Actum fuisset de vita Viri Sanctissimi, nisi manus militis sacrilega continuò obriguisset, obcæcatò pari poena utròque oculò. Præsentissimum hoc miraculum aperuit equidem mentis aciem Olympio, non verò Calliopæ Imperatoriò ministro, qui novis cum mandatis ac militum copiis venit Romam, ubi captum ex insidiis Pontificem navigiòque impositum Constantinopolim perduxit: is verò spretis tum blanditiis, tum minis mandante Tyranno primùm diebus nonaginta duro carceri est inclusus, ex quo reductus, & à corruptis testibus accusatus, sacrisque Vestibus spoliatus, atque publico in foro



foro cunctarum opprobriis est expositus. Tantum vitæ ac vigoris vix superaret, ut graves catenas ferret, quibus ligatus octoginta alii in captivitate transigendi erant. Interea animam exhalavit Paulus, felicem, si serio ac poenitenti animo protulit voces ultimas, quibus sua scelera, innocentiam verò Pontificis publicè testatus est Imperatori, qui tamen in scelere pertinax Martinum in Cheronesum insulam ejecit exulem, ubi per biennium, extrema omnia perpeffus diem extremum obiit an. 654. Sedis 5.

## LXXVII. D. Eugenius I. Romanus.

**E**XPULSO in exilium D. Martino, vices hujus in se suscepit tanta omnium approbatione, ut à Clericis universis oblatum ei fuerit ejusdem munus, cujus Vicarium per annos geminos egerat. Sex tamen duntaxat menses numeravit Pontifex, de quo sufficiat dixisse, quòd fuerit mira pietatis, religionis, mansuetudinis, munificentie & sanctitatis. His eum afficit laudum encomiis Platina Historicus in vituperiis quandoque copiosior, quàm Pontificum laudibus. Mortuus est D. Eugenius an. 655.

## LXXVIII. D. Vitalianus, Italus.

**A**PRUTII natus pretiosissimis donis à Constante Imperatore est honoratus, postquam creatus est Pontifex. Romam dein ipse advectus venit Imperator, ubi humanissimè à Pontifice, Clericis, ac populo universo acceptus, suâ suorumque præsentia Romanis haud ingrato spectaculo fuit. Verùm quinto post adventum suum die accepta per nuntium Græcorum suorum in Italia clade, continuò ad directionem conversus, intra paucorum dierum spatium Romam penitus spoliavit, sæviens maximè in ædes sacras, quibus spoliandis prædatores antehac Romæ barbaros longè superavit. Tantis pressus malis Vitalianus Ecclesiæ suum honorem ac ornatum reddere, quantum temporis iniquitas permiserat, multo labore conabatur. Illud imprimis egit, ut cantum Ecclesiasticum pristino suo vigori restitueret, partim etiam



augeret; unde hominum vocibus & harmoniæ reliquæ organi etiam sonum addidisse fertur. Annis pene quatuordecim rexit Ecclesiam, post quos diem obiit ultimam omnium opinione Sanctus, an. 669.

## LXXIX. A-Deodatus II. Romanus.

**O** B eximiam virtutem Summum Sacerdotium in se suscipere adactus, præter singularia in ædes sacras collata beneficia monasterium D. Erasmi in Coelio monte structuris novis & amplissimis redditibus locupletavit eodem in monasterio D. Benedicti regulis quondam dabat ipse operam doctus in solitudine toti imperare Ecclesiæ. Imperata sub eodem facere cogebantur ante alios Græci Monachi Nestorii sectatores, quos Româ expulit: Ravennæ verò duos Archiepiscopos Maurum atque Reparatum ab aris removit, quod suos Clericos Pontificis jurisdictioni subicere negassent. Placere hæc aliæque Adeodati præclara facta Imperatori Constantino, cum quo amicitiae vinculo conjunctus, Monothelitarum hæresin penitus tollere laboravit junctâ Imperatoris operâ fortior; verum glorioso hoc occupatus labore inter copiosissimas omnium proborum lacrymas tumulo est illatus anno 676. Sedis. 7.

## LXXX. Domnus, Romanus.

**N** ESTORIANÆ hæresis reliquias diversis inclusit coenobiis, earum vires & omni veneno virus magis noxium ab invicem separando, ut pauciores, vel nullos deinceps inficerent. Exemplum etiam Adeodati strenuè secutus Constantini Imperatoris amicitiam coluit constanter, cum quo etiam collatis consiliis & auxiliis in id incubuit maximè, ut indicta Synodo Monothelitarum hæresis penitus extirparetur. Verum arduis his desideriis immortalis est subito anno 678, Sedis 1.

LXXXI. D.



## LXXXI. D. Agatho I. Sículus.

**P**rimùm connubii vinculo ligatus, eoque post decennium solutus scientiæ junxit virtutem maximam in D. Benedicti familiis, è quibus ad summam dignitatem evocatus editorum miraculorum multitudine Thaumaturgi sibi nomen attribuit. Constitutus Summus Pontifex Concilium Lateranum, & mox Constantinopolitanum III, inter Oecumenica IV, convocavit, in quo tandem Monothelitarum impia placita penitus fuerunt abolita, Macario Antiochiæ Patriarcha publicè turpissimum fraudum ac mendaciorum convicto. Concilio præsens aderat Constantinus V. Imperator, Magni Constantini gloriosus æmulator, à quo Pontifex impetravit facilè, ut ab ejus tempore nullus Imperatorum quicquam moveret de confirmatione Romani Episcopi, qualem sibi arrogarunt priorum Imperatorum nonnulli, jure, an injurià parùm anxii. Confecto hoc immortalis opere vitam mortalem finiit D. Agatho meritis gravissimus & annis, quorum ultimus erat ætatis nonagesimus, Salutis 682. Sedis, 5.

## LXXXII. D. Leo II. Sículus.

**A**NNO uno pene cum dimidio sine Summo Antistite fuit Romana Ecclesia; tum demum ex Ordine D. Benedicti selectus D. Leo II. *communis omnium parentis* nomen ob summam suam in omnes liberalitatem est consecutus. Synodum Constantinopolitanam sub D. Agathone finitam ea ratione comprobavit, ut eos omnes refractarios anathemate ab Ecclesiæ accessu removerit, quos præfente Imperatore Constantino sacra Synodus condemnarat. Eiusdem Constantini operâ in ordinem quoque redegit Ravennatensium Antistites, qui Exarchorum potentiâ freti, parvi pendebant Romanam curiam, ut suam plaris facerent, quoties novus aut eligendus, aut confirmandus foret Episcopus. Usus pallii quoque Archi-Episcopis concedi gratis jussit, ut mederetur Simonie malis. Inter alia concentum Musicorum in Ecclesia suaviorem reddidit ipse Musicæ artis peritissimus; huic igitur meritò præconium dicit, & laudes canit Ecclesia, quam tantopere ornavit meritis laude dignissimis an. 1. Sed, non completo, Christi verò 684. mort.



## LXXXII. D. Benedictus, II. Romanus.

**D**IVO Benedicto par nomine, sanctitate & regulâ filius, totius Ecclesiæ pater, in folio secutus est D. Leonem II. frater fratrem, si vitæ methodum & regulam attendamus. Is plures Romæ easque Principes Ecclesiæ restauravit, ardentissimè diligens decorem domûs DEL. Prævenere, ut opinor, D. Benedictum hunc suis favoribus Calitres, quorum beneficiô datum est, ut Constantinus Imperator sanctionem de non confirmando deinceps ab Imperatoribus Pontifice Constantino poli Romam miserit. Argumento præter alia Imperatori huic fuerunt insignes hoc in Pontifice virtutes, quibus adeo permotus fuit, ut paternæ Benedicti curæ atque custodiæ suosmet filios enixè commendârit, & Augusti Genitoris loco deinceps haberetur Summus Pontifex, qui universam Ecclesiam semper amavit ut Sponsam ardentissimè, amore ejusdem & honore Sponsus dignissimus, qui fuit mortuus an. 685, Sed, mens. 8.

## LXXXIV. D. Joannes V. Syrus.

**A**NTIOCHIÆ natus successit Benedicto II. in officio Pontificis haudquaquam expectata Imperatoris confirmatione nunquam necessaria, quam etsi Constantinus jure sibi deberi haud posset prætere eo præsertim tempore, multi tamen ne quid moliretur, anxie metuebant, bene memores inconstantia, cui etiam Imperatores quocunque nomine insigniti sæpe fuerant obnoxii. Et sanè timorem, quem adimere poterat Constantini in bene coeptis virtus & constantia, eundem augebat mors hujus ipsius Imperatoris, quem è vestigio in tumulum usque secutus D. Joannes annò 686. unius anni Pontifex, cujus præclara desideria falce immatura mors præcidit.

## LXXXV. S. Conon, Thrax.

**I**NTER S. Benedicti Religiosos Coetus primùm educatus, dein verò in Cardinalium numerum cooptatus supremum denique honoris apicem conscendere est jussus, inter duos litigantes invitus magis, quam gavi-



gavifus tertius. Theodorus & Petrus erant, quorum priorem Clerici, posteriori verò vox populi in Pontificem deligendum esse putabant: mutata tamen populi voce, & in Clericis animi sententiâ, dum omnibus placuit Conon, mors ejus displicuit undecimo Pontificatûs mense annò 687.

## LXXXVI. D. Sergius, Syrus.

**T**HEODORO & Paschale geminis Cardinalibus summam Sacerdotii dignitatem ambientibus, eandem adeptus est S. Sergius, dum minimè ambiit. Cessit facilè jure suo mitior Theodorus, quàm Paschalis, qui monasterii claustris coercendus fuerat, tenebris aptior, quàm luci. Haud pacatior res erat in Oriente; Justinianus enim Imperator Callinici Patriarchæ Constantinopolitani circumventus dolis, conciliabulum congregavit, in quo plurima eaque Orthodoxæ doctrinæ adversa capita sua manu firmârunt Legati Pontificii à Callinico etiam insipere docti. Verùm his Romam quamprimum revocatis, Justiniano furenti constantissimè restitit Sergius. Missus igitur cum exercitu militiæ Dux Zacharias Romam venit, ut captivum Pontificem Constantinopolin perduceret. Verùm Romanis civibus ad arma convolantibus territus Zacharias eas in rerum angustias venit, ut locum sibi ad fugam reliquum haud inveniret, nisi apud Sergium, à quo perbenignè susceptus est, atque sub strato Pontificio reconditus, ne à furenti populo comprehensus occideretur. Haud ita prosperè successit res Justiniano; is enim truncatis naribus in exilium missus novennio toto Tiberium Imperii sui invasorem tulit animò amarissimò. Interea variè exornavit Sergius Romanam Ecclesiam; cui etiam incrementum dedit, dum Batavis, Saxonibus & Frisonibus misit novos in vineam Domini operarios, qualem & ipse  
suprema cum potestate egit annis 13, copiosissimum denarium nactus

an. 701.

*Reflexio*



*Reflexiones Historicae supra Seculum VII.*

**D**UO fuerunt hoc Seculo Pontifices, qui in hæresin incidisse referuntur. Primum eorum fuisse dicunt Honorium I, quòd Monothelitarum errores probárit, & ipse docuerit. Ita de Honorio senserunt Nilus Archimandrita author Græcus Seculi undecimi, Magdeburgenses, & ex Catholicis ipsis quidam inferiùs referendi. Assertionem autem suam probant

Primò duabus epistolis Honorii, quibus Sergii Monothelitarum principis hæresin probasse dicitur.

Secundò ajunt, in sexta Synodo damnatum esse Honorium tanquam hæreticum, & ejus epistolas fuisse combustas.

Tertio in septima Synodo iterum fuisse damnatum Honorium cum Sergio & aliis Monothelitis.

Quartò in Synodo octava judicatum fuisse asserunt, quòd à Concilio sexto de hæresi fuerit accusatus.

Quintò probant ex epistola Agathonis Pontificis, in qua Honorio anathema dixisse refertur.

Sextò ex epistola Leonis II, Pontificis, in qua Honorium execrari videtur, quòd Sedem Apostolicam hæresi sua contaminaverit.

Septimò Honorium Monothelitam fuisse testantur varii Scriptores tum Latini, tum Græci, quales fuerunt Tarrhasius Episcopus Constantinopolitanus, Theodorus Episcopus Hierosolymæ, Epiphanius Diaconus, Pfellus, Beda & Melchior Canus. Atque ex his septem argumentis planum esse ajunt, Honorium certè fuisse hæreticum.

**Responsio I.**

**R**ESPONDIT pridem C. Bellarminus ad omnia hæc & ad primum quidem, dum demonstravit ex ipsis Honorii epistolis, quòd semper docuerit dari in Christo duas voluntates, unam Divinam, alteram humanam: nondari verò duas voluntates tales, quales in alio longè sensu in hominibus dari ipsa Scriptura dicit, dum ait, *carnem adversus spiritum concupiscere.*

Ad



Ad secundum respondit & ostendit, quod Græci ex odio Romanæ Ecclesiæ in suis libris corruerint acta Synodi III. IV. V. VI. & VII. Respondit etiam Turrecremata author Hispanus ex Ordine D. Benedicti, quod si sexta Synodus condemnasset Honorium, errasset in quæstione facti, seu ex falsa informatione; errare autem Concilia posse in quæstionibus de puro facto, etiam Doctores Catholici fateantur.

Ad tertium respondit, Patres septimæ Synodi secutos fuisse Synodum sextam, & solum ea repetisse, quæ in sexta Synodo legerunt; cum igitur sextæ Synodi acta fuerint corrupta, errare etiam facile potuit circa factum hoc septima Synodus.

Ad quartum respondit, falsum esse, quod in octava Synodo fuerit Honorius condemnatus; nec etiam narratum aut relatum fuisse probavit, quod condemnatus aut iudicatus fuerit in sexta Synodo tanquam hæreticus. Adhæc, quod si indicasset Synodus octava, Honorium fuisse iudicatum & condemnatum, dupliciter in facto errare potuisset, ex falsa nimirum informatione de Honorio data, & simul ex falsa relatione data de Concilio. Denique si Patres horum Conciliorum existimarunt, hæreticum fuisse Honorium, aliud non iudicarunt, quam quod privatis litteris foverit hæresin Monothelitarum. Ad summum ergo sequeretur, quod fuisset hæreticus ut Doctor privatus.

Ad quintum respondit & demonstravit, quod Melchior Canus bis erravit in relatione epistolæ Agathonis; non enim in epistola invenitur Agathonem anathema dixisse Honorio. Item epistolam illam ab Agathone non ad Concilium, sed ad Imperatorem scriptam fuisse constat.

Ad sextum respondit, epistolam Leonis fuisse corruptam; cum etiam ipsa sit pars Concilii VI. Secundo opponit uni huic Pontifici plures alios in hac quæstione facti uno Leone potentiores.

Ad septimum respondit obijciens auctores auctoribus, plures paucioribus, antiquiores recentioribus. Ostendit etiam malè citari Bedam pro adversariis. Legatur itaque C. Bellarmini lib. 4. de Roman. Pont. ubi fuisse Honorium Pontificem defendit.

Alter fuit D. Martinus, quem Magdeburgenses centur. 7. c. 20. accusant, quod in epistola quadam docuerit, non esse dandam veniam Presbyteris, vel Diaconis post Ordinationem suam peccantibus, quæ doctrina videtur esse species Novatianismi.



## Responsio II.

**D.** MARTINUS non loquitur in ea epistola de venia peccatorum, sed de restitutione ad pristinum officium aut ministerium. Neque loquitur de quibusvis delictis, sed de peccatis admodum gravibus, aut enormibus, ob quæ in Ecclesia Veteri sæpè deponebantur Presbyteri & Diaconi, quibus, si resipuerint, data quidem est venia à peccatis, minimè verò concessa est restitutio in officium pristinum. Ita habet Jus Pontificium; ita habet consensus Scriptorum veterum, ex quibus C. Bellarminus etiam suum desumpsit responsum.

## Reflexiones contra alios hujus Seculi Pontifices,

**FUERUNT** alii hoc Seculo Pontifices, qui etsi in Fide errasse ne quidem ab hæreticis dicantur, errores tamen alii ipsis imputantur. Pontificum illorum

Primus est Sabinianus, qui cereorum in Servitiis Divinis accensorum auctor fuisse dicitur ab Academicis Coburgensibus.

Secundus est Bonifacius III, à quo Phocam Orientis Imperatorem enormium scelerum suorum absolutionem impetrasse unanimiter dicunt Lutherani &c. Historici; ea tamen conditione datam fuisse absolutionem hanc scribunt, ut Imperator Oecumenici Episcopi titulum Bonifacio concederet. Et hanc ob causam inter Pontifices primus Anti-Christus fuisse ab iisdem Historicis traditur. Hæc & alia in oblongos extendunt discursus, & crises suo genio accommodatas, ex quibus capita erui possunt sequentia.

- I. Usus cereorum ac luminum in Ecclesia Romana primum hoc Seculo fuisse introductum.
- II. Bonifacium III, fuisse primum Anti-Christum. Hunc item primum fuisse dictum *Papam*.
- III. Varios Monachorum Ordines hoc Seculo fuisse introductos.
- IV. Eosdem Monachos à jurisdictione Episcopali fuisse exemptos, invitis licet Episcopis.
- V. Eos ipsos Monachos fuisse pigros & otiosos.
- VI. Pontifici Romano per eos Monachos omnia innotuisse.

Respon-



## Responsio I. ad I.

**Q**UOD Sabinianus Pontifex usum cereorum ac luminum in Ecclesiam Romanam non primò introduxerit, constat abundè ex eo, quòd in Veteri Testamento usus huic non absimilis jam viguerit; unde Sacerdotes Hierololymam ex captivitate Babylonica reduces *ignem sacrum in crassam aquam conversum* invenerunt, quæ virtute Divina conversa est denuo in ignem, 2. Machab. 1. Secundò quòd luminum usus ac lampadum jam primò, scilicet Apostolico Seculò fuerit in Ecclesia, est omnium veterum Scriptorum communis consensus. Legatur hac super re Theophil. Raynaud. Tertio D. Urbanus Pontifex, qui mortuus est annò 233, manifestissimum facit, jam primis Ecclesiæ Seculis sacra lumina in templis arfisse; is enim præcepit, ut argentæ lampades remotis aliis vilioribus ignem in templis perpetuum alerent, si tamen proventus annui sufficerent. Quartò usus Cerei Paschalis jam primis post Christum natum Seculis notissimus erat Ecclesiæ; ardebant enim ejusmodi cerei in Parochiis præsertim majoribus, unde D. Zosimus Pontifex jam anno 419, extendit usum hunc etiam ad Parochias minores. Quinto per usum cereorum aut ignis sacri tum Vetus tum Nova Ecclesia aliud designari non curavit, quàm vivæ fidei, & ardentis charitatis ignem, quem Divinus Sponsus in prudentibus Virginibus admodum probavit; in fatuis verò virginibus cum ignem hunc penitus extinctum invenisset, coeli aditu his penitus interdixit. Alet igitur Romana Ecclesia prudentis Virginis instar ignem sacrum, eumque perpetuum, ridebit interea Ecclesiam Lutheranorum, Calvinorum &c. instar fatuæ virginis clamantium; *Date nobis de oleo vestro, quia lampades nostra extinguuntur.*

## Responsio II. ad II.

**C**UR Bonifacius III, sit, aut vocari possit primus Anti - Christus, etsi longissimè meditemur, speculemur, & ejus gesta discutiamus, nihil huic nomini in eodem aptum inveniemus. Aliud etiam non invenerunt ipsi Magdeburgici &c. quàm quòd primus omnium Pontificum *Oecumenici Episcopi* sibi proprium fecerit nomen. Verùm jam superius demonstratum est, dum agebamus de gestis D. Petri, hunc ipsum



jam fuisse Episcopum universalem. Aliud ipsi, ut ex omnibus allatis testimoniis apparet, non defuit, quam fortè Græcum hoc vocabulum *Oecumenicus*, quo de nomine si litigare velint heterodoxi, habent rem suis Academicis dignam. Forsan ideo tantopere vituperandus est Bonifacius, quòd à Phoca Imperatore hoc nomen sibi datum acceperit? Quæro ego hìc ex adversariis, à quo Imperatorum, Regum aut Principum datum sibi acceperint hoc nomen, quo nostris temporibus malunt vocari Evangelici, quam Lutherani &c. cum tamen quintum hoc Evangelium Lutherus faber cum sociis sibi similibus cuderit? Si vel Elisabetha Angliæ Regina dedisset, non displiceret certè ipsis nec datum nomen, nec dantis persona regia, etsi ipsa Regina cum Imperatore Phoca multum certaverit, ut sceleribus & crudelitate virum vinceret foemina. Quæ adeò non displicent Historicis Non-Catholicis, ut Elisabetham hanc sua ob facinora Superis æquent. Perpendant hi igitur, quam parum hìc contra Romanos Pontifices, contra se ipsos verò loquantur plurimum: surs enim ipsi viris Principibus, imò & foeminis potestatem *Sacram & Summam* in rebus cunctis adeò tribuunt, ut res & nomina ab ipsis data placeant. Nihil simile agnoscit Romana Ecclesia, ut tribuat DEO, quæ DEI sunt, nihil adimat Cæsari, quod est Cæsaris. Caterum tam res, quam nomen rei, de qua hìc nobis sermo, longissimo ante Phocam tempore in Romana Ecclesia vigeabant; nam hoc ipso nomine totum Chalcedonense Concilium nominavit D. Leonem M. *Oecumenicum Episcopum*. Fatentur autem Hübnerus & omnes alii Lutherani Historici, Concilium hoc fuisse celebratum annò 451. à 630. Episcopis, quorum nullus ne quidem cogitaverit sibi arrogare hoc nomen. Quærent fortè hìc Academici Coburgenses cum Hübnero & aliis: An igitur omnino nihil impetravit à Phoca Bonifacius III. Respondemus; hoc impetravit; liberatus nempe tandem fuit à longiori vexa, ut ajunt, quam sustinuerunt Sabinianus, Gregorius M. & alii Antecessores Pontifices tum ab Imperatoribus, tum à Patriarchis in Oriente. Plus certè non constat ex Historia veteri de Phoca Imperatore. Dum verò Pseudo-Historici audent dicere, Phocam Imperatorem, ut impetraret absolutionem de enormibus suis criminibus à Bonifacio III. concessisse huic Pontifici *Titulum Oecumenici Episcopi &c.* hoc iterum non pugnat contra Romanos, sed potius eisdem patrocinatur. Vel enim Phocas censuit sibi necessariam esse Romani Pontificis veniam, vel non? si censuit



cessit non esse sibi necessariam, tunc infirma est horum Historicorum obiectio. Si vero cessit sibi esse necessariam, tunc agnovit in Romanis Pontificibus longè majorem Authoritatem, Jurisdictionem ac Potestatem sacram, quàm in ullo suorum Patriarcharum Orientalium, à quibus veniam consequi facillè potuisset. Demus igitur quibuscunque nostris adversariis, Phocam Imperatorem à Bonifacio III. impetrâsse absolutionem; sed si hoc concesserimus, meritò sic concludemus: si in arido ligno hoc factum fuit, in viridi quid fuerit factum? si Imperatorum omnium pene crudelissimus & sceleratissimus tantam in Romanis Pontificibus agnovit potestatem, quantam jam agnoverint Imperatores priores omnium virtutum genere conspicui, Constantini duo, duo item Theodosii, duo Valentiniani, Martianus, Gratianus, Justinianus, Justinus & alii Romanæ Fidei addictissimi? Nam hi universi ac singuli non solum opere ipso facti sunt, Romanos Pontifices fuisse Episcopos universales, sed & verbis satis expresserunt. Singulorum Imperatorum verba, quibus id ipsum testati sunt, inveniri possunt in lib. Christoph. Ott. Secul. VII. annotat. 5. & aliis. Atque ex his apparet, ex quàm prorsus vano titulo Pontificum Romanorum hostes Bonifacium III. Anti-Christum dicere præsumserint. Apparebit autem hoc ipsum magis, si hac super famosa, aut potiùs infami quæstione consulatur G. Bellarminus, qui per 23. capita, seu per integrum librum tertium de Romano Pontifice ad oculum demonstrat:

- I. Anti-Christum unicum ac certum quempiam hominem futurum esse, non verò plures, prout plures fuerunt Pontifices Romani.
- II. Anti-Christum nondum venisse; quam propositionem firmat sex demonstrationibus solidissimis.
- III. Anti-Christi nomen haudquaquam posse convenire Romanis Pontificibus, quod idioma Hebraico & Græco maximè demonstrat.
- IV. Anti-Christi characterem in Scriptura expressum non convenire Romanis Pontificibus, quod ab inductione omnium errorum hac in re ab Heterodoxis allatorum ostendit.
- V. Anti-Christi nativitatem non convenire Romanis Pontificibus, cum nec Bonifacius III. nec alius Romanorum Pontificum per duodecim minimùm ad nos usque Secula ex Judæo aut infideli fuerit natus.
- VI. Anti-Christi sedem non futuram esse Romæ, sed Hierosolymis.



VII. Anti-Christi doctrinam toto coelo fore diversam à doctrina Romanorum Pontificum.

VIII. Anti-Christi miracula fore longè diversa à miraculis, quæ patrârunt Romani Pontifices, & quidem diversitatem illam facilè desumendam esse ex ratione omnium causarum, finalis scilicet, efficientis, formalis & materialis. Plura alia capita eodem libro adduntur, in quibus mirè confunduntur Anti-Christi propugnatores, scil. Lutherus, Calvinus, Synodus Schmalkaldica, Illyricus, Tilemannus, Chytræus, Bibliander & alii. Ut dictum fuit, præter C. Bellarmini libros legi hac de re potest etiam Christophorus Ott & alii auctores permulti, ex quibus ille in annotationibus suis præclare ostendit, quàm ineptè citati Scriptores Bonifacium Anti-Christum dicere non dubitârunt, eò quòd *Oecumenici Episcopi* nomen aut titulum assumpserit; si enim assumptio hujus nominis sit nota aut insigne Anti-Christi, cur non potius Cyriacus Constantinopolitanus Patriarcha vocatus est à Luthero &c. Anti-Christus; cum ipse hoc sibi nomen arrogare prorsus immeritò laborârît. Cur non etiam Anti-Christus vocatus est Henricus VIII Rex Angliæ? item ejusdem filia Elisabetha? aut alii qualescunque Reges aut Reginae Calvino aut Luthero addicti? qui non minorem datam à DEO sibi potestatem fingunt, quàm accepisse Summos Pontifices ab eodem Divino Numine Catholici docti sunt credere, haudquaquam induci motivis carnalibus, quibus inductos, & nimium seductos fuisse novimus Lutherum, Calvinum & horum affectas?

### Responsio III. ad II.

QUOTQUOT adversantur hoc nomen *Papa*, tot apertissimè produnt, se nescire admodum, quæ sit vis aut significatio hujus nominis; ad parvulos igitur in Grammaticam ablegandi sunt novelli Doctores multi, ut discant à pueris, Græcum hoc nomen esse, & à Græcis ad Latinos translatum fuisse, ut eòdem aliud non significant Latini, quàm hac voce *Pater*. Istius autem nominis & aliorum multorum non absimilium usum jam primis Ecclesiæ Seculis viguisse, pluribus exemplis demonstrant citati sæpius auctores C. Bellarminus, Ott & alii. Lege igitur horum auctorum libros, & honorificentissima nomina Romanis Pontificibus primis etiam Seculis jam exhiberi & dari solita invenies ferè in hunc modum.

I. *Papa.*



- I. *Papa*. D. Ignatius in epistola ad Mariam Zarbenseni scribens : *cum esset*, inquit, *Romæ apud Papam Linum*. Vixit autem D. Ignatius Martyr & Episcopus ipso Apostolorum tempore, uti notum est. D. Augustinus ad Innocentium I. qui electus est Pontifex anno 402. sic scripsit : *Domino Beatissimo & Honoratissimo Fratri Sancto Innocentio Papæ Aurelius*. Concilium Chalcedonense celebratum circa annum 450. ita habet : *Beatissimus & Apostolicus vir Papa hoc nobis præcepit* ; quo nomine intellexit D. Leonem I.
  - II. *Pater Patrum*. Stephanus Archiepiscopus Cathaginensis in epistola ad Damasum ita habet : *Beatissimo Domino & Apostolico culmine sublimato S. Patri Patrum Damaso Papæ*. Scripta hæc epistola fuit circa annum 370.
  - III. *Summus Pontifex*. Idem Stephanus Archiepiscopus in eadem epistola : *Et Summo omnium Præsulum Pontifici*.
  - IV. *Princeps Sacerdotum*. Ita habet epistola Valentiniani Imperatoris ad Theodosium Imperatorem, quæ in tomo I. Conciliorum legi potest ante Concilium Chalcedonense : *Beatissimus Romanæ urbis Episcopus*, cui Principatum Sacerdotii super omnes antiquitas contulit &c.
  - V. *Caput Ecclesie*, quo titulo usum est Concilium Chalcedonense in epistola ad D. Leonem : *quibus tu velut Caput præeras*.
  - VI. *Pastor ovilis Dominici*. D. Ambrosius circa annum 385. ad Siricium Pontificem ita scripsit : *recognovimus litteris Sanctitatis tuæ boni Pastoris excubias, quàm fideliter tibi commissam januam serves, & pia sollicitudine Christi ovile custodias*.
  - VII. *Rector domus DEI*. Idem D. Ambrosius : *domus DEI est Ecclesia, cujus hodie Rector est Damasus*.
  - VIII. *Custos Vineæ*. Concilium Chalcedonense in epist. ad Leonem I. *Insuper contra ipsum, cui Vineæ à Salvatore commissa est &c.*
- Plures alii similes tituli & nomina inveniuntur apud C. Bellarminum de Roman. Pont. lib. 2. c. 31. ex quibus illi solum selecti sunt, qui longo tempore ante Bonifacium III. jam populi etiam voce vulgatissimi erant. Quantum igitur fallant & fallantur, qui scripserunt, aut etiamnum scribunt & dicunt, Bonifacium III. ex omnibus Romanis Pontificibus primum vocatum fuisse *Papam*, aut ab eo *Papistas* dictos fuisse eos, qui Romanæ Fidei profitentur sacra, abundè patet.

Respon-



## Responsio IV. ad III. IV. V. &amp; VI.

**C**RISI sua triplici aut potius multiplici superius allata Hübnerus se se iterum ostendit valde imperitum, & simplicem: sunt enim hæc omnia & plura alia his similia rerum capita à veritate Historica maximè aliena. Adde, quòd paucis horum Seculorum foliis multum sibi contradixerit: conqueritur enim, quòd in Ecclesia plantanda ex necessitate fuerit concessa jurisdictio inferioribus Episcopis, quam in Ecclesia jam plantata sibi eripi iidem Episcopi à Romano Pontifice dein nunquam passi sint, atque adeò *Episcoporum consensu* in Ecclesia statui nihil amplius potuerit; fol. autem ejusdem lib. 42. lamentatur, quòd Monachi ab Episcoporum jurisdictione fuerint omnino exempti. Ab initio quero hic, an cum consensu, vel sine consensu Episcoporum? si enim factum sit cum consensu Episcoporum, tunc objectio & querela Hübneri est absurda & nulla. Si verò fuerint exempti sine consensu Episcoporum, tunc sine Episcoporum consensu statuere multa jam potuit Romanus Pontifex; alias enim non ita displicere posset Hübnero hæc exemptio, si nullius momenti res foret.

Verum & hic negandum est, quòd pro indubitata veritate supponit Sax. Historicus; qui enim Juris Pontificii vel modicam hauserunt notitiam, illi probè didicerunt, Clericos Regulares, aut Monachos non omnino exemptos fuisse ab Episcopali Jurisdictione. Indulgendum tamen fortè est aliquid hac in parte Saxoni; nam Jus Pontificium à Luthero concrematum etiamnum suis sub cineribus tantum manet in Saxonia, imò reviviscit modò.

Item scribit Hübner fol. 27. in Synodo Nicæna an. 325. celebrata numeratos fuisse Episcopos 318, fol. 29. fatetur in Synodo Constantinopolitana I. habita an. 381. collectos fuisse Episcopos 150. fol. 32. inquit, in Concilio Ephesino circa annum 430. habitum fuisse congregatos Episcopos 230. Eodem fol. affirmat, in Chalcedonensi Concilio circa annum 450. congregato numeratos fuisse Episcopos 150. Fol. 37. asserit interfuisse Concilio Constantinopolitano II. an. 535. celebrato Episcopos 156. Fol. 56. non negat, habitum fuisse an. 787. Synodum Nicænam II. in qua constat fuisse collectos Episcopos 350. Atque horum Conciliorum operâ ac studiis pleraque fuisse ordinata, & plurima bona patrata in Ecclesia, divinis in locis ipse affirmat, Si igitur sine Episcoporum studiis & consensu in Eccle-



Ecclesia plantata Summus Pontifex agere vix quicquam potuit, ut ait Hübnerus, quomodo ergo Romanus Pontifex omnia per Monachos iisdem Seculis effecit: cum Ecclesia jam plantata floruit in allatis Seculis, & Monachi plurimi fuerint praesertim in Italia, Graecia & Asia atque Africa numerati.

Accedit, quod Ordo Monachorum hoc Seculo nullus fuerit institutus; sed Seculo jam priori circa annum 520. D. Benedictus regulam suam Summo Pontifici confirmandam obtulit, & confirmatam recepit; D. Augustinus verò jam priori Seculo, sicut & alii Religiosorum Ordinum Fundatores jam prioribus Seculis Religiosos coetus convocarunt, & suis regulis infiruxerunt. Imperitum igitur vel fallacem se denuo probat Hübnerus, dum ait, varios Monachorum Ordines hoc septimo Seculo fuisse introductos, ut Romano Pontifici assisterent in conservando titulo *Episcopi Oecumenici*.

Denique simplicitatem professò paucis suis lineis ostendit idem aperitissimam, dum in hoc & aliis libris hos ipsos Monachos vocat *homines otiosos &c.* nam si tanta horum virorum solertia & industria tum temporis jam fuit, ut per eos Pontifici omnia potuerint innotescere; Pontificum etiam adversarii facillè fuerint superati, & in confusionem dati, atque adeò Romani Pontifices in sua dignitate per eosdem Monachos fuerint conservatis, imò semper magis promoti; hæc aliave similia non ignaviam, sed summam indicant his viris fuisse vigilantiam ac diligentiam. Præterea omnibus aliis virtutibus prorsus eximiis hos ipsos Religiosissimi nos Ordines jam fuisse illustratos, sole meridiano clariùs ex eo patet, quod eodem jam tempore eorum multi in Summos Pontifices fuerint electi, alii in Cardinalium numerum cooptati, alii mitris exornati, plurimi verò Divorum catalogis inserti. Legatur hac super re Arnoldi Wionis liber, quem *Librum vite* inscripsit; aut Joannis Trithemii Abbatis Spanhemensis; aut liber Petri Messia; aut denique Petri Bugiani aliorumque plurimorum; hi lectoribus benevolis ultra triginta millia Divorum facillè numerabunt, qui solùm in Ordine D. Benedicti floruerunt. Ex horum autem numero sunt plurimi, qui circa Seculum VI, VII, VIII, IX, &c. suarum virtutum radiis totum orbem illustrarunt. Gratularentur certè Lutherani, Calviniani &c. & complacerent plurimùm sibi, si iis insignibus & dotibus suam, ut vocant, Ecclesiam instructam scirent, quantis insigni-



bus & dotibus e. g. D. Benedicti Ordinem instructum esse ignorare non possunt. Si enim duodecim jam Seculis perdurasset Lutheranismus, velut perstitit, & in suo vigore perseverat D. Benedicti Ordo etiam hodie toto pene in orbe florentissimus, tum enimvero prudenti viro integrum foret judicare, Lutheri doctrinam & virtutem non humanum quid sapere, sed *Digitum DEI esse.*

---

*Seculum Octavum.*

**LXXXVII. S. Joannes VI. Græcus, Ord.  
S. Benedicti.**

**C**UM tribus hostibus fuit lis Joanni VI. cum Imperatore Tiberio, Gisulpho Beneventano Duce, & Ariperto Longobardorum Rege. Horum primus Tiberius Joannem per Theophylactum Exarchum, quem cum copiis Romam miserat, capi jussit, sed incassum; non minus enim Joannes Pontifex, quam Sergius a populo constanter defensus minimè se hostibus infensum probavit; in omnes siquidem erat mansuetissimus, in pauperes insuper & captivos liberalissimus; quo insignis beneficii genere, aliisque factis summa humanitate plenis Gisulphum ad eum permovit, ut receptui caneret, armatum suum exercitum ex Romano territorio repetens, quod etiam Pontifici legitimo ejusdem Domino penitus restituendum esse censuit. Non minus Summo Pontifici huic restituit, quod abstulerat Rex Aripertus. Ter igitur de Ecclesia optimè meritus, tertio anno Pontificatus sui mortuus est an. 705.

**LXXXVIII. D. Joannes VII. Calaber  
Græcus.**

**E**ODEM ferè tempore, quo D. Joannes Sedem Apostolicam conscendit, solio suo restitutus est Justinianus junior Imperator, perduellium suorum vindex severissimus; toties enim eorum quempiam occidi mandavit, quoties mutilatas ab hostibus nares suas  
emun-



emungebat. A Sede tamen Romana haud alienus Joanni Pontifici duos Archiepiscopos misit cum precibus, ut centum & tres in Conciliabulo Constantinopolitano collectos canones comprobaret. Romæ igitur indixit Synodum, in qua Imperatoris precibus nihil tribuendum esse censuit, quòd prædicti canones à Concilio non legitime congregato fuissent probati. In eadem tamen Synodo Romana D. Wilfridum Archiepiscopum Eboracensem Angliæ, longo tempore exulem, dignitati suæ & sedi restituit. His præcipue gestis absolvit Pontificatum suum & vitam anno 707. Sed. 2.

## LXXXIX. Sifinnius, Syrus.

**V**IX electus est Pontifex, continuis chiragræ ac podagræ doloribus correptus ita fuit, ut die Pontificatus sui vigesimo iisdem doloribus corpus succubuerit exanime. Inter ejusdem desideria fuit illud ardentissimum, quo desideravit collapsæ magna ex parte Urbis moenia, & debilitata vetustate templa instaurare. Ob brevitatem temporis è numero Pontificum excluderunt Sifinnium nonnulli Historici, sed immerito; quasi verò Pontifex non minus esse possit viginti dierum, quàm annorum viginti?

## XC. Constantinus I. Syrus.

**T**RES fuere Constantini Pontificis tempore successivè Imperatores, Justinianus nimirum, Philippicus, & Anastasius, quorum primus & ultimus optimi, medius fuit pessimus: Justinianus namque in gratiam Pontificis rebelles Ravennæ cives subjugarat, eorumque permultos Constantinopoli cognitâ delicti causâ è medio sustulerat. Inter reos fuit Archiepiscopus Felix nomine, quem oculis orbatum in exilium expulit. Profuit exuli corporis cæcitas, ut animò videret magis sua crimina, quæ Pontifici Constantino Fidei formula à Felice oblata pridem indicarat; subito enim nigredinem induit, postquam à Pontifice ara fuit superimposita. Justinianus etiam Constantino Constantinopolin, & inde Nicæam venienti ea humanitate occurrit, quin venientem prævenit, ut omnium suorum Antecessorum tyrannidem in Romanos Pontifices non rarò exercitam ferè aboleverit. Non dubitavit



idem Imperator è manu Pontificis in se suscipere coronam Imperii, & eadem ornatus coronam Sanctissimi pedibus advolvi, Princeps vita longiori dignissimus, quam tamen post Pontificis abitum mense altero Philippicus ademit tyrannus perduellis & sacrilegus; is enim post occisum Imperatorem convocato quorundam in Oriente Præsulum Conciliabulo, unam tantum in Christo naturam admisit, cultum verò Sacrarum Imaginum omnino abolere statuit contra nitente summoperè Constantino, qui universo populo; post sesqui-annum enim Anattasius cognomento Arthemius à fidelibus persuasus arma contra Philippicum sumpsit, quem etiam captum orbavit oculis, & in exilium ejecit; cultum verò Imaginum Sacrarum aliàque plura à Philippico turbata restituit in Ecclesia adeo, ut meritus fuerit à Constantino in album Romanorum & Orthodoxorum Imperatorum inferi; in album verò mortuorum Pontificum insertus est Constantinus an. 714. Sed. 6.

### XCI. D. Gregorius II. Romanus.

**C**UM Constantino Papa Constantinopolin profectus adversus hæreticos fructu dicebat maximo: Pontifex vero creatus magnam Romæ partem instauravit. Monti Cassino etiam restituit disciplinam, numerum & vigorem, S. Benedicti Regulam, ex qua ipse ingentes fructus hauserat, plurimis commendatam cupiens. Primus ipse inter Pontifices fuit, qui per suos duces exercitum conduxit, quò contra Longobardos arcem Cumensem occupantes triumphavit. Bella Gregorio movit Imperator Leo Isauricus Imaginum Sacrarum hostis acerrimus, cui se opposuit Constantinopoli D. Germanus, in Persia verò D. Joannes Damascenus. Junxit ambobus D. Gregorius litteras severitate plenas. Edictum nihilominus suum Leo non minùs in Occidente quàm Oriente promulgari, & observari mandaverat. Fortissimè igitur Leoni se opposuit constanter Pontifex, cui suppetias tulit Carolus Martellus Galliæ Rex, imò cœlum ipsum non sine præsentissimis auxiliis adfuit; Luitprandus enim Longobardorum Rex, qui paulò antè fœdus cum Leone contra Romanos inierat, ex hoste in amicum subito mutatus, Imperatori fidem non servandam non servavit, DEO & ejusdem Vicario nunc demum se se subjiciens. Eidem huic Pontifici plurimum debet Germania nostra; D. Bonifacium namque misit, ut Germanis Orthodoxæ Fidei dogmata proponeret. Meritus est proin eam Historicorum quorundam

crisis



crisiti aut sententiam, qua Gregorium II, descriperunt in hunc fermè modum: si hujus gesta fuissent annotata veluti D. Gregorii Magni, par primo Gregorio fuisset Secundus, Secundo Primus, uterque Magnus. Vixit verò Secundus annis 73, mortuus 731. Sed, 17.

## XCII. D. Gregorius III. Syrus.

**A**NTEQUAM supremam conscendit cathedram, in cathedris minoribus Legem Christianam exponere consuevit Gregorius, quem Scripturæ Sacræ tam peritum fuisse tradunt, ut Psalterium Davidis memoriâ penitus comprehensum audientibus reddere valuerit. Exinde dum funebria D. Gregorio II, instituit, electus Gregorius III, Pontifex omnibus omnia fieri studuit, præsertim verò Germanis, quorum Apostolus est vocatus. Leoni Isaurico ut verbis & factis contraveniret, misit Gregorium Legatum cum litteris Apostolica sinceritate & severitate plenis: verum à Leone absterritus Legatus non ausus fuit litteras dare Pontificias, sed re infectâ Romam cum litteris reversus ad omnem poenam sustinendam se ostendit paratissimum. Imò iisdem munitus litteris iterum se accinxit itineri Constantinopolim versus; sed Leonis mandato in via interceptus est; contra Pontificem verò Imperatoria classis instructa Italiam petijt, quam tamen venti, ut Romæ succurrerent, vicerunt. Interea non destitit Pontifex Christi, ejusdem Virginis Matris, & Divorum Imagines in templa passim plurimas, introducere; meruit proin, ut & ipsius imago suam sibi brevi reposceret cultum, postquam nempe mortuus est an. 741, Sed. 11.

## XCIII. D. Zacharias, Græcus.

**S**UA humanitate Luitprandum Longobardorum Regem ad eò sedavit, ut depositis armis & pugnandi animis in viginti annos cum Romanis inducias pactus fuerit, simulque præter Anconam & Cremonam multas alias urbes restituerit. Vice altera ejusdem Regis animo conceptam & firmatam sententiam ita immutavit, ut licet contra Eutychium Ravennæ Exarchum jam in aciem prodijisset, arma tamen continuo deposuerit, Zachariæ oratione victus; unde ipse Imperator



rator Copronymus, ut Zachariae se non ingratum probaret, Romanis vim & injuriam fieri severè prohibuit, quamdiu Romanæ Ecclesiæ is Pontifex præfuit. Adhæc Carolomannum Regis Pipini fratrem veste Sacerdotali ipse induit; Rachin verò Italiæ Regem belli tumultibus occupatissimum, ut non minùs, quàm Carolomannus D. Benedicti habitum sago præferret, modo prorsus singulari permovit. Eo tempore Bonifacius cum DD. Sidonio & Virgilio Christi doctrinam Germanis exponere, & Baptismatis lavacrò purgare plurimos pergebant; ubi orta est inter eosdem Doctores lis de quapiam Baptismi forma, quam ab imperitis adhibitam fuisse non ignorabant. Litem igitur hanc ad se delatam decedit Doctor Supremus Zacharias, in cunctis rebus arbiter æquissimus; mortis verò arbitrium ipse subijt an. 752. Sed. 10.

### XCIV. Stephanus II. Romanus, Ord. S. Benedicti.

**D**IES Stephanus II, post electionem suam numeravit tres duntaxat, dubio posteris relicto, an ob brevissimam temporis periodum dicendus fuerit felix, an infelix magis. Infelix hac in parte forsàn solùm potuit dici, quòd ob dies Pontificatùs sui paucissimos Stephanum è numero Pontificum multi excluderint Historici; nostrum vero ut in numerum veniat, electum fuisse Pontificem sufficiat.

### XCV. D. Stephanus III. Romanus.

**T**ANTUS erat, ut ipsi Pontificum hostes hæretici eum egregiæ pietatis & prudentiæ virum, nec non viduarum atque pupillorum defensorem nuncupârint. Inter hos tamen hæreticos non fuit Imperator Copronymus, qui coacto trecentorum & octoginta in Oriente Episcoporum Conciliabulo tria rerum capita omnibus tenenda & servanda promulgari iussit: primum erat, ut *Divorum Imagines idola, eorum verò cultores idololatra dicerentur.* Secundum, *ex communione fidelium penitus exclusos esse Imaginum sacrarum cultores.* Tertium, *Divorum patrocinia esse vana, & eam ob rem jure prohiberi à fidelibus honorari Divos.* Continuo condemnavit Conciliabulum hoc Stephanus eo fructu, ut in Oriente etiã alterius non fuerit æstimationis & va-



& valoris, quàm quanti valoris fuit ipse Imperator. Vis tamen & arma Copronymi timenda erant; contra quem in suppetias vocatus Gallorum Rex Pipinus unà cum Regina & Regis liberis Pontifici obviam venit, manu ducturus regia equum Pontificium. Idem Pipinus cum filio Carolo à Stephano Rex Gallia inunctus, à Proceribus ejusdem regni Pontificis oratione permotus id impetravit, ut alium deinceps Regem non electuros se promitterent, quàm è Pipini stemmate oriundos. Gratissimum ob hoc etiam Pipinum expertus est Stephanus; in Italiam enim cum exercitu profectus Rex Exarchatum Ravennæ Pontificiæ iterum fecit ditionis, aperiens eadem in provincia amplissimum campum reparandæ Fidei & salutis. Aistulphus Longobardorum Rex perfidus vincendus erat, & victus est facile à Pipino, aut potius à DEO, repente apoplexiâ obrutus, quem feliciori fato secutus est Stephanus an. 757. Sed. 5.

### XCVI. D. Paulus I. Romanus.

**G**ERMANUS frater Stephani III. tanta erat charitate præditus, ut vix uno alterove famulo comite pauperum, captivorum & ægrotorum penates auxilii & solatii causâ intraverit. S. Dionysii cultor exitit frater uterque eximius, in cujus honorem prior ædem faciã inchoavit, alter consummavit. Corpus etiam D. Petronillæ arcâ argenteâ circumdedit, caput verò D. Joannis Baptistæ in Syriam misit. Imperium Orientis eo tempore etiamnum potius turbabat, quam gubernabat Constantinus Copronymus; plura enim quam decem Christicolarum millia morti dederat novus tyrannus. In mortuorum relatus est numerum D. Paulus an. 767. Sed. 10.

### XCVII. Stephanus IV. Siculus, Ord. D. Benedicti.

**P**LATINA Historicus inter alia de Stephano IV. hæc habet: *tanta probitatis & præstantiæ in rebus agendis erat Stephanus, ut tres Pontifices, Zacharias nimirum, Stephanus III. & Paulus eum nunquam à se dimiserint.* Creatus demum ipse Pontifex Constantinum, licet laicum, sacræ tamen Sedis invasorem, Desiderii Longobar-



gobardorum Regis auxiliò fretum audivit, postquam intra unius anni spatium gravissimi schismatis auctor extitit, ab iisdem oculis orbatus, qui captum Pontifici adduxerant. Cæcus videri poterat non oculis corporis potius, quàm animi; iniquitatem enim causæ suæ necdum videns, multis excusare, non accusare sustinuit. In monasterium denique à Pontifice abire iussus inter poenas didicit poenitentiam. Liberatus tantò æmulò Stephanus præcepit, ut diebus Dominicis à septem Episcopis Cardinalibus sacrum super aram D. Petri fieret; *atque hic primum mentio*, inquit Baronius, *de septem Episcopis Cardin. libus reperitur.* Verùm nos parùm de nomine solliciti sumus; cum rem & officium Cardinalium pridem agnovimus. Cæterùm in Oriente hac ætate Copronymus crudelissimè in Monachos & alios quosvis desævijt, iis infensus maximè, quibus calibatus antè matrimonium aut Venerem placebat. Huic igitur tyranno ut contraveniret Stephanus, quotquot poterat, templa & monasteria extruxit, feris etiam Copronymi nepotibus, hoc est, Wicleffo, Calvino atque Luthero nequaquam placitura. Mortuus est Stephanus annò 772. Sed. 3.

## XCVIII. Hadrianus I, Romanus.

**D**ESIDERIUM Longobardorum Regem adversarium, Carolum verò Magnum Germaniæ & Galliæ Regem expertus est sibi amicissimum; victus est proinde in Italia à Carolo Desiderius & Lugdunum in Galliam cum uxore & liberis missus; Hadrianus verò pacem cum amplissima Italiæ parte recepit testimoniis hanc in rem datis amplissimis iisque regiò sigillò munitis. Celebratum pene eodem tempore fuit in Bithynia Imperatricis Irenes etiam operâ Concilium Nicænum II, in quo à trecentis & quinquaginta Episcopis suus sacer honos Cruci sacratissimæ & Divorum Imaginibus est redditus, addita eas colendi methodo, quam Ecclesia constanter adhibuit, & deinceps adhibendam præscripsit. Interea Constantinus Copronymus & ejusdem filius Leo Isauricus carbunculis divinitus adusti interiêrunt. Offam Merciorum Regem Romæ tunc advenam suis pedibus advolutum vidit, cujus regnum, aut potius Angliæ provinciam præter Saxoniam, Galliam, Hispaniam, Scotiam & regna alia sibi vefigalem habuit. Bona igitur amplissima Eccle-



Ecclesiæ necessitatibus impendit sedulo. Partem haud mediocrem accipere pauperes, quorum diebus singulis centum suo in palatio pavit. Hujus proin Pontificis vitam & gesta quanti fecerit Rex Carolus, ex verbis Eginhardi Historici conjici potest, qui ait: *nunciato Pontificis obitu sic flevit, ac si fratrem, aut charissimum filium amisisset*; eidem certè manu regia epitaphium scripsit, & per universum regnum suum sacra fieri præcepit. Sedit post D. Petrum annis inter Pontifices pluribus, scil. 23. cum 10. mens. dum mortuus est annò 795.

## XCIX. D. Leo, Romanus.

**P**ASCHALIS Primicerius & Campulus Sacellanus Hadriani nepotes Leonem creatum Pontificem conductis sicariis in processione publica tanta vi & audaciâ aggressi sunt, ut eidem, veluti nonnulli testantur Historici, linguam & oculos evulserint, ac semivivum Monasterio S. Erasmi incluserint; nocte tamen sequenti recuperaverit divinitus valetudinem pristinam aut pristinâ meliorem, adeo ut paulò post præsentem Carolo Magno & copiosissimo populo cathedram conscenderit, dicturus suam causam Judex supremus à nemine hominum judicandus. Tum verò eundem Carolum Regem, Occidentis Imperatorem die nato Servatori hominum sacra anno 800. coronavit; filium verò Pipinum Italiæ Regem impositâ pariter coronâ confirmavit. Denique omnium Pontificum primus Germaniam petijt; ubi Aquisgrani Cæsarem salutavit, inde verò præsentibus trecentis sexaginta quinque Episcopis templum ibidem aulicum, Baderbornæ aliud ipse consecravit. Verdæ etiam D. Suibertum in numerum Sanctorum adscripsit; ubi Canonizatio omnium prima solennis adhibita. Hujus ipsius D. Suiberti beneficiò Jovelinus Bertholdi Ducis & Irmenegardis Principis foeminae filius vitam recepit, quam Rheinus priori die parvulo eripuerat. Redijt ex Germania in Italiam Leo, ubi annis & meritis gravis vitam mortalem immortali commutavit an. 816. Sedis 20. De eodem testatur Antonius Foresti Historicus, quòd ærumnis pressus maximis septies non raro eadem die ad aram fecerit, ut Numen sibi propitium redderet, & incumbentia Ecclesiæ mala averteret.



*Reflexiones Historicae supra Seculum VIII.*

**Q**UAMVIS Censores Magdeburgici rigorosè admodum, more nempe suo, examinârunt Romanos Pontifices, unicus tamen eorundem Pontificum inventus est, cujus doctrinam cum Orthodoxæ Fidei regulis non bene concordare existimant. Fuit is Pontifex Gregorius III. quem ajunt duplici modo errâsse;

- I. Quidem, quòd ordinari rursus jusserit eos, qui initiati fuerant sacris Ordinibus ab Episcopis aliis, quàm quos Gregorius miserat.
- II. D. Gregorium docuisse ajunt, quòd permissum sit viro ducere uxorem aliam, si propter morbum uxor prima conjugale debitum reddere nequeat.

*Responsio I. ad I.*

**S**I fideli oculo legeretur epistola, quam Gregorius III. scripsit ad D. Bonifacium Germanorum tunc temporis Apostolum & Archiepiscopum Moguntinum, tunc non tardarent confiteri Magdeburgici, Gregorium aliud non docuisse, quàm eos non veros esse Sacerdotes, qui ab aliis, quàm legitimis Episcopis fuissent ordinati. Fuit, ut ipse D. Bonifacius persapè conquestus est, multorum pravorum hominum tanta fraus & ignorantia tanta, ut alii pro Sacerdotibus haberi voluerint, quales tamen non fuerunt; alii verò pro Sacerdotibus agniti fuerint, eò quòd se tales esse ipsimet crediderint, de quibus proin meritò poterat dubitari, an modò legitimò & validò fuerint ordinati. In dubio autem, an Sacerdos sit ritè in Sacerdotum numerum adscriptus, non est perseverandum, sed Ordo sub conditione conferendus eo prorsus modo, quo conferendus esset Baptismus infanti, de quo dubium manet, utrùm sacra Baptismatis unda sit ritè purgatus. Breviori responso hìc contentus fuit C. Bellarminus, dum solùm ait, apertum hìc esse Magdeburgensium mendacium; Gregorium enim aliud non scripsisse ad D. Bonifacium, quàm ut ritè consecrarentur illi, qui ad speciem fuissent consecrati ab Episcopis non legitimis.

Respon-



## Responsio II. ad II.

**S**i hæc fuisset doctrina Gregorii, tunc longè minus utique errasset, quàm Lutherus, quem tamen forsàn etiam hodie errasse hac in parte negabunt ejusdem successores, dum ipsi cum suo hoc Doctore docent, si conjugii debitum reddere non lubeat, posse maritum ad ancillam &c. ingredi. Certè similes doctrinas in Hübnero plures inveni, dum homo nunquam magis facetus, quàm die Veneris, quem celebrat per hebdomadam totam, hoc est, per suos libellos omnes ait: *nunc cum matre, & max cum filia tractare Venerèa, esse idem ac Gallinam, & deinde pullum comedere.* Omitto hìc Hübnerianas facetias huic similes, easque plurimas, quas vel ipse autor invenit, vel ex aliis non nisi malè deprompsit. Quæro tamen, vel doctrinam hanc tenent Doctores hodie v. g. Lutherani, vel non? si non, tunc reliquerunt doctrinam Lutheri, & antecessorum suorum, veluti fateri hodie multi vel incipiunt, vel potiùs pergunt, dum inquirunt, sese Lutheri doctrinæ non multùm tribuere; sed adhærere se *puræ veritati Evangelicæ*, colore quæsito speciosissimo, quo suos errores pingere solent penè omnes hæretici. Si verò prius docent, tunc certè adulteriis & incestibus, aperiunt januam, & sibi viam ad orcum pandunt latissimam, ac Evangelicæ veritati prorsus contrariam. Adversantur præterea Lutheranorum plurimorum moribus, qui adeò sui & suorum nondum sunt oblitii, ut publicis pœnis non puniant adulteros &c. parùm tamen solliciti de fornicatoribus.

Ut autem D. Gregorii mens magis pateat, aliud certè non docuit in ea epistola ad D. Bonifacium data, quàm marito, si duxerit uxorem perpetuà impotentia impeditam, licere ducere conjugem verè talem; cum prior conjux reverà non fuerit. Et hæc est doctrina Jure Pontificio receptissima.

Quod si autem rescripsisset D. Gregorius, posse maritum ad mulierem aliam accedere, morbo impedita conjugè propriâ, an contra Fidem docuisse quicquam dicendus foret? R. nequaquam; fuerunt namque illo tempore Doctores plures, & inter hos prioribus Seculis etiam D. Augustinus, qui existimârunt, licere impetrata per conjugem licentia accedere ad foeminam aliam sine alterius injuria se offerentem ita, ut saltem non committatur adulterium; vel certè minus permittendum esse malum, ut evitetur majus, aut malum maximum.



Colligant ex hoc heterodoxi omnes, quàm sedulò in Romana Ecclesia inquiratur, & passim doceatur, quid liceat, aut quid non liceat, ut tum Divina, tum humana serventur & observentur Præcepta: cùm interea ipsorum Præceptores vel qualescunque Doctores in materia, quæ ad mores spectat, ipsis noctuïs magis cæcutant. Nihilominus suos Jurisperitos ad cœlos usque extollant. Quasi verò non æquè necessarium sit hominibus ad Deum accedentibus scire, quid liceat in Præceptis à Jure Civili diversis, quàm in Civilibus. Oportet nimirum esse bonos cives, sed magis Christianos. Oportet esse præstantes Jurium peritos, sed præstantiores Theologos.

### Reflexiones & Responsiones ad alia adversariorum Objecta.

**S**UPRA Seculum hoc octavum in libro de Romanis Pontificibus, tum etiam de Romanorum Imperatoribus Joannes Hübner satis longum formavit discursum, in quo ita rem suam proposuit, ac si (ut ipse loquendi methodo) Historiam recenseret è sacris Bibliis depromptam, Ex quo discursu pronum ac promptum est formare puncta sequentia:

- I. Motam fuisse hoc Seculo controversiam, utrum DD. Imagines deberent adorari.
- II. Ecclesiam Latinam & Græcam ita fuisse tunc temporis divisas, ut ab illo tempore nunquam fuerint conciliatæ.
- III. Romanos Pontifices ita fuisse denigratos Imperatoribus Orientis, ut Pontificibus ob hoc opus fuerit in Occidente Imperium erigere, & sic sub Imperatorum Occidentis præsidio tuti ac tecti possent latere.
- IV. Ex Zachariæ consensu iniquo Childericum Galliarum Regem monasterio fuisse inclusum, Pipinum verò *Majorem domûs*, uti vocârunt, in Childerici solium fuisse evectum.
- V. Romanos Pontifices falsò ac subdolè prætendisse, ingentem bonorum immobilium donationem factam fuisse à Constantino M. Ecclesie Romanæ.
- VI. Titulò Romani Patritii includi supremam potestatem supra ipsam Romam, quam potestatem Carolus sibi reservârit.
- VII. Carolum M. vendicâsse etiam sibi jus eligendi Summum Pontificem.

Respon-



## Responsio I. ad I.

**I**N fronte septem horum capitum caput suum jam erigit fabula quò petita longius, eò crassior. Ait nempe etiam in aliis suis libris, motam esse octavò Seculò controversiam, utrùm Imagines Divorum deberent adorari? cùm tamen nemo unquam ex Latinis vel Græcis Patribus somniaverit de adoratione Imaginibus Divorum exhibenda. Credidit nempe *Unum, Solum, ac Verum DEUM* perpetuò Romana Ecclesia, *hunc solum semper adoravit, hunc solum semper adorandum.* Quisquis Latriæ cultum ulli Divorum exhibuerit, hunc utpote idololatram semper anathematizavit, & ultra Garamantas & Indos proscripsit. Vide *Seriem Romanorum Imperatorum Seculo VII.*

Quòd verò cultus Imaginum, quibus DEUS & Angeli proponebantur Israëlitis, in Testamento Veteri jam floruerit: item quòd Servatore nostro in terris agente ejusdem Imagines jam summa veneratione fuerint in fidelium domibus servatæ; quòd etiam Divorum Imagines per continuam Seculorum seriem tum in sacris, tum in profanis ædibus Catholicorum venerationi commendatæ fuerint, argumentis pene innumeris demonstravit C. Bellarminus, Gretserus & alii Scriptores plurimi, qui præter allata argumenta sua ad singulas singulorum hæreticorum objectiones responderunt solidissimè. Horum igitur libros refutant priùs Iconoclastæ, seu sacrarum Imaginum hostes; & tum demum Historiam de cultu Imaginum scribere præsumant. Tantis verò authoribus respondere cùm hætenus non sustinuerint, hinc planissimum est, Historias eorum calamis scriptas, crassâ & affectatâ ignorantia esse refertissimas, dum nolunt Catholicorum Scriptorum libros legere aut intelligere, ut bene agant. Quibus proin illud Deuteronomii c. 32. jure objici potest: *utinam saperent & intelligerent!* Nobis hîc sufficiat quatuor Concilia afferre, quorum duo in Oriente, duo reliqua in Occidente fuerunt celebrata. Prima duo inter Oecumenica fuerunt ordine septimum & octavum. In Occidente celebratum est Concilium Romanum, sub Gregorio III. quod etsi Nationale tantum fuerit, eidem tamen ferè mille Episcopi interfuerunt. Quartum fuit congregatum tempore Stephani III. & Caroli M. Atque in his Conciliis datus & conservatus est suus cultus sacris Imaginibus, quibus omnem honorem adimere hodie etiam conantur Calviniani, Lutherani



&c. vix alio adducti motivo, quàm quod reliquerunt Leo Isauricus cum pravis successoribus quibusdam, & conciliabulum in Oriente Constantini Copronymi armis & tyrannide coactum.

Responsio II. ad II.

**E**TIAM in secundo puncto caput suum instar hydræ erigit Hübneriana fabula, dum ait, Ecclesiam Latinam & Græcam ita fuisse divisas, ut ab octavo Seculo nulla fuerit inter utramque unio usque in hodiernum diem. Quamquam enim Leo Isauricus, Constantinus Copronymus, & alii in Oriente Imperatores Ecclesiam Græcam modò suo imperandi prorsus tyrannicò à Romana dividere conati sint, aliud tamen vix fecerunt aut effecerunt, quàm quod egerunt primis Ecclesiæ Seculis Nero, Domitianus, Trajanus, Diocletianus aliisque Imperatores barbari. Si tamen Græca dividatur omnino ab Ecclesia Latina per hoc, quòd Imperator Græcus convocet conciliabulum, & eoli Divorum Imagines prohibeat, tunc ut jungatur Ecclesia Græca cum Latina, nihil aliud requiritur, quàm ut Imperator Græcus in Synodum novam consentiat, & stet pro cultu sacrarum Imaginum. Posterius hoc autem fecerunt plurimi Græcorum Imperatores. Duobus verò Conciliis, & quidem Oecumenicis, consenserunt etiam, & adstiterunt armis & animis, consiliis & auxiliis, Irene Imperatrix circa annum 787. & Basilius Imperator annò 869. Constantinopoli celebratis, in quibus approbatus est cultus sacrarum Imaginum, & unio inter Latinam & Græcam Ecclesiam penitus est instaurata. Falsissima igitur & crasse ignorantia plenissima est Hübneri assertio. Adde, quòd plura exempla brevitatis causà hic omittantur, quibus demonstrari posset, unionem Ecclesiæ cum Græca per sequentia Secula fuisse sæpius renovatam & confirmatam.

Responsio III. ad III.

**E**X responsione secunda fuit per se tertia, qua rursus ostenditur malitia Hübneri omnia in sinistram partem interpretantis; cum enim ante & post Irenem Imperatricem plures fuerint ex Orientis Imperatoribus, qui Græcam cum Latina Ecclesia unitam defenderunt; pro viribus suis propugnârunt; Pontificibus Romanis crebrò Legatos miserunt, & dona pretiosissima Romæ dederunt, ut ex eorum Imperatorum gestis clarif-



clarissimè patet, hinc falsissimum est, quòd Romani Pontifices adeò fuerint in Oriente denigrati. Accedit, quòd eodem tempore, quo erigi de novo cœpit in Occidente Imperium, Imperium Orientis moderata sit Irene, quæ tantam cum Carolo M. colebat amicitiam, ut augustas contrahere nuptias cum eodem Carolo jam decreverit. Non igitur illo tempore Romanis Pontificibus plus sperandum erat, ab Occidentis, quàm Orientis Imperatoribus; cum æquè pro Romanis Pontificibus stare decreverit Irene Imperatrix, & ejusdem Successores multi, quàm Imperator Carolus. Non oblivioni etiam dandum hic est, quòd filii Caroli Magni, hujus item nepotes & pronepotes bellis suis tum externis tum civilibus æquè parùm præsidii & auxilii Romæ promiserint, ac promisere Orientis Imperatores Irenes Successores, quod ex Historia Seculi IX. magis apparebit.

#### Responsio IV. ad IV.

**A**PERTISSIMA & impudentissima est fabula, qua Hübnerus asserere ausus fuit, Zachariæ Pontificis iniquo consensu Childericum III. Galliarum Regem monasterio inclusum, Pipinum verò pari iniquitate in Childerici solium fuisse evehctum; quòd enim Zacharias legitimè, justè & sanctè consenserit in opus hoc regium, affirmant exceptò Calvinò & Magdeburgensibus omnes tam Græci, quàm Latini Historici. Ex Latinis expressè pro Zacharia testimonium dixerunt Eginhardus in vita Caroli M. Cedrenus in vita Leonis Isaurici, Paulus Diaconus lib. 6. c. 5. de gestis Longobardorum, Blondus, Rhegino, Marianus Scotus, Otho Frisingensis, Ado Viennensis, Abbas Urspergensis, Sigebertus, & Paulus Æmilius: hi omnes & plurimi alii testantur, paulò ante Pipini Regis temporis ita Reges Francorum degenerasse à suis majoribus, ut omni prorsus regni cura in *Majores domus* translata fuerit adeò, ut semel tantùm in anno, nimirum Calendis Maii, se populo conspiciendos exhibuerint; toto verò reliquo anni tempore deliciis & voluptatibus se totos dederint, & eam ob rem omnium Procerum consensu à Pontifice Romano fuisse petitum, ut permitteret nomen etiam regium in eos transferre, qui nomine tantùm hæctenus Reges non erant. Unde hunc in modum pergit scribere C. Bellarminus: *Quod sanè justissimum postulatum erat: laborabat enim Gallia propter illa monstra apud omnes nationes gravissimâ infamiâ, & similiter regnum innumeris dissensionibus replebatur.*

Ne-



Neque solum ( cui isti auctores dicunt ) nulla regni negotia Reges illi curabant, sed etiam propter eorum inertiam Religio in Gallis ita laboravit, ut pene extincta sit, ut patet ex epistola D. Bonifacii Episcopi Moguntini ad Zachariam Romanum Pontificem data; ubi dicitur per octoginta circiter annos in Francia illis Sardana-palis regnantibus nullam Synodum fuisse celebratam; Ecclesias Episcopales à laicis & publicanis possessas; Clericos quatuor aut quinque simul concubinas habuisse; Religionem denique omnem conculcatam & dissipatam. Cum ergo Zacharias intelligeret jam per multos annos Reges Francorum solo titulo fuisse Reges, & Childericum, qui tunc regnabat, non solum more majorum nihil curare, sed etiam omni prorsus ingenio carere ac verè stupidum dici & esse: & simul videret, regnum & Religionem in Gallis ruere, & omnes Proceres regni Pipinum Regem optare, tandem ut is, ad quem spectabat providere omnium suorum salutem, judicavit licere Francis regnum Childerici in Pipinum transferre. Atque ipse eos juramentò, quo se Childerico obstrinxerant, solvit. Quod sanè justum fuisse nemo sanae mentis negabit. Praesertim cum eventus docuerit, mutationem illam felicissimam fuisse: nunquam enim regnum Francorum potentius, aut Religio in Gallia florentior fuit, quàm tempore Pipini & Caroli. Haecenus ad verbum C. Bellarminus, in cujus lib. 2. c. 17. de Romano Pontifice longè plura legi possunt.

### Responsio V. ad V.

**S**CRIPSIT hìc Hübnerus haud aliter, ac si planè contemporaneus fuisset Constantino, & deinde Carolo M. nec minùs hujus successoribus imperantibus; negat enim audacissimè, ullam bonorum saltem immobilium donationem fuisse factam à Constantino M. Romanae Ecclesiae: affirmat verò non minùs audacter, aut potiùs impudenter, quòd Romani Pontifices iniquè prætenderint jus in ullum Italiae territorium; dum Carolo M. & hujus successoribus instar veritatis Evangelicae credendum proposuerint, donationem bonorum in Italia amplissimorum à Constantino M. Ecclesiae Romanae certè fuisse factam. Fateri tamen videtur, quòd Carolus M. donationes à Constantino M. Ecclesiae vel verè vel falso factas unà cum successoribus ratas habuerit, probàrit & confirmàrit.

Quæro



Quæro igitur hic ex Hübnero: Si Summi Pontifices prætulerunt eoram Carolo M. Lothario, Ottone I, Henrico Sancto, & aliis Imperatoribus, qui omnes novo edito diplomate facti sunt, ea bona jure deberi Ecclesiæ Romanæ, vel Romanis Pontificibus, fidem habuerunt, vel non? si fidem non habuerunt, tunc vana, inuisa ac stolidi est querela Hübneri. Si vero fidem habuerunt, tunc illis ipsis Imperatoribus res notior esse potuit ac debuit, quàm nostris temporibus; cum Pipinus & Carolus paucis post Constantinum M. Seculis vixerint. Post unum aut alterum Seculum secutus est Otto I. Jurium Ecclesiasticorum satis rigidus inquisitor. Si igitur tanti Imperatores, omni fide humana dignissimi, approbârunt, stabiliverunt & confirmarunt jura Ecclesiæ Romanæ antiquissima, quamvis ipsorum confirmatione Ecclesiæ minimè opus fuerit re ipsa, quid amabo Magister Saxonicus, tam crassis ac crudis verbis in contrarium asserere audeat? Respondeat ipse potius, aut alii ipso doctiores Calviniani aut Lutherani, sive alii invasores bonorum Ecclesiasticorum, in Germania præcipuè? quis Imperatorum aut Regum donavit ipsis, iniquissimis nempe Ecclesiasticorum bonorum possessoribus, tot quondam in Germania bona Ecclesiastica? Jure belli, respondebit Hübnerus, Protestantes Principes sibi subjecerunt eas ditiones, quas quondam Germana Romanæ subiecta possidebat Ecclesia. Ita sanè respondere deinceps poterunt quivis raptores, prædones, grassatores, piratæ, aut fures alii passim. Certè si hodie Romanæ Ecclesiæ hostes totam Romanam ditionem quibuscunque vel artibus vel fraudibus sibi valerent subicere, parùm sanè solliciti forent de Donatione Constantini; jus sibi ab injuria certò vendicaturi. Cæterùm quo jure sua bona deberi sibi profiteatur Romana Ecclesia, pluribus ostenderunt tum Jurisperiti, tum Historici plurimi, Græci ac Latini, Veteres ac Recentiores, tempore, fide & autoritate Lutheranis & Calvinianis longè antiquiores & digniores, quorum plerique ne quidem meminerunt Donationis Constantinianæ; cum ejusdem etiam meminisse non dignati sint plures Romani Pontifices, veluti ex Cardinale Baronio probè ostendit Spondanus.

### Responsio VI. ad VI.

**L**OQUITUR hoc loco iterum Hübnerus de Carolo M. Patritii Romani titulum assumente, haud secus, ac si ex Bibliis decerpta recitaret

*R. P. Kolb Series Pong. Pars II.*

Q

verba



verba Divinissima, dum ait, Carolum M. sibi supremam potestatem in Romam ipsam reservasse. Evangelica nempe veritas probatione non indiget. Ita etiam Hübnerus assertiones suas testimoniis non firmat ipse sibi testis sufficientissimus, falsitatibus ita assuetus, ut passim fabulas pro certa veritate vendere non erubescat. Quæro enim hîc: si Carolus M. reservavit sibi supremam potestatem in Romam ipsam, vel intelligitur potestas Ecclesiastica, vel civilis? non Ecclesiastica; quia nullius Historici liber inventus est hæcenus, uti testatur C. Bellarminus, qui opinionem talem suis inseruerit Historiis: unde nec ipse Calvinus plus ausus est asserere, quàm Pipinum & Carolum M. detulisse Summo Pontifici Primatum in Gallias & Germaniam. Quòd autem hæc ipsa Calviniana assertio sit falsitatis & ignorantia plena, ex eo constat, quòd perpetuam ante Carolum M. & Pipinum Reges, Romani Pontifices in Galliam veluti in alia regna exercuerint Ecclesiasticam jurisdictionem ac potestatem. Legitur passim in antiquioribus Historicis, ab ipso D. Petro & hujus Successoribus missos fuisse in Galliam Missionarios Apostolicos, qui ex nutu Romanorum Pontificum toti pependerunt, eorum ex arbitrio cuncta disponentes. Legitur D. Martialis missus à D. Petro, Fidei Orthodoxæ dogmate instruxisse Lemovicenses, Tolosanos & Burdegalenses. In Apostolicis laboribus non minùs profuisse Gallia legitur D. Linus immediatus D. Petri Successor, Visuntinus antea Episcopus, qui disponente D. Petro Româ in Galliam abiit, & Romam inde rediit Supremo Pontifici in cunctis obedientissimus. Omitto hîc ab Historicis aliis minimè omissa plurima exempla, quibus demonstratur veritas Calvino contraria. Non tamen omittam exempla notiora, & imprimis D. Hormisdæ Pontificis, quem Clodovæus Rex totius Galliaæ supremum agnovit Episcopum, ut tum ex gestis D. Hormisdæ, tum Clodovæi sufficientissimè patet. Similem potestatem exercuisse in Gallicanam Ecclesiam legitur D. Gregorius M. D. Leo, D. Cyprianus, quorum hîc annis amplius quingentis, Leo verò annis trecentis & quinquaginta, Gregorius autem annis pene ducentis vixit ante Pipinum Regem.

Jam verò quòd idem sit Romanum esse Patritium, ac supremum Romæ Dominum, est doctrina prorsus nova, fortè primùm cum Hübnero nata, aut certè non antiquior Luthero. Quòd autem nova sit doctrina, & omni fundamento destituta, patet ex eo etiam, quòd nec Hübnerus, nec ullus alius eandem argumentis firmarit.

Ne



Ne tamen Hübnero vel modicissimè tantùm detrahā, afferam in responsione septima ipsius hanc in rem datum argumentum. Condoleo autem eidem, quòd denuo sibi nimium contradixerit, dum in discursu supra idem Seculum hoc octavum relicto retulit, Carolum Magnum in Romam ipsam reservasse sibi supremum dominium, Pontifices verò Romanos præterdissè præsentè Carolo M. Romam & Italiæ ditiones alias à Constantino M. Romanæ Ecclesiæ donatas fuisse, atque huic vel verò, vel falso donationis titulo veluti Evangelicæ veritati acquievissè M. Carolum, & ante hunc Pipinum Caroli M. patrem. Si enim huic Pontificiæ præterfioni acquieverunt & Carolus, & fortè etiam Pipinus, qua ratione supremum sibi dominium in Romam ipsam eique adjectam ditionem reservarunt? Consideret itaque Hübnerus, vel ejusdem clientes, quid respondeant hac in parte, ut evadant. Sunt fortè ex horum numero quidam, qui ex eo arguunt, Carolum M. in Romanam ditionem sibi vendicasse supremum dominium, quòd Romæ ac Romanorum Pontificum Protectorem se constituerit. Verùm hoc tam parùm probat, reservatum fuisse Carolo M. ullum dominium in Romam, aut Romanum Pontificem, quàm parùm dominiū habuit Henricus VIII. Angliæ Rex in Romanam Ecclesiam, licèt à Leone X. dictus fuerit *Defensor Fidei*, seu Romanæ Ecclesiæ. Protector Ecclesiæ Romanæ non minùs dici amavit Hugo Capetus Rex Galliæ, & alii in regnis aliis non ab simili titulo aut prærogativa gavisi sunt Reges; eorum tamen ullus ne somniavit quidem de quodam dominio in Ecclesiam Romanam sibi vendicando. Elisabetha Angliæ Regina fuit Protectrix Reipublicæ Batavorum; sunt & fuerunt Galliæ Reges Protectores Reipublicæ Helvetorum: nec tamen Helveti Gallis, nec Batavi Anglis ullum in se adicribunt dominium. Potuisset forsan Hübnerus ex Christiano Funcio Scriptore sibi non dissimili ad specimen formare argumentum, seu testimonium assertioni suæ accommodatum, qui adducit Zonaram Græcum Historicum, & Eginhardum Caroli M. Cancellarium, ex quibus Funcius ait, probari posse Carolum M. fuisse Romanæ ditionis Dominum. Quàm iniquè verò uterque horum Auctorum citetur, præter alios videri potest C. Bellarminus, Baronius & alii. Unde nec civilem sibi potestatem ullam vendicare potuit.

#### Responsio VII. ad VII.

**S**EQUITUR hinc jam Hübnerianum argumentum, quo nititur probare, Carolum M. vendicasse sibi supremum dominium in Romam.

Q 2

&



& ipsum Romanum Pontificem. Ait nempe, veritatem hanc ex eo satis patere, quod reservavit sibi jus eligendi Romanum Pontificem. Hic est Hübneri Achilles invincibilis. Affert nempe pro confirmatione sui asseru, quod etiam Romanorum Pontificum hostibus est in quaestione, Orthodoxis verò nobis contrarium est indubitatum; est enim vel maximè in quaestione, utrum Carolus M. unquam cogitavit de vendicando sibi jure eligendi Pontificem. Catholicis certè de re hac minimè constat. Quis autem ex Romanorum Pontificum hostibus vel ad speciem tantum probavit unquam, Carolum M. sibi vendicasse, aut reservasse jus eligendi Summum Pontificem? etiam de nullo eorum profectò constat. Quàm benè autem sibi cohæreant Hübneri dicta, nunc attendamus. Vivente Carolo M. mortuus est Hadrianus annò nimirum 795, quem Pontificem contra Desiderium Longobardorum Regem constantissimè defendit, propugnavit, ac in Sede sua confirmavit Carolus jam tum in tota Germania, Gallia & Italia, imò in tota Europa potentissimus; in Asia verò & Africa etiam famosissimus. Electus est in Pontificem eodem an. 795. Leo III. à Clericis, sicut alii Pontifices, quin tamen Carolus M. aut per se, aut per suos Legatos Electorem egerit, Historici certè nec verbum reliquère. Mortuus est verò Carolus M. annò 814. Leo III. Carolum mortuum moriendo secutus est an. 816. Successit Carolo M. in Imperio Ludovicus Pius, Leoni verò Stephanus V. quem equidem Hübnerus ait, electum fuisse sine Ludovici vel præcitu vel consensu: Stephanum idcirco in Galliam properasse, iratum priùs Ludovicum coronasse, & hanc coronam impositam sibi rursus Imperatorem conciliasse.

Notanda hic præcipuè veniunt verba ultima, quibus fatetur, electum fuisse Pontificem Stephanum sine consensu Imperatoris, sed hanc ob causam Stephanum properasse in Galliam conciliandi Cæsaris causam. E quibus verbis patentissima sua veluti cornua erigit fabula; testantur enim non modò Catholici, sed etiam alii passim Historici, quòd Romæ & in aliis Italiæ urbibus orta seditione gravissima Stephanus V. compulsus fuerit in Galliam fugere, ubi summa humanitate à Ludovico Pio fuerit exceptus in campo Rhemensi, inde verò idem Stephanus Rhemis tam Imperatorem, quàm Imperatricem corona Imperatoria ornaverit. Duæ igitur longè diversæ causæ fuerunt instituti hujus itineris. Prima earum fuit, orta inter Italos seditio; secunda Imperatoris ac Imperatricis coronatio.

Hanc



Hanc utramque causam unanimi calculo expresserunt Historici; profus novam affinxit Hübnerus. Fingamus nos modo æquiori, Carolum nempe M. voluisse sibi vindicare potestatem eligendi Romanum Pontificem, ab hoc verò eam potestatem Imperatori Carolo potuisse concedi. Quis a-mabo possit præsumere, quòd Clerici Romani quamprimùm post mortuum Carolum Imperatoria jura fuissent violaturi? tanta certè crimina jus vetat præsumi. Adhæc si Carolus M. jus eligendi Pontificem sibi attribuit, quis eidem ansam præbuit? forsàn Imperatores Græci. Verùm de horum aliquibus tantùm legitur, quòd jus confirmandi solùm, non verò eligendi Romanum Pontificem sibi arrogârunt. Si igitur Carolus M. sibi jus eligendi Pontificem arrogâset, edidisset exemplum sine exemplo, præjudicasset insuper valdè Orientis Imperatoribus, quibus Romani Pontifices permiserunt copiam per aliquod tempus confirmandi Romanos Pontifices; non quòd jure ipsis deberi agnoverint, verùm quòd vi compulsi maxima, aliter denegare haud potuerint, necessitate omne consilium superante. Vide Reflexiones in Serie Rom. Imp. Seculi VIII, & IX.

Addit quidem in discursu suo, quod obiter tantùm proposuit, argumentum ab Heterodoxis aliis Scriptoribus pluris æstimatum, quo ajunt, Leonem III, fuisse Romæ judicatum à Carolo M. ex quo appareat, Romanum Imperatorem habere potestatem in Romanum Pontificem. Verùm non audent utique sic scribere & credere auctores isti, si legissent C. Bellarmini librum II, de Romano Pontifice, in cujus cap, 26. & seq. demonstrat ex testimoniis plurium Conciliorum, ex confessione ipsorum Imperatorum, ex plurimis exemplis, & ex Patrum sententiis Romanum Pontificem quàm talem nec fuisse unquam ab ullo hominum judicatum, nec posse ab ullo hominum, præsertim Secularium, in ulla re judicari. Nec Sacramentum, quod Leo III. præsentè Carolo M. dixit, ullum indicium fuit instituti ab eodem Cæsare judicii: aliàs enim dici posset, quòd conferta populi multitudo non minùs fuisset judex Romani Pontificis; quàm ipse Carolus; se namque Leo Pontifex omni suspicione gravioris mali liberaturus acceptò Evangelii librò conscendit cathedram, & jurejurando confirmavit præsentè ingentis populi multitudine, se immunem esse ab omni culpa, propter quam paulò antè seditiosi nepotes Hadriani Pontificis, Paschalis & Campulus, in via & comprecatione publica suàm vi Leonem adorti, per conductos sicarios eundem altero oculo, imò & lingua, veluti Historici



nonnulli referunt, orbarunt. Fateri hos ipsos Scriptores cogit veritas; Imperatores Romanos tum per se, tum per Legatos suos in præsentia Romanorum Pontificum juramentis sæpe editis plurima promississe & confirmasse plurima, plenam fidem iisdem dictis testim. omnis impetraturi. Verùm minimè sufficient hæc tum Lutheranis tum Calvinianis, ut sibi persuadeant, Romanos Pontifices perinde fuisse constitutos iudices supremos Romanorum Imperatorum aut Regum. Igitur nec fuit constitutus Leonis III, iudex Carolus M, etsi in hujus præsentia ille jurejurandò causam suam dixerit, & plenè absolverit triumphante innocentia.

### Seculum Nonum.

#### C. Stephanus V. Romanus.

**E**X testimonio Bucelini summò locò Romæ natus, inter D. Benedicti viros Religiosissimos infimò locò contentus vivere didicit, donec denique exquisitæ virtutis atque doctrinæ adminiculò summum conscendit dignitatis apicem; decimo enim post obitum D. Leonis III, die unanimi electorum consensu inter exultantis populi plausus Summus Pontifex electus est. Verùm brevè gaudia excepit luctus; namque tertio post electionem mense à furiosis popularibus suis ex Italia abire compulsus venit in Galliam, ubi à Rege Ludovico in campis Rhemenfibus ter repetita genuflexione exceptus fuit, Rhemis verò Ludovicum cum Irmengarde balsamò regiò inunxit, coronam geminam regis imponens capitibus Stephanus; ex Gallia Romam repetens vitæ metam attingit septimo Pontificatûs mense, an. 817.

#### CI. Paschalis I. Romanus.

**I**NTER D. Benedicti filios Abbatis & Patris loco habitus, à Leone III, sacra purpura ornatus, die demum post obitum Stephani V, altera unanimi Clericorum calculo Summus electus est Pontifex, quamquam invitus maximè, ac reluctans. In Oriente Iconoclastæ gravissimos tumultus identidem magis fovebant, quibus fortissimè resistit Theodorus Studita



Studita Fidei Orthodoxæ propugnator constantissimus à Leone Armeno Imperatore carceri ob hanc causam inclusus; in eodem tamen à carnifice servatus multorum solatio fuit. Misit is aliique in Oriente Præsules suos ad Paschalem Legatos, cum quibus plurimi Græcorum venere Religionis causa domo patria pulsi, quos omnes summa humanitate exceptos Paschalis sibi servavit. Interea Leo Imperator dum nocturnæ in templo Psalmodiæ interest, à conjuratis comprehensus occiditur, frustra auxilium ab Imagine Dei Crucifixi expectans, quam manibus correptam hostium gladiis objecit. Jucundior paulò rerum facies in Occidente tunc erat; Ludovicus enim Imperator ut Ecclesiæ jura sacra teclaque conservaret, manu Imperatoria confirmavit denuò jura Ecclesiæ à Constantino & Carolo utroque Magno Cæsare, jam confirmata, quibus Romam, Patrimonium D. Petri, Exarchatum, Siciliam, Corsicam & Sardiniam comprehendit Ludovicus. Atque ne ullus dubio locus superesset, Juris Corpori inserta est hæc Jurium Ecclesiasticorum confirmatio. Cæterùm D. Cæciliam per somnium sibi præsentem vidit, cujus deinde cadaver inventum Orthodoxorum publicæ venerationi exposuit; Pontifex eum in finem templum quoque extruxit ejusdem Divæ honoribus consecratum & multorum DD. Martyrum Reliquiis exornatum. His aliisque Religiosissimis gestis vitam suam exornatam finiit an. 824. Sed, 7.

## CII. Eugenius II. Romanus.

**C**ONTRA plures uni Eugenio primùm erat pugnandum, ut quietam Sedem haberet; Zinzinus enim Cardinalis à seditiosis quibusdam hominibus Eugenio præhabitus vincendus erat opera etiam filii Lotharii, quem Pater Ludovicus cum expedita manu miserat. Armis victricibus accessit Pontificia Constitutio, qua cautum voluit Pontifex, *ne ad electionem Romani Pontificis quispiam deinceps veniret, nisi illi, qui ex antiqua consuetudine Patrumque laudabili instituto jus eligendi Pontificem haberent; qui secus facerent, Pontificis ac Cæsaris gratiâ exciderent, exilioque damnarentur.* Ludovicus Pius tunc Occidentis Imperator esse perrexerat, Michaël Balbus Orientis Imperator esse cœperat, uterque de cultu sacrarum Imaginum sollicitus, hic, ut abrogaretur, ille, ut promoveretur; litteræ proin à Michaële ad Ludovicum datæ tanti valuerunt, ut Parisiis ea super re gravissimæ



vissima fuerit indiſta diſputatio, in qua Nicæni Concilii II. acta & cultus Imaginum graviter fuiſſet periclitatus, niſi Eugenius ſanioris doctrinæ radiis errantium caliginem diſpuliffet. Fuere alia plurima, quibus nomen optimi Pontificis ſibi vendicavit, inter quæ pauperum, viduarum atque aliorum indigentium amor ac ſtudioſum ita enituit, ut paſſim *pupillarum Pater ac viduarum Tutor* diceretur. Hi igitur fuere, qui copioſiſſimis lacrymis parentârunt Eugenio, dum anno 827, Sed. 3. jam ipſis ereptus eſt.

### CIII. Valentinus, Romanus.

**C**ONCORDI Historicorum veterum calamo laudatus D. Benedicti quondam alumnus Religioſiſſimus, dum Pontificum venit in numerum, Antecellorum ſuorum veſtigiiſ gnaviter inſiſtere laboravit, id operis molitus maximè, ut corruptos ſeculi mores emendaret. Verùm dum bene vix cœpit, jam finiit die Pontificatûſ ſui quadrageſimo mortuus. Mortem ipſe precibus optaſſe & exoraſſe dicitur; maluit nempe citò mori, quàm inter ſummos honores & labores ſumma experi-ri diſcrimina.

### CIV. Gregorius IV, Romanus.

**M**ONASTERIIS D. Benedicti aſſuetus magis, quàm officiis publicis agrè conſenſit iis, qui ipſum Pontificem primò dixere. Eo tamen in munere confirmatus viros regulâ, virtute & doctrinâ ſibi pares in Daniam, Sueciam aliâſque Septentrioni proximiores regiones miſit, ut Fidei lumine ignorantiaſ tenebras diſpellerent. Graviffima eodem tempore liſ orta Ludovicum Imperatorem inter & quatuor huius filios Occidentis Imperium pugniſ ac cædiſ repleverat, quos ut mutuò ſibi conciliaret, Gallias fruſtra adiit. Romam igitur reverſus Summi Pontificis munus mirè illuſtravit Divorum honori intentiſſimus: Divi enim Gregorii Magni Reliquiaſ in D. Petri templum tranſtulit, feſtam etiam Omnium Sanctorum lucem Romæ hæctenus tantùm celebratam, deinceps verò ubique terrarum celebrandam inſtituit, occurrens hac in parte Theophilo Orientis Imperatori, qui ſublato patre Michaële Balbo pluſ omnibus tyranniſ prioribus ſerviit in Divorum Imagines.



gines & harum cultores; quibus tamen Superi non absque miraculis ad-  
stitere; Lazarus enim pictor peritissimus, licet manibus à Theophilo ad-  
ustis & mutilatis, pingere perrexit Divorum icones plurimas, penicillum  
dirigente digito DEI. Tum verò mors summis imminere ac imperare  
Capitibus plus solito crebrius instituit: intra triennii enim ferè spatium ra-  
puit Ludovicum & Theophilum Imperatores, & Gregorium Pontificem,  
quorum ultimus est mortuus anno 843. Sed. 16.

## CV. Sergius II. Romanus.

**U**NANIMI Clericorum Suffragio ex D. Benedicti olim Monacho  
in Summum Pontificem mutatus à Lothario Imperatore maximi  
est habitus; qui proin filium suum Ludovicum misit, ut coronam  
regiam ab hoc novo Pontifice imponendam fusciperet. Verum hostis  
potius, quàm amicus videri poterat veniens Ludovicus; adeò ejusdem  
exercitus totam terruit Italiam raptò vivere jam assuetus. Eam ob cau-  
sam templum D. Petri clausum custodivit Sergius, dum excepit Ludovi-  
cum, significans eidem, ædem hanc non nisi amicis patere. Amicum  
igitur Romanæ Ecclesiæ se palàm professus Ludovicus, mox apertas tem-  
pli valvas vidit, per quas introductus rem inter Divinam regiâ fuit purpurâ  
& coronâ à Pontifice ornatus. Die à coronatione octav. Papiam cum copiis  
suis repetiit, & inde Galliam exultante tota Italia, quæ vix unquam talem  
experta est amicum. Gallos ex Italia reduces secuti sunt Saraceni ex Afri-  
ca, qui dum Italiam & Romam ipsam vastârunt, Sergium curis & dolori-  
bus confecerunt an. 847, Sed. 3.

## CVI. D. Leo IV. Romanus.

**E**X illustri parentum domo in D. Benedicti familiam Sanctissimam  
dum transit, inde in Purpuratorum Patrum venit numerum, ut  
omnium denique Pater foret. Paulò antequam electus est Pon-  
tifex, Saraceni penitus expilârunt D. Petri templum, quod ut resti-  
tueretur, laboravit in primis Leo, *diligens decorem Domûs DEI*; at-  
que ut idem templum adversus quosvis hostium assultus tutum foret, ad-  
jecit eidem varia munimenta, quæ suo de nomine urbem Leoninam vo-

R. P. Kolb Series Pont. Pars II.

R

cavit



cavit. Hoc ipso opere, aut veriùs oratione sua coelos penetrante effecit, ut reduces ex Italia in Africam Saraceni grande naufragium passi, unà cum ablatiis spoliis plurimi eorum maris fluctibus hausti fuerint. Redière tamen cum tempore barbari spe prædæ alleciti. Verùm Orthodoxus exercitus à Leone tum oratione potentissima, tum sacro pabulo munitus facillè vicit barbarorum classem. Idem Leo perfectum dedit, ut Lotharius & Ludovicus cum successoribus Imperatoribus æqui bonique consuluerint, *ne deinceps Casares sese electioni Pontificum vel assistendo, vel consentiendo s vel confirmando immiscerent*; abolito penitus abusu, quo nonnulli Imperatorum confirmationem Summi Episcopi sibi vendicabant viribus, quam juribus potentiores. Hæc aliàque fuère, quibus mirificum Dei in se favorem attraxit; crucis enim signo incendium Romæ tristissimum extinxit, & pestiferum basiliscum præsentente copioso populo die Assumptæ in coelos Virgini sacra suis precibus abegit. In coelos etiam ipse, ut arbitrari fas est, assumptus est anno 855. Sed. 8.

### CVII. Benedictus III. Romanus.

**E**X D. Benedicti viridario germen floridum in Ecclesiæ vineam transplantatum uberrimos fructus dedit Benedictus; primò enim Pontificii ad Casarem Legati munere functus, & tandem ipse licèt maximè invitus Pontifex creatus Anastasium Cardinalem habuit adversarium, cujus dolis primùm Imperator Ludovicus II. circumventus, exercitum in Italiam misit, qui Duce Anastasio ædem D. Petri spoliavit, ipse verò Anastasius summam Sedem conscendit Benedicto Pontifice in custodiam dato. Denique tamen ipsis Gallis Benedicti innocentiam & dignitatem satis agnoscentibus, idem denuo probatus est Pontifex suoque folio restitutus, cum quo ipse Ludovicus in Italiam veniens res maximi momenti cum Pontifice transegit, postquam pater Lotharius Imperatorium diadema D. Benedicti habitu commutavit, Prumiense Monasterium in Ducatu Trevirensi situm ingressus. Tum in Oriente etiam Ecclesiæ Romanæ status felicior esse rursus cœperat; præter Divi enim Ignatii Constantinopolis Patriarchæ nuncios etiam Michaël III. Imperator Theophili patris melior filius Legatos cum pretiosissimis donis ad Benedictum miserat. Inter Legatos fuit etiam Lazarus ille artis pictoriæ peritus Monachus, cujus manus Theophilus mutilari jusserat. Rebus igitur tum in Oriente



Oriente tum in Occidente bene compositis Benedictus solis instar mundo occidit, ut in coelo oreretur anno 858. Sedis 2.

## CVIII. Nicolaus I. Magnus, Romanus.

**P**ASSIM scribunt Historici, Magno Gregorio aut Leoni Magno Pontificibus æqualem fuisse Nicolaum Magnum. Et sanè Magnus jam erat in parvo puero; hunc enim cum vir vates vidisset, Nicolai parentem rogavit, permitteret filium suum Sacræ Scripturæ imprimis eruditione imbui; fore enim tempus, ut eadem indigeret. Atque eam, quam vates optaverat, eruditionem abundè Nicolao dedit à D. Benedicto relicta vivendi methodus primas virtuti, secundas doctrinæ tribuens, in quibus ita profecit, ut Magnum Nicolaum maximi fecerint ipsimet Pontifices Maximi, Sergius II. Leo IV. & Benedictus III. quorum ultimi corpus exanime dum propriis manibus immisit mortali tumbæ, ipse ex ejusdem tumbæ tenebris reductus universæ Ecclesiæ lucere est iustus, gratissimus Pontifex universo populo, imò Imperatoribus & Regibus Orthodoxis omnibus, præsertim verò Ludovico II. Cæsari, qui venienti in Galliam processit obviam, more majorum manu dirigens equum Pontificium. In Italiam redux aquarum alluvione urbem pene totam inundantem invenit. Plurimorum igitur periculis & inopiæ per suos adesse studuit par periculis maximis Magnus Pontifex. Dum Romæ rursum esse bene cœpit, ubivis locorum longa Pontificis manus cunctis præstò fuit, quam ante alios Bulgarorum in Orientali Moscovia Rex expertus est, qui per operarios à Nicolao missos ad Romana Sacra cum subdito populo conversus, coronam regiam in filium transtulit, suum ipse caput D. Benedicti Regulis totum conformans. Orienti tunc imperabat Michaël III. cujus mater Theodora, supremi verò in aula ministri erant Barda Theodoræ frater & Photius, quorum ultimus D. Ignatiò Patriarchâ Constantinopolitanò in exilium pulsò Patriarchatum invasit, suffultus auxiliò Michaëlis primò indè verò Basilii Imperatorum. Datum igitur ab hoc extremæ malitiæ homine initium schismati Græcorum longissimo, ex quo gravissimum dolorem conceperat Nicolaus, quem auxerunt etiam incestuosæ nuptiæ Lotharii Lotharingiæ Regis, qui Tiethbergam repudiavit, ut Waldradam sanguine sibi proximè conjuncta foeminam



duceret. Huic igitur & Orientis tumultibus fortissimè restitit Nicolaus usque ad mortem, quam obiit annò 868. Sedis 9.

### CIX. Hadrianus II, Romanus.

**S**TEPHANO & Sergio Pontificibus sanguine junctus, Nicolao II, vitæ methodo conjunctior fuit ex eodem D. Benedicti Ordine progressus. Bis Pontificatus honorem deprecatus est, tertia tandem vice preces non sunt auditæ; anno igitur ætatis 75. creatus Pontifex Lotharium Lotharingiæ Regem Romæ Sacram Synaxim è manibus Pontificis accepturum interrogavit, num Waldradam serio dimiserit. Dimisisse se reipondenti Regi S. Hostiam impertivit, aulicis etiam regium exemplum secutis; quibus omnibus DELIUDICIUM est comminatus, si verba factis non consentirent. Et sanè non consensisse probavit eventus; annò enim proximò & Rex & Aulici extremum diem clausurunt. Multa alia ut componeret Hadrianus, aliquot Conciliis opus erat, ex quibus alterum Romanum, alterum Constantinopolitanum Oecumenicum fuit, in quibus reiectus Photius, Ignatius verò Patriarcha Constantinopolitanus Sedi suæ restitutus est. Plura conciliabula à Gallis eodem tempore fuere celebrata, & inter hæc Metense, in quo adnitentibus Episcopis Galliæ regnum à Ludovico II. Imperatore ad Carolum Calvum iniquè translatum fuit, Hadriano causæ iniquitatem detestante, quorum priori, Ludovico nimirum Saracenorum in Italia quondam victori coronam geminam, ut universus populus concederet, effecit. Inter ejusdem virtutes numerata meritò venit in pauperes liberalitas, quam probasse visi sunt Superi miraculis; minister enim Pontificus ab Hadriano quadraginta denarios in pauperes elargiri jussus ingentem multitudinem ita donavit, ut eorum singuli tribus donati argenteis liberalitatem hanc novam ad coelos extulerint. In coelos ipse Pontifex evolavit an. 872. Sed. 4.

### CX. Joannes VIII, Romanus.

**T**RES Imperatores unus Pontifex Joannes coronavit, nimirum Carolum Calvum, Ludovicum Balbum & Carolum Crassum, serviens tempori vix non temporum homo Joannes. Eorum tamen Impera-



Imperatorum parùm adjutus auxiliò turbata omnia expertus est in Italia, impunè interea grassantibus Saracenis quibus gravem pecuniæ summam in annos singulos solvere promisit necessitate omne consilium superante. Cæterùm famæ suæ turpissimam inussit notam, quòd suadente Imperatore Basilio in Sedem D. Ignatii mortui admiserit Photium à Concilio Constantinopolitano III. Oecumenico VIII. condemnatum. Agnovit equidem errorem suum mox Joannes, atque eundem è summo Vaticani loco palàm detestatus est, sed serò nimis. Peperit hoc facinus, uti habet quorundam Historicorum relatio, Joanni nomen non viri, sed foeminæ inter hæreticos potissimum declamata. Mortuus est anno 882. Sedis 10.

### CXI. Marinus I. Gallus.

**Q**UATER Constantinopolim Legatus Pontificius venit summæ fidei apud Antecessores suos, qui Marini operâ usi sunt contra Basilium Imperatorem & Photium, quorum minas & promissa ipse creatus Pontifex parvi duxit, declarans irrita Joannis VIII. acta, condemnans denuo Photium atque restituens Formosum Portuensem Episcopum à Joanne VIII. depositum. Ita de Marino I. habet pars Historicorum maxima. Non ita tamen laudârunt eundem Platina & Genebrardus; malis enim artibus Summum Pontificatum sibi peperisse scripsit uterque. Utrique autem Scriptori huic occurrit Victorellus & Ciaconius laudem maximam tribuentes Marino, qui mortuus est anno 884. Sedis 1.

### CXII. Hadrianus III. Romanus.

**I**MPERANTE Carolo Crasso cùm Germanos inter & Gallos identidem magis ferverent diffidia, Itali à Saracenis ex Africa in Italiam transeuntibus continuò vexati; collatis consiliis Pontificem adierunt eumque armis veriùs quàm precibus adegerunt ad Decretum formandum, quo statuit, ut si Carolus Crassus sine prole mascula decessisset, Imperator Italus crearetur: quàm parùm enim à longo jam tempore Italiæ per Germanos Imperatores prospectum foret, per Saracenos apertissimum



fieri, nunc Cassinum montem, nunc Romam ipsam, nunc urbes alias & provincias depopulantes querebantur. Majora in dies mala minabatur Oriens; Basilius enim Imperator & Photius Pseudo-Patriarcha malè coeptam telam pertexere perrexerunt spe ultima in armis posita, si suum precibus pondus deesset. Verùm magno animo contempsit tum preces, tum minas utriusque Hadrianus; eam ob causam litteras irarum plenas, Romam miserunt, quas tamen non vidit ampliùs Pontifex morte præcludente oculos. An. 885. Sed. 1.

### CXIII. Stephanus VI. Romanus.

**P**OST varia divinæ providentiæ spectacula & humanæ superbiæ molimina successit Basilio patri filius Leo V. Imperator, qui probè perspectis Photii & Santabareni ejusdem focii fraudibus hunc oculis orbaturum & flagellis cæsum Athenas exulem misit, illum verò monasterio inclusit, Pontificem autem dein per litteras rogavit, ne gravaretur fratrem Imperatoris Stephanum Constantinopoli Patriarcham præficere; ejus etiam votis annuit, non item precibus alterius Imperatoris Romani Caroli Crassi, qui Rizardam conjugem dum repudiare cogitabat, mortem meditatus est Stephanus anno 891. Sed. 6.

### CXIV. Formosus, Romanus.

**A**NICOLAO I. Portuensi Ecclesiæ præpositus, à Joanne VIII. ab eadem remotus, à Marino I. eidem Ecclesiæ restitutus, & demum ob Apostolicos in Gallia & Bulgaria exantlatos labores Pontifex creatus, Antipapam Sergium sibi oppositum sustinuit, qui eò progressus est audaciæ, ut ad aram se stiterit jamjam accepturus Pontificis insignia; quem tamen Romani ab altari abreptum removerunt. Pontifex igitur confirmatus Formosus, ut rebelles Italorum animos compesceret, Guidonem Spoletanum Ducem coronavit Cæsarem. Verùm parùm profuit Formoso infirmum aliàs Ducem exornasse coronâ Imperatoriâ: Guido enim omni accepti beneficii immemor Sergii partibus adhæsit meritò numeratus inter apertos Formosi hostes, quibus tum intram, tum extra urbem coarctatus in suppetias vocavit Arnulphum Ludovici Germanorum Regis nepotem, qui cum expedito Germanorum exercitu



exercitu præstò fuit in Italia, ubi capto beneficio præcurrentis leporis Româ severam de Pontificis hostibus vindictam sumpsit. In Imperatorem demum inauguratus nec coronam nec vitam retulit in Germaniam; annis tamen duobus ad plures prævit Formosus Arnulpho, anno nimirum 896. lenta uterque morte extinctus, Formosus scilicet curis confectus, Arnulphus verò veneno enectus. Sedit ille annis, 5.

## CXV. Stephanus VII. Romanus.

**B**ONIFACIUS Romanus vir improbus, & ob id bis quondam, à Diaconatu nimirum & Presbyteratu depositus non modo ambire, sed invadere etiam non est veritus Pontificios honores, quibus per dies quindecim abusus est multorum vi ac violentiâ suffultus. Pulso hoc demum homine haud melior à Clericis in Supremam Sedem promotus est Stephanus VII. qui corpus Formosi Pontificis è tumulo in Pontificium Thronum relatum, & insignibus sacris indutum verbis gravissimis excepit, in mortuo sibi vivum fingens, inde verò iisdem sacris insignibus exutum tribusve digitis mutilatum in Tyberim abjici jussit. Originem tanti odii refert Parvinius hisce verbis: *hujus simulateis causam fuisse referunt, quòd in adipiscendo Pontificatu ei Formosus aliquando contrarius fuerit.* Verùm dedit DEO mox poenas hic Stephanus; à Romanis enim, licet ipse Romanus, captus, in carceremque coniectus, demum jugulatus est an. 900. inchoatò. D. Benedicti alumnum quondam fuisse, referunt Historici quidam. Si itaque horum relatio veritati sit consentanea, totus diversus fuit ab iis, quos D. Benedictus & ejusdem successores Ecclesiæ educaverunt Pontifices. Sedem Pontificiam annis pene quatuor fœdavit.

## CXVI. Romanus I.

**S**TEPHANI VII. gesta dum improbavit, sua acta maximè probavit. Est hæc prima & ultima laus, quam nobis de Romano reliquere annales Veterum. Mensibus tantùm quatuor Pontifex vixit.

CXVII. Theo-



## CXVII. Theodorus II, Romanus.

**B**REVISSIMO etiam compendio comprehenduntur gesta Theodori II. Stephani scilicet furorem improbat etiam, reddens Formoso suum honorem; imò huic DEUS restituit palàm, dum enim cadaver Pontificis ex Tyberis fluctibus in templum D. Petri relatum fuit, Divorum imagines supra aras & templi parietes erectæ capite inclinare sunt visæ raro indicio hominibus relicto, ut quo honore dignus foret Formosus, intelligerent. Dies 20. tantum Pontifex fuit.

*Reflexiones Historiæ supra Seculum IX.*

**O**CTODECIM numeravimus hoc Seculo Pontifices, ex quibus duo in re Dogmatica errasse dicuntur, nimirum Nicolaus I. & Stephanus VII. ; Nicolaus enim docuit, valere Baptismum in nomine Christi collatum, omiſſis nominibus Divini Patris & Spiritûs, Stephanus verò irritavit acta Formosi Pontificis antecessoris sui, proinde censuit, Sacramentum pendere è virtute seu probitate ministri, qui error est in Fide manifestus.

## Responsio I.

**N**E longiores C. Bellarmini hanc in rem datas responsiones describere opus sit, paucis easdem hic annotasse sufficiat, quibus ostendit, fuisse illo tempore hanc ipsam D. Ambrosii & aliorum sententiam, Baptismum nempe in nomine Christi collatum, esse validum, Nicolaum proinde non egisse partes Romani Pontificis, sed Doctoris privati, veluti egit D. Ambrosius. Nec fuit hac de re interrogatus Pontifex, sed an firmus sit Baptismus à Judæo vel Pagano collatus? quem firmum esse respondit Nicolaus responsum definitione Pontificia stabiliens.

## Responsio II.

**F**ATETUR candidè C. Bellarminus, errasse Stephanum VII. & Sergium III. sed in questione facti, non juris. Si enim Historia à pluribus  
Pon-



Pontificibus hujus & sequentis Seculi continuata ritè inspiciatur, apparebit, præcipuam, seu potiùs unicam quæstionem fuisse, an Formosus fuerit legitimus Pontifex, in qua quæstione errasse Stephanum & Sergium liquido satis constat. In confirmationem responsionis additur, quòd nec Stephanus nec Sergius Decretum ediderint, quo voluissent decernere ac debuissent, ordinatos ab Episcopo degradato esse iterum ordinandos, in quo utique errasset uterque contra fidem; sed solùm jusserint iterum ordinari eos, qui fuerunt à Formoso in numerum Clericorum cooptati. Quòd mandatum non ex ignorantia aut pertinaci errore, sed ex odio in Formosum concepto provenit. Hinc notat Sigebertus in Chronico supra annum DCCCCIII, à Stephano furioso Pontifice reclamantibus pene omnibus exauctoratos fuisse omnes Clericos à Formoso Pontifice priùs ordinatos.

### Reflexiones & Responsiones ad alia adversariorum Objecta.

UT tam doctorum, quàm indoctorum, desideriiis satisfiat identidem cupientium Hübnerianas fabulas refutari, ideo ejusdem crises supra Seculum nonum nobis relictas rebus nostris interponamus. Ex quibus annotare lubet sequentia puncta:

- I. Diffidia inter Caroli M. nepotes exorta occasionem dedisse Romanis Pontificibus *piscandi in turbido.*
- II. Sergium II, ex Romanis Pontificibus primum fuisse, qui mutarit nomen,
- III. Joannem VIII, fuisse foeminam &c,
- IV. Nicolaum I. coepisse prohibere Sacerdotibus matrimonia,
- V. Carolum Calvum à Joanne VII coronatum fuisse, & ob hoc Carolum prætendisse jus suum ad Imperium; & inde provenisse, ut populus credere coeperit, neminem posse creari Cæsarem, nisi coronandum à Romano Pontifice.

#### Responsio I. ad I.

QUID in *Seculi hujus turbido* Romani Pontifices quasi piscando ceperint præter animas, nemini ferè constat quàm Hübnero. Quales ipse verò inter homines locum aut numerum mereatur, jure merito dubitant illi, qui homines re, non nomine solùm sunt. Ignoran-



tia herede & fides mala ex eruditorum hominum numero vix non exclusum volunt, & denuo excludit eundem hoc Seculum IX. ubi se vel summè ignarum, vel certè mendacem ostendit, inter quæ extrema non datur in Historia hac medium. Si enim implere voluisset Historici officium, eundem non ignorare oportuisset, litem inter Ludovicum Pium ejusque filios ortam, ad seros usque nepotes pertinaciter sopitam, Romanis Pontificibus tantùm obfuisse, ut inter Secula Sedi Romanæ summè funesta hoc etiam numerandum fuerit. Testantur hoc tempora Gregorii IV., qui Ludovicum Pium inter & filios litem compositurus abiit in Galliam, sed re infecta rediit in Italiam, sua singulari vigilantia prohibiturus turbas Ecclesiæ noxias. Sergius II. in summo officio secutus Gregorium IV. Romæ excepit Ludovicum II. Lotharii Imperatoris filium, postquam magna pars Italiæ ab ejusdem Ludovici comitatu passa est tantum damnum, quantum vix ab ullo hostium est timendum. Gallos ex Italia reduces mox, sed alia ex mundi parte secuti sunt Saraceni, qui occupata etiam Româ D. Petri templum expilârunt adeò, ut Leo IV. vel utilitate summa, vel necessitate extrema permotus Urbe Leonina circumdederit idem D. Petri templum. Benedicti III. tempore idem Ludovicus Rex Anastasii Cardinalis fraudibus circumventus exercitum suum in Italiam misit, qui ejusdem Anastasii ductu ædem D. Petri spoliavit, Pontificem verò Benedictum in custodiam dedit, spoliandum absque dubio insignibus & Pontificio munere, nisi æquitatis causâ cognita Galli iniquitatem Anastasii condemnare, & ejus partes relinquere coacti fuissent. Sub Pontificatu denique Joannis VIII. lis inter Carolum Calvum, Ludovicum Balbum & Carolum Crassum fortunæ aleam variam nacta, in diversa egit quidem Joannem Pontificem adeò, ut nunc huic, nunc illi coronam Imperatoriam concesserit; quale tamen commodum Ecclesia inde retulerit, haud apparet. Aqua enim hæc *turbidissima* dedit Saracenis anam turbandi in Italia ita omnia, ut Pontifex ipsis tributum sat gravè solverit derelictus ab omnibus ex omni parte, dum studuit servire diversis partibus. Atque hæc una etiam inter causas fuit, quæ Joanni octavo foeminae potius, quam viri nomen peperit; quam faciliè causam amplecteretur cum sociis Hübnerus, si Romanis Pontificibus favendum, non invidendum esse existimaret. Cæterùm quòd Stephanus VI. optaverit denique, in Roma-



Romanum Imperatorem eligi quempiam potius ex Italia, quàm Germaniæ viris Principibus, haud ægrè ferendum est, si perpendatur causa; causa enim fuit hæc ipsa inter *Imperatores & Gallia Reges* lis, hoc Seculo perpetua, & Ecclesiæ Romanæ tristissima. Quoties quæso elegissent sibi Imperatorem vel ex Sueciæ, vel Borussia, vel alterius amicissimæ nationis viris Principibus plagæ septentrioni proximæ, si optatis respondisset eventus? dum nempe *proximus ardet Ucalegon*, remotiora tantisper obliviscimur incendia.

### Responsio II. ad II.

**I**GNORANTIA hic palpabili laborare iterum se monstrat Hübnerus, dum asserit, Sergium II. ex Romanis Pontificibus fuisse primum, qui nomen mutavit, ne *Bocca-Portius* ullus audiret Romanorum Pontificum. Ignorantia, inquam, hæc est; ex omnium enim, qui nominum considerationem quandam habuerunt, Historicorum libris constat, hujus Pontificis parentem virum Romæ nobilissimum fuisse etiam *Sergium* vocatum. Vel igitur nomine altero non fuit appellatus, vel certè non mutavit, dum *Sergii* nomen retinuit; vel denique longè ante *Sergii* Pontificatum ipsius Majores assumpserunt nomen virò dignum. Accedit, quòd *Bocca-Portius*, nec Latinis, nec Italis idem significet, quod sonat *Os Porci*, etsi id affirmet Hübnerus. Cæterum lege Historiam Ant. Foresti & aliorum, an non Martin. Luther in sua juventute *Lother* aut *Luder* fuerit vocatus. Verùm relinquamus nos litem hanc vocabulariam Hübnero discutiendam.

Quòd verò Sergius II. inter Romanos Pontifices primus nomen mutavit, nullus certè probatorum Authorum meminit; meminere verò expressè de aliis hoc Seculo Pontificibus, nempe de Marino I., qui antea Constantinus, de Stephano V., qui Basilius, de Hadriano III., qui Agapitus, & Joanne XII. qui Octavianus vocabatur, atque horum ultimum alii Scriptores æquè ignorantes ac Hübnerus est, primum fuisse falso dixerunt, quòd aliud sibi nomen optavit, uti probè notavit Antonius Foresti. Nolim ego hic Hübnerum aculeatis mordere dictis, ut pœnam talionis luat.



## Responsio III, ad III.

**O**CCURRIT hinc nobis fabula de Joanne VIII. imaginario Pontifice ; quæ fabula quoniam nec ingenii, nec veritatis speciem ullam habet, inter fabulas viris dignas nomen habere non potest. Suis certè è fabulis pridem eliminasset Æsopus, ut meliori jure inferi posset Lutheranorum Historiæ Ecclesiasticæ, in qua locum sibi ferè principem vindicare potest *biceps Papa, Lutherus nempe & Catharina, Papa & Papissa* non unius tantùm prolis parentes sacrilegi.

Quoniam verò in Romanis Pontificibus turpissimum meritò videri posset, & esset, quod in auctoribus suæ Religionis, ut vocant, Lutherani nec inficiari possunt, nec inter dedecora Ecclesiæ suæ numerandum putant, Lutheri nimirum sacrilegum matrimonium, ideo quanta calumnia Romanis Pontificibus hac etiam in parte sit illata, variis linguis ostenderunt Historici diversissimi. Ex viginti, quos hinc obiter tantùm inquirens inveni, afferam solùm C. Bellarminum & Christophorum Ott, quorum uterque fusè falsitatem hujus, ut ajunt, Historiæ evidenter ostendit ex circumstantiis personarum, locorum, temporum & rerum aliarum. Et

Primò quidem ex circumstantia ipsius Historici Martini Poloni Monachi, qui ex confessione plerorumque etiam Heterodoxorum primus hujus fabulæ vel auctor vel promotor fuit. Is circa annum 1277. scripsit suum Chronicon, in quo Historicorum ipso longè peritiorum testimoniò immiscuit suæ Historiæ fabulas multas apertæ simplicitatis testes. Simplicitas certè apparet in ipsa de Joanne hoc, vel Joanna relatione, in qua refert, *Joannem fuisse Anglicum ex Moguntia*. Quasi verò Moguntia esset in Anglia, vel Moguntia urbs esset Anglia. Simplicitas apparet quoque ex hoc, quòd ausus fuerit scribere rem, quam per annos plures, quàm quadringentos nullus Historicorum ipso antiquiorum scripserat ; Sigebertum enim aut Marianum Scotum nihil scripsisse de foemina papissa, ostendit Bellarminus. De solo autem Sigeberto & Mariano Scoto posset esse dubium Magdeburgensibus. At Marianus scripsit circa annum 1070, Sigebertus circa annum 1100. quorum hic ultimus apertus fuit Romanorum Pontificum hostis,

Se-



Secundò ex circumstantiis papissæ, quæ Hübnero teste Moguntia ex prostibulo nata ab aliis Gilberta, ab aliis Agnes, ab aliis Jutta, nunc Moguntina, nunc Anglicana dicitur, Moguntia Fuldam delata inter alumnos ejusdem monasterii libros de magia incryptos posteritati reliquisse fertur. Ex hoc monasterio Athenas usque cum Amasio studiorum causâ pervenit, ubi ita eminuit, ut etiam viris doctissimis palmam præripuerit. Qui profectus in studiis occasio Romam petendi fuit, ubi doctrinâ suâ excelluit, ut absens etiam, & tantæ dignitatis immemor in Pontificem fuerit electa. Ita ferè habet fabulæ pars maxima.

Has unius personæ circumstantias qui bene componere noverit, magnus hic nobis meritò erit Apollo; non enim convenit patria, non nomen, non vitæ conditio &c. Tam longo tempore viri habitu foeminam abscondere; Veneri simul se totam dare, & studiis invigilare; inter doctissimos juvenes, imò & viros doctrinâ & virtutis fucatâ tantùm specie longo tempore eminere, ut in Pontificem etiam absens eligi mereatur, aut talis potius videri possit, est miraculum sua novitate cuncta mundi miracula longè superans. Non morantur nempe in eadem sede virtus & vitium, litterarum studium & turpe otium, ingenium Palladis serenissimum, & caput Veneris turbine & turpitudine plenum. Suò etiam fumò Veneri ignes non minùs facilè & citò produntur, quàm incendia alia; ardere simul & foetere incipiunt, & post breve tempus in apertas flammæ erumpit latens favilla.

Cæterùm cum tam bene constet adversariis de vita & moribus hujus Agnetis, quæramus ex ipsis, quisnam fuerit ejusdem Amasius, ubi natus, quæ utriusque studia, qui Athenis & Romæ auditores? Verùm nemo nec verbum reponit, aut reposuit in libris.

Tertio, minimè etiam conveniunt circumstantiæ loci. Moguntia enim, ut dictum est, & Anglia non conveniunt. Hunc igitur errorem ut corrigerent Lutherani quidam, dixerunt, fuisse dicendam Margantinam Anglicanam. Sed nec in tota Anglia hætenus fuit vel urbs, vel pagus, vel locus alius Typographis notus, qui hoc nomine vocaretur.

Qua verò ratione hæc Agnes, vel Gilberta, vel Jutta Moguntia Fuldam pervenerit, nec ipsis Moguntinis, nec Fuldenfibus constat. Facilior forsàn quæstio est & responsio, qua docebimur, quomodo Fuldâ Athenas pervenerit. Fateantur igitur Fuldenfes syncerò animò, utrùm ullum



suorum vel Alumnorum, vel Religiosorum unquam per omnia à nato Christo Secula Athenas miserint? fateantur etiam, utrum Fuldae monasterium tunc temporis jam fundum acceperit? Imò fateatur tota Germania, num sub Seculi VIII. vel IX. tempora tam avidus quisquam fuerit litterarum, ut Athenas usque ablegarit juvenes, vel sub schemate juvenum latentes foeminas, ut discerent Græcam fidem & mores Græcos? si Hübneri responsum alio loco datum audiverimus, etsi auctori suo maximè contrarium, huc optimè quadrabit; ait enim, hisce Seculis non modò Germaniam, sed totum mundum crassissimis ignorantiae tenebris fuisse involutum. Ait item Latinam & Græcam Ecclesiam ita fuisse mutuò odiò divisas, ut usque hodie non secuta fuerit unio. Athenas saltem eo tempore ignorantiae tenebris obscuratas fuisse, nemo inficiatur præter Historiae imperitos; illo ipso enim tempore Athenis prorsus negligebantur litterarum studia, quæ post fata hujus Joannæ, si tamen unquam vixit, à Berda Theodora Imperatricis fratre denuo sunt restituta, sed minimè ex integro, uti clarè ostendit C. Bellarminus. Quæ ratione igitur huic Magistræ Gilbertæ Athenis tantus profectus respondit?

Parisiis potiùs paulò antè Musæ sedem sapientiæ figere cœperant sub Carolo M. Meccenate liberalissimo circa annum 790.; adeò ut Athenæ ex Græcia in Galliam migrasse fuerint visæ. Notavit hoc bene Theodoricus Scherenberg Scriptor Lutheranus, qui solcecismum suorum emendaturus scripsit, nomine Athenarum venire hic Academiam Parisiensem. Ne scilicet toto cœlo aberraret præclarus Historicus, maluit aberrare 300. miliaribus, quot nempe Parisii distant Athenis.

Si tamen vel Parisiis vel Athenis operam litteris navavit, liceat interrogare, cur non post acceptam Doctoratûs Laureolam rediit in Germaniam? quæ de causâ Romam petijt Germaniâ neglectâ, dilectâ patriâ ignorantiae tenebris sepulta? Si item Romæ sua placita publicè, seu de cathedra exposuit Doctor plusquam eximius, edisserant Lutherani &c. quæ in cathedra docuerit, cum hæc non minùs ipsis nota deberet esse quàm sedes stercoraria, quæ tam lutulentis coloribus ab ipsis est descripta & depicta? quinam denique fuerunt ejusdem vel tyrones, vel Romæ discipuli? quinam collegæ? altum est undique silentium, nemo respondet, vox faucibus hæret.



Quartò. Fortassis circumstantiæ temporis rem totam dilucidabunt? sed en! quàm bellè. Quæramus rursus, Moguntia quanto tempore vixit? quanto tempore Fulda? quales item scripsit ibi libros de magia? ubi sunt illi libri? quanto tempore morata est Athenis? quanto tempore Romæ ante Pontificatum suum? quo & quanto denique tempore in Pontificatu? ad ultimam solum quæstionem responderunt varii variè; aliqui enim, uti probè annotavit C. Baronius, ajunt, fuisse Joannem vel Joannam hanc iuccessorem Martini I. qui mortuus est anno 654. ; alii dicunt successorem fuisse Theodori II, circa annum 904. ; alii demum successisse contendunt Leoni IV. & Pontificem fuisse annis duobus & tribus mensibus. Atque horum pars ultima satis agnoscit errorem priorum.

Utinam & ipsi suum errorem agnoscerent, quem profectò oculere non possunt. Eundem sanè pridem intelligere potuissent tum ex multis aliis, tum præcipuè ex Anastasio Romano Historico, qui eodem tempore simplici & fideli calamo scripsit paucis gesta Summorum Pontificum, quo tempore hæc fabula contigisse dicitur. Atque hic non solum quod audivit, sed quod vidit, scripsit; interfuit enim creationi plurium Pontificum, quorum aliqui Joannam hanc debuissent præcedere, alii sequi. Is verò affirmat, post Leonem IV. vacasse Sedem Summam quindecim diebus, & mox communi consensu creatum fuisse Benedictum III. ; quibus itaque verbis sufficienter indicat, nullam intermediam fuisse foeminam.

Alias circumstantias, quales sunt de partu Joannæ hujus in processione publica; de columna in rei hujus memoriam erecta; item de sede stercorearia &c. cum C. Bellarminus, Christophorus Ott, & centum alii eas sibi maximè repugnare ostenderint, ego pluribus non examinabo. Obstetrices enim ipsæ & foeminæ præsertim parùm pudicæ ridebunt hanc credulam Lutheranorum simplicitatem. Eorum unus Daniel Blondellus Scriptor Calvinianus fabulam hanc meritò explodendam esse confessus est, & ut omnes exemplum suum sequerentur, neminem non commonuit. Quicumque igitur ne hujus nec alterius sana sequitur monita, præter alia insolubilia argumenta & Authorum testimonia sibi opposita, eam patiuntur in Chronologia difficultatem, ut annorum numerum duobus annis & duobus mensibus augere cogantur, ita quidem, ut duo anni & menses illi duo nec inter Pontifices, nec inter horum annos ullum inveniant locum Chronologis penitus ignoti. Agnovit grandem hunc errorem tandem  
ipse



ipse Hübnerus, ea propter censuit & ipse hanc Joannam è numero saltem annorum esse expungendam, quamvis inter Pontifices locum satis longum suo in libello huic Joannæ concefferit. Fassus est tandem equidem valde dubiam etiam à Protestantibus Scriptoribus adhiberi fidem imaginariæ huic Historiæ; addidit tamen, hoc dubium inter illas controversias poni deberi, quæ ante mundi finem non impetraturæ essent sententiam ultimam. In rebus nempe luce meridiana clarioribus non impetrabit Hübnerus sententiam ultimam, quoniam cum Scriptoribus sui similibus hæcenus semper expectavit sanum iudicium.

#### Responsio IV. ad IV.

**E**ò quòd Romana Ecclesia maximopere semper certaverit pro Virginum ara, stylò in contrarium versò pugnârunt semper hæretici pro Veneris hara. Indecora hac nota ante tredecim Secula jam à D. Hieronymo sunt descripti, qui hæreticos ab Orthodoxis Sacerdotibus distingui facillè posse asseruit, quòd hi Virginem, illi Venerem imitari consueverint. Affirmat quidem more suo impudentius, quàm audaciùs, Hübnerus, Nicolaum I. *jam capisse* à matrimoniis ineundis arcere Sacerdotes: quæ verba & his similia quasi ex Bibliis deprompta firmissimè credunt Lutherani. Quàm parùm verò hîs di cûs suæ consulat Historiæ Hübnerus, minimè attendit: hæcenus enim ipse in suo tomulo III. nullum attulit ex Romanis Pontificibus, qui vel ipse iniisset matrimonium, vel ulli ex Sacerdotibus matrimonium permisisset, certò certius non omisurus, si vel vestigium de hac materia deprehendisset, cani venatico simillimus. O si Romanæ Ecclesiæ Sacerdotibus unquam fuisset æquum, matrimonii vinculis sese illigare, quàm pleni Historicorum forent libri! veluti nempe pleni sunt continuis veterum hæreticorum singulis seculis cum fungis progenitorum impudicitis. Non inficiantur Romani, Græcæ Ecclesiæ hac in parte aliquid datum fuisse, ut nempe Sacerdotibus, qui ante susceptum Sacerdotium iniissent matrimonia cum Virginibus, integrum esset in eodem statu permanere: quàm arcûs tamen legibus hæcæ matrimonia constricta sint, minimè omiserunt Historici. Non inficiantur item Romani, & cum his apertè D. Bonifacius Germanorum Apostolus, multos tum in Germania, tum Gallia Sacerdotes fuisse polygamiâ infectos.

Quòd



Quòd verò, non dicam, in tanta sacrilegia, sed tantùm in ullum Sacerdotis Germani vel Francici matrimonium consenserit Romana Ecclesia, quis unquam probatorum authorum scripsit? Authorum certè neminem citavit Hübnerus, suæ Historiæ auctor ipse sibi sufficientissimus, quam rudibus pueris & credulis foeminis, non viris gravibus scripisse ipse suo opere testatur. Sedeat, amabo & vel non ex ipsis Lutheranis præconibus aliquis occipiat scribere suorum aliquot æqualium vel collegarum gesta, profectò ab inceptis desistet quamprimum impeditus calamus, si ab uxoribus vel copiosis liberorum manipulis cogatur abstrahere. Correlativa hæc nimirum eam sortita sunt naturam, ut vel talia non sint, vel secum suam caudam trahant quovis cometa longiorem.

## Responsio V. ad V.

**M**ULTIS Hübnerianis ignorantibus hoc Seculo detectis accedat etiam hæc minimè ultima, qua audet dicere, ex coronatione Caroli Calvi à Joanne VIII. facta in vulgus descendisse rumorem, neminem posse agnosci à populo Cæsarem, nisi coronatum à Pontifice Romano.

Præterquam enim, quòd asserti sui rationem nullam afferat, ostendit se ignorare, quòd tum in Oriente, tum in Occidente fuerint à Romano Pontifice coronati Imperatores & Reges. In Oriente nimirum Justinus anno 526. è manu Pontificis D. Joannis I. coronam accepit Imperatoriam; Justinianus junior verò circa annum 712. à Constantino Pontifice coronatus est, ut communis hæctenus Historicorum fuit assertio, qui non minùs confitentur, Pipinum Gallia Regem, ante Carolum Calvum, pluribus quàm centum annis fuisse à Zacharia Papa diademate regio exornatum; Carolum verò filium à Leone III. coronâ Imperatoriâ anno 800. decoratum fuisse, scribit etiam Hübnerus. Ludovicum etiam Lotharii Imperatoris filium honorem & coronam similem accepisse à Sergio III. fatentur omnes. Observent igitur Lectores benevoli, quàm sæpè fallant & fallantur simplices & fallaces Hübneriani tomuli, jure municipii in Germania bibliothecis haudquaquam digni, sed cum fallacibus zingaribus procul pellendi. Liceat per benevoli Lectoris veniam ita claudere hoc Seculum, cum Hübnerus longè acerbioribus clausulis sua finierit Secula,



## Seculum Decimum.

## CXVIII. Joannes IX. Tiburtinus.

**H**ABUIT initium Sedis suæ Joannes IX. annò ferè primò Seculi hujus, quod sanè tenebrosum, durum, tardum, plumbeum, ferreum ac sceleratum ab Historicis dictum fuit, quoniam ignorantia & scelera nimium quantum invaluerunt. Initium ferreum etiam Joanni fecit Sergius homo ambitiosus, contra quem Pontifex Concilium Ravennæ convocavit, in quo Stephani VII. acta reprobata, Formosi verò rursum sunt confirmata. Rejectione Berengario, qui Cæsaris nomen vi & armis sibi vendicarat, coronam Imperii à Joanne IX. impetravit Lambertus Hugonis Spoletani Ducis filius, in Germania interea Ludovico IV. Cæsare dicto. Caterum proposito anathemate prohibuit gravissimum illum abusum, quo Romani intellecta Pontificis morte ab aliquo tempore quamprimum cucurrerunt ad spoliandum palatium Pontificium. Atque hujus sui Decreti vigorem brevi ipse expertus est annò 904. aut 905, mortuus, Sedis 3.

## CXIX. Benedictus IV. Romanus.

**I**NTERD, Benedicti claustra, ex quibus teste Wione ad supremos honores evocatus est, maluisset latere, quam eos experiri tumultus, quibus Germania præcipue & Italia sunt concussæ; plures enim eo tempore de corona Imperii decertabant certamine Germaniæ Statibus lucuosissimo. Lucum augebant irruptiones pene annuæ ab Hunnis aliorumve barbarorum exercitu factæ. Bellorum proin turbis etiam Pontificum gesta adeò sunt oblivioni data, ut de Benedicto IV, aliisque hoc Seculo sequentibus Pontificibus parùm sit nobis relictum. De Benedicto enim hoc solum referunt, quod benignissimus fuerit in pauperes. Inter pauperum igitur luctus maximos tumulto illatus est anno 907. Sed.

CXX, Leo



## CXX. Leo V. Ardeatinus.

**U**NUS ex eorum numero Pontificum, qui summum honorem reliquere D. Benedicti monasteriis, diebus tantum quadraginta Supremus Præsul fuit. Quo brevi temporis spatio, cum vir *Simplicius & Rectus*, uti dicebatur, immiscere sese nollet rebus ad cives potius, quam Clericos spectantibus, à Christophoro Cardinale, viro avaro, ambitioso & audacissimo de throno dejectus carcerique inclusus est: Christophorus verò septem mensium, nomine, non re Pontifex à Sergio primum monasterio inclusus, dein verò in carcerem missus satis concessit orbi non liquidis.

## CXXI. Sergius III. Romanus.

**T**ANDEM ambitio hujus Sergii Summum dignitatis attingit apicem, in quo Concilium à Joanne IX, Ravennæ collectum reprobavit, iramque suam in Formosum ante annos octo jam defunctum exercuit, confirmans gesta Stephani VII. Est hic Sergius ille, qui ex Marozia libidinosâ, sed simul admodum potenti scœmina suscepit filium, vel ob matris suæ potentiam etiam Pontificem creatum, & Joannem XI. nuncupatum. Eò usque tunc temporis ascenderunt scelera! sedit annis 3. mortuus 910. E Pontificum equidem numero expungunt eum nonnulli Historici; cum tamen plures eundem non omissum voluerint, ideo nos etiam eidem præter numeri augmentum encomii nihil dabimus.

## CXXII. Anastasius III. Romanus.

**P**RÆTER eximie virtutis testimonium de Anastasio nobis relictum hoc memoriæ proditum est, quòd Episcopo Papiæ præter alia privilegia concesserit & istud, sedendi nimirum supra albicantem equum, & in Conciliis locum Pontifici occupandi proximum, sinistrum tamen. Summò locò fuit Anastasius annis 2. mortuus 912.

## CXXIII. Landus, Sabinus.

**S**EDIT mensibus tantum 6. vix laudatus, vix laudandus; ut enim Theodoræ arroganti & libidinoso scorto non displiceret, Joannem ex Ravennatenfi Presbytero Archiepiscopum eligi curavit, parùm sollicitus



licitus de pastore ovium, cui cum lupa commune erat commercium. Non omittendum hic, quòd id tamen effecerit, ne Berengarius II. & Rudolphus Guidonis Comitis filii mutuis sese odiis & pugnis laceffere perrexerint.

### CXXIV. Joannes X. Romanus.

**E**ST hic ipse paulò antè memoratus Ravennæ Archiepiscopus Theodoræ operâ ad tantam dignitatem promotus ; quem tamen meliorem fecerunt arma ab eodem adversùs Saracenos adeò feliciter sumpta, ut ad internecionem omnes tanto duce sint deleti. Pugnae præsentissimi fuère Divi Apostolorum Principes Petrus & Paulus, quos sese vidisse victoriæ auspices tentatæ fidei testes professi sunt. Evidit hæc victoria Joannis X. & aliorum virorum Principum Christianorum animos, hi ut Legatos hunc ad Pontificem, ipse Oratorem Compostellam abire juberet ad D. Hispaniæ Apostolum Jacobum, pœnitentis Pontificis coram Deo futurum testem. Dedit tamen Deo luculentas pœnas pœnitens hic Pontifex, si non ob finem, saltè in fine ob turpe vitæ initium ; Marozia enim amans & amens, atque post exortam seditionem furens foemina, occiso Petro Pontificis fratre, Joannem ipsum in vincula dari jussit, in quibus brevi inventus est mortuus an. 928. Sedis 16.

### CXXV. Leo VI. Romanus.

**P**ACEM Leo ut Ecclesiæ redderet, vel redditam conservaret, omnem intendit curam ; à Victorello propterea ita laudatus est, ut majori encomio se idoneum reddere, eodem teste vix potuisset inter turbatissima hæc tempora. A seditionis tamen & novarum turbarum auctoribus post sextum Sedis mensem captus carcerique mancipatus diem suum extremum vidit in tenebris.

### CXXVI. Stephanus VIII. Romanus.

**I**NTER D. Benedicti cætus Religiosissimos Stephanus VIII. ita fuit confirmatus, ut armis & vitis ejus Seculi virtus ipsius potentior viam ad solium Pontificium, licèt arduam, invenerit, in qua tamen Sede collocato



locato plus agere licuit eminus, quàm cominus. Spireneum enim Bohemiæ Ducem ad Sacra Romana ejus hortatu adductum fuisse refertur. Romæ verò à seditiosis viris ita fuit impeditus, ut plura desiderare, quàm opere exequi licuerit per annos Sedis duos, quorum ultimus fuit 931.

**CXXVII. Joannes XI. Romanus.**

**G**UIDONIS Tusciæ Marchionis, aut potius Marozia ejusdem conjugis potentiâ conscendit Supremam Sedem. Adeò cumulara sunt tunc temporis Romæ scelera enormia; per unam foeminam scelerum matrem, quæ Guidone marito mortuo non est verita Hugonem Guidonis fratrem Romam vocare, ut cum eodem nuptias contraheret. Evenit verò, ut Albericus Marozia filius gravi alapa ab Hugone læsus, Romanis injuriam hanc nigro calculò notantibus, & Albericum ad arma corripienda cohortantibus, Hugo Romam fuerit ejectus, Joannes verò & Marozia in vincula dati. Occasione hac utendum ratus Romanus Orientis Imperator, liberrimum sacri Pallii usum pro Patriarchis suis obtinuit à Joanne XI. usum hunc brevi in abusum vertentibus cunctis in Oriente Episcopis. Ita Græca fides nec sensim nec sine sensu deficere coepit à Romana. In vinculis mortuus est Joannes an. 936. Sedis 5.

**CXXXVIII. Leo VII. Romanus.**

**P**ACEM inter Hugonem Italia Regem, & Albericum Romanæ dittonis invasorem componere, sibi que mutuò conciliare, Clericis verò Romæ Monachisque amorem virtutis atque doctrinæ amicum de novo reddere pro viribus laboravit: inter arma enim bellaque tum externa tum civilia siluere nimium quantum virtus & scientia. Harum igitur vigorem ut excitaret, ex Cluniacensi Monasterio Romam vocavit Odonem Abbatem famam sanctitatis, eruditionis & eloquentiæ laude celeberrimum. Opus tamen bene coeptum ne perficeret, obstitit mors annò Pontificatus 3. Christi 939.

**CXXIX. Stephanus IX. Germanus.**

**E**X Germanis iisque paucis Pontificibus primus à populo legitimis Electoribus propositus, annitente plurimum Ottone I. Germano Imperatore, à Clericis denique non rejectus est. Quare summò odio ferebantur tum in Cæsarem, tum in hunc Pontificem Ger-



manorum ocores Itali, inter quos Albericus Romæ præfectus per suos satellites haud est veritus exorta publica seditione foedum in modum vulnerare Pontificis faciem. Dedit verò dignas pœnas tam Albericus quàm reliqui hostes sacrilegi Ottoni Cæsari. Stephanus etsi publico plurimum ob accepta vulnera abstinerit, suo tamen intentus muneri Galliae viros Principes, & inter hos maximè Hugonem Capetum commovit, ut bellum Ludovico IV. ejus temporis in Gallia Regi non moverint. Similem in modum dum Italiae Regem & Albericum componere frustra studuit, vitam exiit anno 943. Sedis 3.

### CXXX. Marinus II. Romanus.

**U**T Ecclesiae statum suorum Antecessorum negligentia nonnihil deformatum reformaret, Principes Christianos ad pacem dandam & conservandam animavit, unde nomen *Pacifici Papae* adeptus est, & Ottoni I Cæsari pergratum fecit. Clericos etiam & Monachos ejusdem Seculi injuriâ valde dissolutos sui officii seriò commonefecit miscens consilia præceptis, timorem amori. Prophetiae dono præditum fuisse ex eo patere ait Welferus, quòd Adalberoni Augustae Vindelicorum Episcopo mortem, D. Udalrico autem ejusdem urbis & Diœcesis supremam mitram prædixerit. Suae etiam ipse præcius mortis extinctus est anno 946. Sedis 3.

### CXXXI. Agapitus II. Romanus.

**L**UDOVICUM IV. Galliae Regem cum Hugone Capeto iterum decertantem consiliis juvit & Conciliis, quæ tum in Gallia, tum Romæ ejus certaminis & belli causâ instituit. Sublato per venenum Lothario Italiae Rege Berengarius coronam rapuit. Contra hunc igitur in suppetias vocavit Agapitus Ottonem. Verùm venienti Ottoni obstitit Albericus Germanorum præcipuè hostis, quo defuncto ejusdem filius Octavianus Romanum dominium sibi attribuit saltum facturus ex profano in sacrum solium, quod possedit Agapitus annis 9, mortuus 955.

CXXXII.



## CXXXII. Joannes XII. Thuscus.

**A**LBERICI filius vix octodecim annorum juvenis armis potissimum occupavit D. Petri cathedram, cui ne schisma noxium oriretur, consensere tandem electores legitimi inter duo mala minus eligentes. Vocatus ab hoc Otto I. contra Berengarium & ejus filium Adalbertum venit, foedusque cum Joanne XII. ante aram pepigit dicto utrinque Sacramento. Praeter alia ornavit foedus hoc corona, quam Joannes Ottoni imposuit. Verum vix in Germaniam redierat coronatus Imperator, adeo terruit Joannem Berengarius, ut cum hoc amicitiam junxerit summè Ottonis partibus contrariam. Venit igitur vice altera cum exercitu Otto, & vicit Berengarium, quem unà cum conjugè in Bavariam misit in captivitate moriturum. Conciliabulo dein convocato Joannem XII. deponi curavit, ejusdem in Sedem evecto Leone Romanæ Ecclesiæ Protonotario. Vix altera vice Romam redierat Cæsar, Joannes Romam revocatus redijt, collectoque Concilio Leonem sacris vestibus exiit laicorum numero eos restituens, quos Leo non legitimus Pontifex consecrasset visus fuerat. Tum verò Joannes XII. tanquam re præclare gesta in locum extra urbem peramænum se conferens mortis locum invenit; ab ignota enim manu de nocte percussus paulò post extinctus est anno 964. Sed. 9.

## CXXXIII. Benedictus V. Romanus.

**S**UBLATO Joanne XII. Benedictus V. à Clericis Romanis electus est, cum in Umbria Berengarii partes reliquas oppugnaret Otto Cæsar, qui auditò de novi Pontificis electione nuntio vehementer commotus quamprimum Romam contendit, Leonem VIII. per vim intrusum Pontificem per vim conservaturus; Benedictus proin Pontificia dignitate præsentè Cæsare exutus, & ab eodem in Germaniam ductus, Hamburgi est mortuus anno 965. non sine fama sanctitatis. Prophetam & Martyrem suum per plura Secula dixere & coluere Saxones, quo nomine venere omnes quondam latè circa Albim dispersi populi. Eodem anno mortuus esse fertur Leo Pseudo-Pontifex, qui,



qui, si sit habenda fides Luitprando Historico schismatico Ottonis I. adulatori compertissimo, jus eligendi Pontificem in Ottonem ejusque Successores penitus transtulit, eisdemque omnia restituit, quæ quondam Imperatores Ecclesiæ donavere, aut potius ad se nunquam pertinuisse declaraverunt, verbis & litteris summam hominum fidem merentibus. Verum hac de re reflexiones hujus Seculi videbimus.

### CXXXIV. Joannes XIII, Romanus.

**A**ROFREDO urbis Consule pulsus Capuam venit, ubi humanissime est exceptus à Pandulpho ejusdem Duce, qui etiam Joannem fratrem suum cum copiis auxiliariis misit, ut Joannes Joannem propugnaret; & sanè à Joanne Pandulphi fratre Rofredus victus & occisus bello civili finem imposuit. Is ipse Joannes Dux ab hoc Pontifice gratitudinis causâ Archiepiscopus creatus est omnium in Italia inferiori Archiepiscoporum primus. Verum accepto de turbis in Italia nuntiò Cæsar tertio Romam venit, severissimam de rebellibus sumpturus vindictam, editis exemplis extremæ severitatis plenis. Idem Imperator Pontifici Ravennam aliasque à Berengario ereptas urbes & oppida restituit confirmans simul relicta à Pipino, Carolo M. ac Ludovico Pio diplomata. Pontifex verò Ottone II, in Romanorum Regem inaugurato, Germaniam simul & Italiam lætitiâ & festivis acclamationibus implevit. Perceptum exinde Pontificis solatium auxerunt datæ de Micislai Polonorum Ducis ad Orthodoxa Sacra conversione literæ: missis proin in eam vineam novis operariis, ipse Operariorum maximus promissum accepit denarium anno 972. Sedis 6.

### CXXXV. Donus seu Domnus II, Romanus.

**M**ENSIBUS tantum tribus Christi Vicariatum egit ab Historicis nonnullis è numero Pontificum omnino exclusus, à nobis nequaquam excludendus; cum eum non omiserint C. Baronius alique fide Scriptores dignissimi. Præter obiti tamen muneris tempus brevissimum aliud de eodem ferè reliquere nihil, contenti, nî fallor, non vituperatum fuisse ab ejus ævi Historicis in vituperia quorundam Pontificum plus æquò pronis.

CXXXVI.



## CXXXVI. Benedictus VI. Romanus.

**A**NNO uno cum aliquot mensibus tantum fuit Pontifex; ne enim longiori tempore præffet Romanus Ecclesiæ Romanæ, impedivit Cincius, ejusdem popularis Romæ pene cum Benedicto natus, extremæ malitiæ vir, qui, urgente Francone Feruzio Cardinale Diacono, Benedictum compedibus constrictum, ut fides est, jugulavit. Tum ipse Franco Summæ Sedis inuasor Bonifacii VII. nomen sibi adscivit indignissimum hoc nomine & Sede; de qua tamen post unum tantum & tertium mensem dejectus, spoliato clam Vaticani templo, Constantinopolim fugit fur sacrilegus.

## CXXXVII. Benedictus VII. Romanus.

**E**PISCOPUS Sutrii & S. R. E. Cardinalis Ecclesiæ statum velut sub monstruoso capite corpus ægrum miseratus omnem movit lapidem, ut Franconem Antipapam Bonifacii VII. nomen usurpantem de Pontificia Sede deiceret. Respondit labori suus eventus exoptatissimus; ea de causa Clerici Electores indictis legitimis comitiis eundem judicârunt dignissimum, qui indignum locò removerat. Confirmatus itaque Pontifex Benedictus, animum ad componendos quorumvis Sacerdotum mores temporum, aut potius hominum iniquitate vehementer corruptos, convertit: dumque adeò salubribus intentus erat negotiis, à variis Regum aulis Romam missæ venerunt litteræ, quibus Micislai Polonorum Ducis, Haraldi Danorum Regis, & D. Eduardi Anglorum pariter Regis mors nuntiabatur. Inter quos Haraldus Romana Sacra primus suo regno inexit.

Eodem ferè tempore Imperatores gemini mortis imperiò coronas deposuerunt, Constantinopoli scilicet Tzimises; Romæ verò Otto II. uterque, ut rumor fuit, veneno sublatus: quorum ultimi fata ansam dedissent novæ seditioni ob diversa eligendi Cæsaris desideria, Germanis Germanum, Italis Italum postulantibus, nisi Benedictus vel causæ æquitate, vel Ecclesiæ necessitate commotus pro Germanis stetisset ipse Romanus. Otto igitur III. Cæsar electus Imperium Romanum moderari cœpit; dum Romanam Ecclesiam gubernare fere desuit Benedictus anno nempe 984. Sed. 9. inter felicissimos hujus Seculi Pontifices numeratus, ob morum sanctitatem, & annorum multitudinem.

*R. P. Kolb Series Pont. Pars II.*

U

CXXXVIII. Jo.



## CXXXVIII. Joannes XIV Papiensis.

**V**IX Franco seu Bonifacius VII. mortem Benedicti VII. intellexerat, quamprimum relicta Constantinopoli Romam reversus collectis pessimorum sociorum copiis, Joannem Pontificem cepit, captumque S. Angeli munimento includi jussit, quo in carcere quatuor mensium inedia extinctus fuit. Corpus mortui in patenti loco propositum fuerat universo populo ab eodem Bonifacio, ne Joannis Cæsarisque partes deliberarent de restituendo suam in Sedem Pontifice, è qua Divina Nemesis, nemine opinante, dejecit Bonifacium post menses 4. cum sedisset Joannes annò 1. mortuus 985. Cadaver Bonifacii universorum contemptui ac ludibriis expositum, vix tandem sepulchrum invenit, postquam, teste Oldoino, diebus aliquot publico in foro inhumatum aliis lætum, aliis triste spectaculum præbuit.

## CXXXIX. Joannes XV. Romanus.

**A** B initio Pontificatus sui Crescentium Nomentanum Consulem Romanum hostem timuit, à quo Româ Tusciam abire compulsus, sed demum, datò & acceptò fidei juramentò Romam reversus est. Ea ætate D. Adalbertus Boëmis atque Hungaris Apostolus missus D. Stephanum natum sacrâ Baptismatis undâ abluit; in Gallia verò Hugone Capeto Rege volente, Arnulphus Rhemis Archiepiscopus à conciliabulo fuit depositus. Verùm aliud Rhemis Concilium indixit Pontifex, in quo Sedis suæ quamprimum restitutus erat Arnulphus Joannis mandato Rege non obtinente. Miratus est tam promptam Hugonis obedientiam Romanus Præsul, quem ob hoc aliavè in Ecclesiam insignia merita verè regia, *Ecclesie Defensorem, & statûs Restauratorem cognominavit.* Eodem anno mortuus est Pontifex & Rex, nimirum 996. Sedis 10.

## CXL. Gregorius V. Suevus.

**O** TTONIS Suevorum ac Saxonum Ducis filius, Ottoni III. Imperatori sanguinis propinquitate proximus, D. Benedicto exoptatus venit alumnus, ex cujus Religioso Ordine Romam vocatus, Pontifexque electus, relicto Brunonis nomine, Gregorius V. dici maluit. Romæ dum Ecclesie universæ præesse cœpit, extremos hostes



hostes sibi adversari expertus est; inter eos eminuere maximè Crescentius Nomentanus Consul, & Philogatus. Placentiæ Episcopus Joannis XVI. Pontificis nomine vocari cupiens, Placentinæ Ecclesiæ Dioecesi neutiquam contentus, totius Orthodoxi orbis sacros falces ambiens. Verùm ab Ottone III. Romam cum Germanorum exercitu properante, uterque captus, uterque justò supplicio punitus; Crescentius nempe vitâ, Philogatus verò oculis orbatus. Rebus Romæ hoc modo compositis, Ottonem III. Romanorum Imperatorem coronavit Gregorius; Secuta est Imperatoriam coronam Bulla, à Concilio Episcoporum etiam laudata, in qua jus eligendi Romanorum Imperatorem solis Germaniæ Viris Principibus est concessum. Ita longè verior Authorum habet sententia, licet alii, præsertim heterodoxi, in longè diversam abeant sententiam, quibus sentire lube; quod placet, ut suam salvent sectam nunquam salvandam. Salutis verò attigit metam Gregorius anno 999. Sedis 2.

### *Reflexiones Historiæ supra Seculum X.*

**P**AUCIS expediri possunt Reflexiones supra hoc Seculum Decimum, malis artibus & moribus ipsorum etiam quorundam Romanorum Pontificum valde obscuratum, quos à priorum vestigiis procul recessisse veritas Historica palàm profitetur, ut cuique suum tribuat: laudes nempe laude dignis, vituperia vituperandis. Id dolendum tamen, quod Orthodoxorum Historicorum sinceritate nimium abutantur non Orthodoxi Scriptores; vituperia enim augent crassis ignorantibus, dum ferè omnes hujus Seculi Romanos Pontifices veriùs denigrant, quàm describunt. Inter eos Scriptores locum sibi procul dubio vendicavit Hübnerus, calumniator Romanorum velut mercede conductus, cui mercenario etsi concedendum sit, hoc Seculo pejores fuisse quosdam Pontifices quàm Seculis reliquis omnibus; concedendum sibi tamen minimè existimet, quod perinde Romana Ecclesia vel agat rimas, vel patiatur ruinas: firmiori quippe ipsa innititur fundamento, quàm ut paucorum Præfulum sceleribus possit subruì. Fateor equidem, ab Ecclesiæ Romanæ fundamentis, tanquam solidos omnino lapides, excludendos non esse, utpote quibus



quibus in D. Petro si non omnino singulis, certè universis ipse author veræ Ecclesiæ Christus Servator omnium hæc verbis dixit: *tues Petrus & super hanc Petram edificabo Ecclesiam meam*; verùm aliud est etiam positum fundamentum Ecclesiæ: unde verbis illis junxit proximè hanc clausulam: *& portæ inferi non prævalebunt adversus eam*. Matth. 16. Petrus nimirum, aut si mavis, *Petra* illa fundata fuit supra *Petram* aliam, eamque inconculsam ac inexpugnabilem, de qua D. Paulus 1. Cor. 10. hæc habet: *Petra autem erat Christus*. Hinc Romana Ecclesia, hujus æternæ veritatis ac soliditatis probè memor, diebus per anni decursum cuius Apostolorum sacris canendo repetit ea Pauli oracula, quæ ad Ephesios epistolæ suæ c. 2. dedit: *Ergo jam non estis hospites & advena, sed estis cives Sanctorum & domestici Dei: super edificati super fundamentum Apostolorum & Prophetarum ipso Summo Angulari Lapide Christo JESU, in quo omnis edificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino: in quo & vos coedificamini in habitaculum Dei in Spiritu.*

Hæc tibi, Hübner, cum fortè non sufficiant, addam pauca alia. De tegendæ nimirum hæc etiam sunt ignorantia & errores tui, quos tribus his numeris annotare lubet:

- I. Joannes X. naturalis fuit filius Landi Pontificis.
- II. Joannes XII. commisit incestus, dæmones in suppetias vocavit, & demum occisus est in adulterio.
- III. Leo VIII. constitutus fuit Supremus Pontifex ab Ottone I. & dehinc foedus fuit initum inter utrumque, ut deinceps semper eligerentur Pontifices Romani à Germanis Imperatoribus.

### Responsio I. ad I.

**J**OANNEM X. naturalem filium fuisse Landi Pontificis, in solo Hübnero inveno, reliqui Historici omnes conveniunt, Joannem X. Romæ natum fuisse ex stemmate Cinciorum, cum tamen Landus fuerit Sabinus Cinciis nequidem sanguinis vel affinitatis propinquitate conjunctus Scribit quidem Platina, Sergium III. fuisse genitorem Joannis X. quem ipse suo ordine nominat XI. sed non magis quàm Hübnerus Joannis natales ignorasse, & ideo tam turpiter errasse dicendus est: fuissent enim Joannes XI. & XII. ex Sergio fratres, cum utrumque Platina referat fuisse Sergii III. natum;



natum, quæ fabula tamen nec ipsis heterodoxis placet Historicis. An igitur Platina vel Hübnerus plus errarit, Hübnero discutiendum relinquo, Hübneri profectò error ex hoc etiam patet apertius, quòd Joannes X. immediatus Successor fuerit Landonis seu Landi Pontificis, qui quatuor tantum mensibus sedit, non negante Hübnero. Durante igitur Pontificatu Joannem non genuit; non fuit itaque Pontificis filius. Sed nec ante genuisse potest, cum fortè senior, aut non multum junior fuerit Landone Joannes X.

### Responsio II. ad II.

**I**OANNEM XII. juvenem fuisse Veneris voluptatibus & flagitiis aliis deditum, plerique fatentur. Inter eas autem voluptates aut flagitia numerari etiam incestus, & cum malis geniis commercia, nec Platina, nec Suibertus meminere; cum tamen uterque nimium liberalis fuerit in quorundam Pontificum enarrandis vitiis. Sed nec viginti alii à me lustrati Historici verbum expresse. Solum itaque Hübnerus, vel unà cum ipso malæ fidei socii scelera sceleribus augent, non contenti iis augmentis, quæ Ottonis I. tempore tum à Germanis, tum ab Italis adjecta sunt, ut Ottonem I. & hujus Successores contra Romanos Pontifices animarent, zelò adducti quidem ex parte laudatissimò, excessus tamen & hyperboles ex parte altera non evitantes.

An in adulterio deprehensus, & lethali vulnere percussus octavo demum die interierit Joannes hic, dubitat Platina. Post acceptum in capite vulnus, manu prorsus ignotâ, mortuum brevi fuisse, scribunt ferme omnes. Instar Evangelicæ Veritatis cum Suiberto deprehensum & occisum fuisse in adulterio Hübnerus, fornicationum, adulteriorum & incestuum fictor & scriptor accuratissimus.

### Responsio III. ad III.

**E**TSI Leo, dictus VIII. edidisset Constitutionem, qua potestatem concessisse videri posset Ottoni I. eligendi Summum Pontificem, nullius tamen fuisse aut esse roboris, ex eo etiam constat capite, quòd Leo hic nunquam fuerit legitimus Pontifex; non enim Benedictus vel à Cæsare, vel ab ullo alio deponi potuit; nec, si potuisset deponi, servato juris ordine fuisset depositus; cum legitimè non fuerit citatus, nec latâ aut promulgatâ sententiâ legibus conformi condemnatus; quæ & alia forsitan maximi momenti in jure vitia observârunt Juris periti; quorum tamen



argumentis hinc haud opus est nobis; ostendunt enim Historici complures, Constitutionem geminam, nomine Leonis VIII. editam, esse plusquam ob- & subreptitiam. Adscititiam prorsus esse & conficiam, duplici in loco demonstrat ex variis circumstantiis Henricus Spondanus Presbyter Romanus, in cuius compendio, ex C. Baronii Annalibus collecto, vide annum 774. & 964. Non habent idcirco quicumque Romanorum Pontificum hostes, cur multum sibi placeant, aut gratulentur hoc Seculo decimo. Aspersa est quidem macula Romanæ Sedi à quinque hujus Seculi possessoribus, viâ violentiæ, non juris ad tantam dignitatem evectus; fuerunt verò eodem hoc Seculo ferè viginti alii, non vi aut metu, sed liberè electi Romani Præsules, quorum verè Pontificia virtus paucorum vitiiis merito præplacere potest. Certè etiam inter Reges atque Imperatores, decem præsertim primorum Seculorum, si vel semissis tantum bona inveniretur, longè magis placeret orbi universo universa Imperatorum & Regum summa. Licet igitur magna ex parte Seculum hoc ferreum & plumbeum absque injuria dici queat; magna tamen etiam ex parte aureum vocari meretur tum ob illos ipsos majori longè numero meliores Pontifices, tum etiam ob satis magnam copiam Imperatorum, Regum, aut aliorum hoc Seculo omni genere virtutis conspicuorum virorum ac foeminarum, quorum successu temporis multi in Album Divorum fuerunt relati, plures verò referri promeriti. Eorum ego catalogum lectorum oculis hinc aperio;

1. S. Mathildis Ottonis I. Imperatoris M. Mater.
2. S. Adelhaidis hujus Ottonis I. Imperatrix.
3. S. Bruno hujus ipsius Ottonis I. germanus frater, Archiepiscopus Colonienfis.
4. S. Robertus Rex Galliaë adhuc vivus claruit miraculis.
5. S. Olaus Norvvegiaë Rex & Martyr.
6. S. Henricus hoc Seculo Bavariaë Dux, altero Seculo Imperator Virgineus.
7. S. Cunigundis D. Henrici Conjux Augustissima, & castissima Virgo.
8. S. Stephanus Hungariaë Rex, D. Henrici Imperatoris affinis proximus.
9. S. Emericus D. Stephani, & Giselaë Sororis D. Henrici Imp. filius.
10. S. Wenceslaus Bohemiaë Dux.
11. S. Rudolphus Burgundiaë Rex.

DD.



## DD. Episcopi.

12. S. Heribertus Archiepiscopus Colonienfis.
13. S. Conradus Episcopus Constantienfis.
14. S. Udalricus Episcopus Augustanus.
15. S. Wolfgangus Episcopus Ratisbonenfis.
16. S. Bernardus Episcopus Hildeshemiensis.
17. S. Lambertus Ultrajectensis Episcopus & Martyr.
18. S. Elias Valesiæ Comes & Episcopus.
19. S. Quarinus ejusdem Valesiæ Comes & Episcopus.
20. S. Adalbertus Episcopus Pragenfis.
21. S. Ado Episcopus Viennensis in Gallia.
22. S. Dunstanus Archiepiscopus Cantuariensis in Anglia.
23. S. Gerardus Episcopus Morisinenfis in Hungaria.
24. S. Osvaldus Episcopus Wigornienfis in Anglia.
25. S. Sifenandus Episcopus Compostellanus.

## DD. Fundatores Ordinum, &amp; alii viri Religiosissimi.

26. S. Romualdus ex Ravennatenfi Duce Camalduensium Fundator & Abbas.
27. S. Bonifacius (ab altero diversus) D. Romualdi discipulus, Ottoni III. Imperatori sanguine junctus, Apostolus Prussorum & Sclavorum.
28. SS. Benedictus & Joannes D. Romualdi uterque discipulus, & socius D. Bonifacii in Prussia & Sclavonia.
29. S. Odo Cluniacensis Abbas.
30. S. Odilo D. Odonis in Officio Successor.
31. S. Stephanus Auctor Ordinis Grandimontensium in Gallia.
32. S. Medericus Abbas Parisienfis.
33. S. Goar in Episcopatu Trevirenfi Sacerdos secularis.
34. S. Colmannus, in Palæstinam profecturus, in Austria innocentissimè suspensus.

Omitto hîc multas inter Virginum cœlestium choros receptas Virgines, nec non mulieres alias, virtute viris majores. In hunc igitur catalogum suos conjiciant oculos præsertim Germani lectores, quibus hoc Se- culum X, minimè fuit plumbeum aut ferreum, sed argenteum & aureum,



tot Divorum etiam Augustissimorum sanctitate plusquam aurea inter priora Secula effulgens. Huc figant obtutum & mentis aciem Saxones, in quorum tunc vel regno vel regione nati & educati sunt Ottones tres Imperatores Romanæ Ecclesiæ additissimi virtutum & doctrinæ à Lutheri doctrina & virtutibus longè diversarum cultores verè semper Augusti. In his & aliis certè auro quovis splendidius fulsit Romana Religio, etli eam suis moribus minùs commendarint pauci, neque intrusi Pontifices per annos admodùm paucos, nec vitâ nec Sede tanta digniores longiùs, de quibus illud Matth. 23. nobis ore Divinissimo dictum fuisse videri potest: *super cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisei: omnia ergo quæcunque dixerint vobis, servate & facite: secundum opera vero eorum nolite facere.* Nec minùs illud Matth. 7. *Ex fructibus eorum cognoscetis eos.* Fructus autem optimos cum reliquerint nobis per hæc decem Secula Pontifices Romani numerò plures, quàm centum & triginta: hinc nos relictis paucis malis, vestigia sequemur tot *Bonorum Pastorum*, quorum vox unanimis & per tot Secula fuit constans ac perpetua: *exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis.* Joan. 13.

### Seculum Undecimum.

## CXLI. Sylvester II.

**S**I Germanos super Sylvestri II. natalibus & patriâ consulamus, Germani Germanum; si Gallis aures præbeamus, Galli Gallum Aquitanum dicunt, lite pendente inter utrosque. Ex Religiosissimo D. Benedicti Ordine eundem fuisse fatentur omnes. Quantus verò fuerit, æquus, nisi fallar, arbiter æstimavit Hugo Capetus Gallorum Rex, stemmatis Capetingorum primus, cujus operâ Sylvester, tam temporis Gerbertus vocatus, Rheimsibus Archiepiscopus est datus, remoto tantisper ab ea Sede Archiepiscopali Arnulpho Archiepiscopo. Verùm si fides hac in parte sit C. Bellarmino, tanquam indignus tanto honore, jubente Joanne XV. Pontifice ab Ecclesia Rhemenfi remotus Gerbertus, tum demum Ecclesiam verè diligere cœpit, dum ejusdem Primatum tenere licuit. Ottoni III. Imperatori summas grates habuit, cujus favores a deo sibi conciliare noverat, ut relicta Gallia autoritate Cæsaris Germanis  
gratus.



gratus, Italis non ingratus venerit; Ravennatensibus enim Archiepiscopus electus, paulò post Præsul Romanus est creatus: unde hoc nobis de se Hexametron haud satis castigatum reliquit: *Scandit ab R. Gerbertus ad R. post Papa viget R.* Rhemos, Ravennam, & Romam componens. Confirmatus in Sede Romana celebrare instituit annum à nato Servatore millesimum, quo cælum varios velut diei in orbe ultimi brevi adfuturi prodomos, Europæ præsertim exhibuit. Sunt eadem tempora Hungaris atque Polonis, suam ob conversionem ad Romanam Ecclesiam & coronas regias recens obtentas, notissima. D. Stephanus Hungariæ, Boleslaus Poloniae suprema cum potestate tum præerant, quorum primo crucem Apostolici muneris insigne, Hungariæ Regibus deinceps proprium donavit. D. Adelhaidi Ottonis M. Imperatoris conjugii quondam pientissimæ Divorum sacros honores impertivit. Contra Saracenos Imperatorem, aliosque Christo addictissimos Principes sedulo animavit. Inimicis veniam haudquaquam negavit, quos inter fuit Arnulphus Rhemensis Ecclesiæ Archiepiscopus, quem suo in munere confirmavit, edito diplomate anxiiis timorem omnem adimens. Corruptos Seculi mores emendare non omisit, Clericorum & Episcoporum maximè detestatus vitia. Id expertus posteritati testimonium reliquit Gislerus Magdeburgensium Archiepiscopus geminos Episcopatus invito Pontifice sibi tribuens. Annus tunc agebatur supra millesimum secundus, quo Imperator Otto III, factis concessit; securus Cæsaris vestigia, anno altero Sylvester saltem intra quatuor sui Pontificatus annos moribus & morte probatissimis confutavit optimè Bennonem Pseudo-Cardinalem calumniatorem suum, non Historicum.

## CXLII. Joannes XVI. Romanus.

**P**RÆTER Natales Romæ nobilissimos ferè nihil de Joanne XVI, Pontificum Historia complexa est: constat tamen, eundem Comitum Tusculanorum potentiâ ac operâ in Summam Sedem evectum fuisse; cum isti mortuo Ottone III, Imperatore in Italia passim Ecclesiæ jura aut violârint, aut Episcopis atque Cardinalibus eligendi disponendique libertatem ademerint: eorundem proinde autoritate etiam Joannes Pontifex vel impeditus, vel absterritus intra quinque sui Pontificatus menses non integros moliri quicquam vel non potuit, vel non ausus fuit, suis met fortè desiderijs, aut fastidijs occisus.

*R. P. Kolb Series Pont. Pars II.*

X

CXLIII.



## CXLVIII. Joannes XVII. Romanus.

**H**UJUS Pontificis tempore in Gallia fuerunt celebrata Concilia plura non-Oecumenica, quibus testis maximus & laudatissimus Robertus Rex, Hugonis Capeti Regis filius, interfuit, totus ex nutu Pontificum constanter pendens: ut Gallicana nec latum unguem recederet non modò à Fidei dogmatis; sed & placitis Romanæ Ecclesiæ. Non desunt quoque Authores gravissimi, qui unà cum epitaphio Joannis hujus Pontificis testantur; Cræcam cum Latina Ecclesia ita fuisse denuo conjunctam, ut non minùs Græci, quàm Latini Joannem Caput suum Oecumenicum dicerent. Capitis hujus beneficia nòrunt vel hodie Germania & Gallia; annitente enim D. Henrico Cæsare, erexit Episcopatum Bambergæ in Orientali Francia; per Legatum verò suum Magdeburgensium Archiepiscopum consecravit D. Tagmonem, D. Wolfgangi quondam discipulum. D. Brunonem, Episcopum misit ad Prussiæ populos Christiana Fide imbuendos. Socius eo in munere Apostolico accessit D. Bonifacius natione Germanus, Ottoni I, Sanguinis propinquitate conjunctus; Martyr cum Martyre D. Brunone quondam in Prussia, nunc verò in orbe toto celeberrimus. In Gallia Fulbertum, virum virtute ac doctrina insignem, ex Monacho Episcopum Carnuti creatum misso diplomate confirmavit; comitem verò, qui ejusdem Ecclesiæ jura invaserat, & Clericum sibi obnitentem occiderat, sacro anathemate confixit. Eodem tempore Carnuti D. Everardus impiorum manibus occubuit, inter copiosa verbera verbis D. Stephani Proto-Martyris respondens percussoribus suis: *Domine, ne statuas illis hoc peccatum.* Morbo ea ætate Romæ plurimùm grassante correptus Joannes Pontifex, diem suum obiit ultimum annò 109. Sedit an. 5.

## CXLIV. Sergius IV. Romanus.

**B**OCCA di porco, ait Dithmarus Merseburgensis Saxonix Episcopus, fuit olim vocatus hic Sergius: unde etiam, eodem teste, mutatio nominis locum habuit in Successoribus Pontificibus. Verùm Dithmarus se probat esse Historicum parùm hac in parte versatum, testantibus id ipsum multis aliis Historicis, qui priori Seculo jam numerârunt



runt complures Pontifices, quales mutato nomine Pontificatum adièrunt, cum novo nomine novum hominem induentes: ut præter virtutem & doctrinam in se nec nomen, nec locum haberet amplius vetus homo. Petrum nuncupatum fuisse scripserunt alii, quibuscum convenit Epitaphium Sergio scriptum. Petrini igitur, (iisdem afferentibus) nominis religione commotus Sergii nomen assumpsit, quod prioris mensuram adimplere non posset: veluti palàm confessus est vir summæ demissionis, de quo memoriæ proditum fuit, quòd tantâ innocentia fuerit præditus, ut nihil poenâ, aut forè etiam poenitentia indigum toto ejusdem vitæ tempore fuerit deprehensum. In hanc sententiam faciliè forsan abibunt Imperii Status Germanici, cum quibus ita rem summi momenti transegisse scribitur à Ptolomæo, Ricordano, & Villano, Italis Scriptoribus: ut eum deinceps ordinem eligendi Romanorum Imperatorem observarent Electores Imperii, quem Gregorius V. Pontifex, Ottone M. Imperatore, atque hujus Successoribus haud invitis, optimè inchoavit, perficiendum verò Sergio IV. reliquit. Hoc ipso volente Pontifice, D. Henricus Imperator ad Dedicationem Ædis Bambergæ Principis, faciliè XXX. Episcoporum convocavit; in quorum numero fuerunt Joannes Patriarcha Aquilejensis, & Dithmarus Merseburgensis Episcopus: tot itaque Episcoporum collectorum occasione celebrata est Synodus, in qua controversiæ inter Episcopos Germaniæ sunt sublata, Pontifice Sergio per suos Legatos cominus & eminus cooperante, plura tamen molientem interceptit pestilentia morbus annò 1012, Romæ summè noxius. Sedit annis pene 3.

### CXLV. Benedictus VIII. Thuscus.

**I**NTER primas Pontificis hujus curas ea non fuit postrema, qua annò Pontificatûs sui primò decrevit: ut in festis majoribus, finitis Evangelii verbis, Romanæ Fidei Symbolum à Sacerdotibus ad aram litantibus subjungeretur. Gregorium Antipapam amoturus, in suppetias vocavit D. Henricum Cæsarem, quem Romæ præsentem, cum Conjuge Augustissima D. Cunigunde, Imperii diademate exornavit, pomum aureum cæteris insignibus Imperatoris adjiciens. In Cæsaris fratrem Arnulphum quoque summè studuit esse beneficus, cui supremam Ravennæ mitram concessit, Archiepiscopum Germanum Italis præficiens. Tantis ritè peractis negotiis, Saraceni Italiam armis infestaturi, ab ipsis verò Summis co-

X 3

piarum



piarum Ducibus Benedicto & Henrico præventi ad internecionem penitus sunt deleri. Inter strages, & cædes scemina inter barbaros Reginae parcapta, & à victore milite obruncata fuit, cujus maritus regius; acceptò de conjugis morte tristissima nuntiò, saccum castaneis plenum in Italiam remisit, designans eodem sacco futurorum armigerorum ingentem numerum, quem in Italiam foret perdustrus. Eundem saccum, minutissimis milii granis repletum, remisit continuo Benedictus barbaro Regi, respondens secundum suam prudentiam. Rudolphum deinde Germanum strenuissimum virum misit cum copiis adversus Græcos, victorem tunc equidem eorundem, qui tamen paulò post, obtentis à Basilio & Constantino Imperatoribus auxiliis, extrema quæque Italiae minabantur. Benedictus igitur Germaniam adiit spe maxima in Cæsare Henrico posita, ubi Bambergæ templum consecravit D. Stephani honoribus dedicatum. Vidit idem Pontifex ad Italos redux post triennium non minùs reducem in Italiam Henricum; morientem verò tum in Italia Pontificem vidit Henricus, postquam ipse abhinc triennio, ope D. Benedicti, pristinam valetudinem non absque miraculo recuperavit in monte Cassino summis calculi doloribus vexatus, sed etiam repentè liberatus. Mortuus est Benedictus annò 1024. postquam sedit annis 12.

## CXLVI. Joannes XVIII, dictus XX, Thuscus.

**G**ERMANUS frater Benedicti VIII, dignitate fratris Benedicti affectus, etsi inter laicos etiam tum ipse laicus versaretur; Summi tamen Sacerdotis honores votis omnibus expetivit. Cui igitur virtus deerat, aurum omni virtute in superbis ac avaris potentius, viam ad supremum honoris ac dignitatis apicem stravit; pater enim aliique Tusciae Comites, Joanni Sanguine proximi, datis pecuniis Summam Sedem mercati sunt, nullis hujus Seculi divitiis vendibilem. Mens pessimorum horum mercatorum erat, Patrimonium Christi ad feros nepotes suos transferre; nullo discrimine habito inter profana & sacra munia, inter bona Mammonæ & Ecclesiæ. Facile expensas refarcire valuissent iidem Comites Simonis magi filii, si eorum simul & Græcorum votis respondisset Joannes jam melior Pontifex, quàm fuerat nuper Pontificiæ Sedis candidatus;



datum; Græcorum enim Imperator Basilius cum donis misit legatos suos, obtenturos datis muneribus Eustachio Patriarchæ Constantinopolis Patriarchæ Oecumenici titulum; quem tamen perspectis Græcorum fraudibus Joannes constanter negavit M. Gregorii & aliorum Antecessorum ritè commotus exemplis; fratris etiam Benedicti apparitione, & Willermi Divionensis Abbatis epistolâ absteritus. Annus erat supra millesimum circiter trigessimus, cum Conradus II. Imperator, Canutus Anglorum, & Rudolphus Burgundorum Reges simul Romam attigerunt; inter hos igitur medius Conradus D. Petri Basilicam ingressus fuit Imperii insignia suscepturus è manibus Pontificis, qui postquam Concilio habito D. Martialem Aquitanix Apostolum edito Decretò dici curavit, annò Sedis suæ ferè 10. à Romanis Româ pulsus, à Cæsare autem restitutus brevi est mortuus, an. scilicet 1034.

### CXLVII. Benedictus IX. Tuscius.

**A**LBERICUS Tuscix Comes ditissimus, trium Pontificum frater arrogantissimus, filio tertii Benedicti IX. nomine dicto pecuniis sacram Romæ tiaram emere haud erubuit, labis Simoniacæ, velut multi alii, parùm memor. Emptionem hanc sacrilegam emendavit equidem legitima electio Pontificis; cujus tamen vita, carnalibus præcipuè sacrilegiis polluta, Romanis & Ecclesiæ universæ probari haud poterat. Ptolomæi igitur Romani Consulis potentiâ sacris insignibus exutus, eidemque Episcopus Sabinenfis substitutus est Sylvester III. dictus; inter Pontifices tamen haud numerandus, quem post tres menses Tuscix Comes Summa è Sede dejecit, ut filius Benedictus restitueretur. Is ipse antea vitæ suæ pertasus in solitudinem sese recepit, relicta Sede Pontificia Joanni cuidam Cardinali Presbytero. Haud pœnitentiæ, sed avaritiæ causâ id factum fuisse meminerunt Historici; & id ipsum eventus monstrâsse visus fuit: namque paulò post Benedictus è sua solitudine rediit dignitatem pristinam repetens. Vidit igitur Roma tres non re, sed nomine Pontifices, quorum uni mons Vaticanus, alteri Sedes Laterana, tertio locus ad Mariam Majorem fuit. Cæterùm nec de ætate, nec de fatiis ultimis Benedicti satis constat. Admodùm juvenem fuisse dum negant multi, eò audaciùs affirmant multi alii, Annos Pontificios eidem alii 10, alii 12. rursùm alii longè plures assignant.



## CXLVIII. Gregorius VI. Romanus.

**G**RATIANUS antea vocabatur, vitæ probatissimæ Sacerdos, in D. Benedicti cœnobiis educatus, atque ex iisdem evocatus fuit, in Purpuratorum Patrum cooptandus numerum. Is, miserrimi Ecclesiæ statûs misertus, suâ eloquentiâ nunc Benedictum, nunc Sylvestrum, nunc Joannem æmulos eò permovit, ut singuli non nisi acceptâ pecuniarum summâ, Sedem Summam alteri reliquerint. Eâdem itaque nemo dignior visus est Clericis, populôque Romano, quàm Gratianus; qui postquam creatus est Pontifex, omnem mox lapidem movit, ut latronibus, aliisque sceleratis hominibus, non modò Roma, sed Italia purgaretur universa, suâque Ecclesiæ bona à tyrannis abrepta restituerentur. Romam petiit paulò post Henricus III. cui obviam processit Gregorius Placentiam usque; verùm etsi à Cæsare humanissimè, ad speciem minimùm, fuerit exceptus; parùm tamen gratus Pontificis hujus obtigit Germanis aspectus: Nam horum maximè instinctu indictum fuit Conciliabulum, in quo Gregorius VI. Simonix immeritò accusatus; ne tamen schisma novum pateretur Ecclesia, animò fortissimò passus est omnia, liberrimè renuntians omni juri suo Pontificio. De morte Gregorii VI. nihil certi reliquere Majorum facti. Sunt, qui cum Henrico Imperatore Germaniam petiisse memorant, & annos 9. cum 3. mens. tribuunt; nec desunt, qui Cluniaci diem suum obiisse contendunt; Romæ mortuum fuisse, ac sedisse Pontificem annis 2. cum mensibus pluribus, traditum est ab aliis.

## CXLIX. Clemens. II. Saxo.

**I**N locum Gregorii VI. Germanus Pontifex, annitente plurimùm Germano Imperatore Henrico III, qui, quanta virtute & doctrina conspicuus foret Suidgerus Bambergæ Episcopus, apprimè noverat. Obstiterè primò Cæsaris Germani desiderijs, tandem tamen consensere Clerici præsertim Itali, ut excluderent imminentiâ, eâque gravissima, Ecclesiæ mala. Creatus igitur Summus Præsul ex Francorum Orientalium Episcopo, coronavit cum sua conjuge Agnete Henricum III. ex Francorum Imperatorum stemmate oriundum, Cæsarem. Sancitis dein legibus saluberrimis, & contra Simoniacos pœnis gravissimis, Germaniam suam



suam cum Henrico Imperatore repetiit, Bambergæ post 6. vel plurium mens. in Pontificatu transactorum, breve intervallum mortuus an. 1047.

## CL. Damasus II Bavarus.

**B**ENEDICTUS equidem, quem paulò ante IX. diximus, relictam à se Apostolicam Sedem repetiit, ac per menses 9. occupavit: eò usque nimirum, donec, autoritate Cæsaris Henrici III. permotus, Clerus & populus Romanus Poponem, ex Episcopo Brixinensi electum, Aquilejæ Patriarcham creavit dierum ferè 23. Pontificem. *Ambitu Sanctam Sedem usurpasse*, scribere non dubitavit Platina. Verùm Platinam vel mendacii, vel certè erroris arguunt Leo Ostiensis, Otto Frisingensis aliisque Platinâ superiores Historici.

## CLI. D. Leo IX. Germanus.

**E**X Illustrissimo Comitum de Tachsberg stemmate in Alsatia natus, Brunonisque nomine appellatus sanguinis cognatione Conradum Salicum, & Henricum III. Imperatores contigit. Quinque annorum parvulus Hermannò Tullensium Episcopo discipulus commendatus cum litteris virtutes eximias didicit; ob quas jam cacodæmoni Bruno adolescens, Superis gratissimus, adeò displicuit, ut eundem per bufonem, super faciem dormientis infidentem, enecuisset, nisi D. Benedictus in vota vocatus opem, omni medicina potiozem attulisset. Ita à cœlo terræ servatus, lapsisque annis Tullensium Episcopus electus Germaniæ ac Galliæ provincias maximè famâ suarum virtutum implevit. Romanis tandem etiam notissimus ut Romam mitteretur rursus, ab universo Clero rogatus est Henricus Cæsar. Cæsaris igitur nutui obsecundans, tiarâque Episcopali exornatus, Tullò Cluniacum pervenit; ubi simul Bruno & Hildebrandus, futurus uterque Pontifex Maximus, peregrinorum more habitum induti Romam petierunt. Romæ summâ lætitiâ exceptus uterque, alterque electus Pontifex Leonis IX. nomen assumpsit. Paulò pòst tum congregatis Romæ, tum Papiæ conciliis, severam legem contra Simonix labem tulit: vitia imprimis amoturus, ut virtutibus viam quamprimùm sterneret. Hæc egit prima hyeme: in æstate verò Coloniam, & inde Remos petiit, impuros Sacerdotum mores, tum in Germania, tum Gallia, emendaturus. Qua occasione pacem inter Henricum Cæsarem, & Godofredum Lotharingiæ



ringiæ Ducem firmavit. Inter eundem Henricum & Andream Hungariæ Regem litem compositurus primùm Hungariam, dein verò alias Germaniæ urbes suâ præsentia dignatus est; inter quas Ratisbona fuit, ubi lis Parisios inter & Ratisbonam diu agitata, ac ab hoc Pontifice in favorem Ratisbonensium decisa fuisse refertur; qua lite Parisienses D. Dionysii Areopagitæ sacras Reliquias ab Arnulpho Imperatore Parisiis Ratisbonam translatas esse, hæcenus negabant. Inter alia beneficia sibi collata meminit probè Ratisbona etiam illius, quo DD. Wolfgangus & Erhardus ibidem quondam Episcopi in Divorum album à Leone IX. sunt relati. Norimbergatum Romanæ Ecclesiæ addicissima, Leonem suum etiam fuit venerata, ubi duo Dynastæ ex Comitum Schvvarzenburgicorum stemate eidem obviam facti rogavère, ut ad eam suis sumptibus dotatam dignaretur consecrare: cui igitur Pontifex, extensâ eminus dextrâ crucem efformans, bene precatus est cum dictis: *ite, & nisi lustrata adis signa expressa deprehenderit, reversi me revocate.* Diocesis Basileensis hujus quoque Summi Pontificis beneficiò complures numerat basilicas consecratas. Wormatiæ denique, cum Cælare rebus momenti maximi compositis, Germanos inter & Italos id statuit, ut Romano Pontifici, loco Fuldensis Abbatia & pecuniarum suarum à Bambergensi Episcopo in annos singulos Romam mittendæ, Beneventum penitus subderetur, quod sibi propriam Germani fecerunt antea. Caterùm universim octo Concilia instituit; quatuor nimirum Romæ, unum Vercellis, unum Papiæ, unum Rhemis, unum item Moguntia, quibus in Conciliis tum in utilitatem Ecclesiæ Latinæ, tum Græcæ strenuè a Pontifice Leone IX. laboratum fuit. Imperator profectò Constantinus Monomachus, & Patriarcha Constantinopolitanus exemplò suò universum traxerunt populum, ut Romani Præfulis auctoritatem supremam inter publica pœnitentiæ indicia præsentì Friderico Cardinali Latharingico contestati sint universi. Quanta religione in Superos fuèrit, ex eodem etiam colligere pridem licuit, quòd ter in hebdomade ex Laterano se in templum D. Petri contulerit, Psalmos Davidicos repetiturus. Confirmavit proin virtutes hujus verè Germani Pontificis Deus compluribus miraculis, quibus eidem Pontificia dignitas cœlitus prædicta fuit, & angelicus concentus Romam petenti applausit. Morti proximior ad januam sui palatii leprosum humi repentem cum invenisset, Leo in pauperes semper mitissimus, iussit hominem pessimè affectum per famulos lectulo Pontificio superimponi, qui paulò post cum desiderare-



deraretur, nusquam comparuit. Eam ob causam pro cœlesti, genio, aut ipso Servatore nostro in pauperibus sæpe apparente habitus fuit. Leo igitur tantis rebus clarissimus, Divorum Pontificum numerum mirè illustravit; unde Petrus Damiani mortuum annò 1054. Sed. 5. his profectus est laudibus: *fuit moribus Angelus, factis Apostolus, conversatione Sanctus, miraculis vir prodigiosus.* Plura addidit Desiderius Abbas quondam Cassinensis, & ex Abbate electus Summus Pontifex Victor III. dictus, qui ita scripsit: *post Leonem & Gregorium, cognomento Magnos, orbem terrarum nominis sui gloriâ, famâque sanctitatis, & eruditionis adimplevit.*

## CLII. Victor II. Suevus.

**H**ILDEBRANDUS Cardinalis ab Electoribus Pontificiis missus Legatus venit ad Cæsarem Henricum III. in Germaniam, ut supprimeretur insolentia Comitum Tusculanorum, qui, instar juvenis hæreditarii, Pontificiam dignitatem sibi & suis nepotibus vindicare nondum cessaverant. Idem Cardinalis oratione sua permovit Cæsarem, ut Episcopum Eustadii Gebhardum in Italiam mitteret, ibidem in totius Ecclesiæ Præsulem certò certius eligendum. Fuit Gebhardus natione Suevus, illustri Comitum de Calb profapiâ oriundus, Henrico Imperatori Sanguinis propinquitate conjunctus; qui annuente Imperatore electus ac consecratus Pontifex, mox Florentiæ eodem Imperatore comite coëgit Concilium, in quo agendum in primis erat contra male usurpantes bona Ecclesiæ. Actum non minùs fuit contra Simonix scelere infectos, qui per Italiam Galliamq; passim altissimas egerant radices. Simonix accessit in Gallia Berengarii hæresis, quem jam à Leone IX, damnatum, indicto Cæsaroduni Conciliò, præsens Pontifex iterum condemnavit. Eodem pene tempore Hildebrandum Cardinalem Lugdunum miserat Legatum, Lugdunensi Concilio Summi Pontificis loco Præsidem. Hæc & alia plurima cum prudentissimè ac providentissimè ageret, vitam eripere tanto Pontifici tentavit ejusdem ad aram minister Subdiaconus Sacro Sanguini venenum miscens, quod ne ore sumeret Victor, haud in altum elevare poterat dexteram, occulta virtute præpeditus. Quid rei subesset, prodidit continuo duplex miraculum; dum enim fundendis ad Deum precibus dat operam cum populo Pontifex, ministrum sacrilegum orci genius occupat. Verùm hoc hospite pessimo ut liberaretur miser energumenus, iterum fusæ

R. P. Kolb Series Pont. Pars II.

Y

preces



preces secundissimæ. Ita à DEO servatus Victor in Germaniam rediit aditurus morituro Cæsari solator, cujus filium quinquennem Henricum IV. Romanorum Regem coronavit, paulò post coronidem vitæ imposuit annò 1057. Sedis 2. compl.

### CLIII. Stephanus X. Lotharingus.

**E**X regio Regum Gallia sanguine oriundus Princeps nomine Fridericus à Leone IX, in Purpuratorum numerum cooptatus, & ad Constantinum Monomachum Orientis Imperatorem missus venit Legati munere perfunctus strenuè. Ex Oriente Romam redijt, indè verò Cassinense cœnobium petijt Monachorum D. Benedicti primò æmulus, mox verò Abbas & exemplar futurus. Dum in ipsa solitudine latuit, Romam totam tentatæ virtutis splendor à Friderico partim relictus, partim novis continuò exemplis auctus illustravit; die enim post Victoris II, fata quarto, qui D. Stephano Proto-Martyri festus erat, coronatus jam fuit Pontifex; eam ob causam Stephani nomine vocatus. *Germanum* hunc *Pontificem* passim dixere Itali, qui ut Germanorum more, id est, fortissimè ageret contra Germanum Cæsarem, suasit summa utilitas, & coëgit extrema necessitas; Henricus enim IV, beneficia Ecclesiæ, suo pro arbitrio etiam indignissimis distribuens, per Hildebrandum Legatum meritò coërcendus fuerat. Hic ipse Legatus Pontificius, volente Pontifice, Stephano, Mediolanum venit, ubi Archiepiscoporum per ducentos jam annos à Summa Sede alienissimorum ultimum suavi Romanæ Ecclesiæ jugo restituit. His ritè peractis, plures virtute ac doctrinâ conspicuos viros sacrâ purpurâ ornavit, quos inter fuit D. Petrus Damiani Ravennæ natus, D. Benedicti in eremo Avellana filius, ob sua in Ecclesiam merita orbi notissimus. Egit hæc & alia multa intra septem mensium compendium Stephanus; moriturus indè passus est plurima ab infernalibus geniis mortualem lectulum, ut querebatur ipse, circumstantibus; quos tamen licet æger ac moriens strenuè vicit victoriam testantibus miraculis. Mortuus annò 1058.

### CLIV. Nicolaus II. Sabaudus.

**U**T cederet æmulorum tumultibus, Senas abire compulsus fuit, ubi à Cardinalibus, promotore maximo Hildebrando è Germania reduce,  
ex



ex Episcopo Florentino Pontifex creatus Nicolai nomen sibi vendicavit, Gerardus antea vocatus. In Concilio dein Sutrii convocato sententiam tulit contra Tusciæ Comites, Joannem Episcopum Veltrensem in Pontificis locum intrudentes, & supremam Ecclesiæ cathedram velut suam hæreditatem ambientes. Romam Sutriò redux, ibique consecratus, primùm Pontifex veniam dedit Joanni Veltrensi Episcopo, quem Pseudo - Electores Benedictum X, nuncupârunt, postquam is poenitentia causâ ad pedes Nicolai se se pronum ac supplicem abjecit, crimen suum & suarum partium palàm confessus. Concilium aliud idque Oecumenicum Romæ in Laterano Nicolao Authore institutum tandem permisit Cæsari copiam confirmandi deinceps Summum Pontificem; verùm haud à Cæsare, aut Cæsaris amicis, sed à Clericis constanter electum aut eligendum. Aut si Electores Clerici, quocunque demum impedimento retardati, suo haud possent fungi officio, eligendus foret à Cæsare Pontifex, non Cæsaris, sed Clericorum nomine. Pacem quoque iniit cum Northmannis ea lege, ut bona Ecclesiæ ablata eidem restituerentur; Northmanni verò inter Ecclesiæ membra reciperentur, simul partem Italiæ deinceps possiderent; tributa tamen Pontifici solverent, & Romanæ Ecclesiæ suppetias ferrent adversùs Tusciæ Comites; contra quos cùm omnia remedia incassum adhiberentur, eorum tandem arces iussit solo æquari Nicolaus II, ipse verò terræ fuit mandatus annò 1061, Sedis 2, compl.

### CLV. Alexander II. Mediolanensis.

**T**USCIÆ Comitibus & Longobardiæ Episcopis ambitionis, Simoniæ & luxuriæ tabe maximè infectis, atque has ob causas foedissimas Pontificem sibi haud absimilem exoptantibus, simul Henrico III. Imperatore juvene ad schisma vergente, Purpurati Electores Hildebrando pro Ecclesiæ emolumento constanter vigili, in Summum Præsulem elegere Anselmum Mediolani natum, Lucensibus verò Episcopum datum, qui Alexandri II, nomen sibi adoptavit. Procerum igitur suorum consiliis, inter quos Guibertus Parmensis eminebat, summè commotus Cæsar extremè hanc Pontificis electionem detestatus, & accensis irâ flammis, oleum subministrante Agnete Imperatoria Genitrice, identidem magis inflammatus Imperator filius Basileæ conciliabulum congregavit, in quo à schismaticis in Pseudo - Pontificem electus est Carolus Pal-



lavicus Parmensium Episcopus Honorius II. vocatus. Pugnandum igitur diu Alexandro, aut potius universæ Romanæ Ecclesiæ fuit cum Cæsare, & Pallavicino Parmensi Episcopo; qui etsi Romæ cum copiis suis bis victus, & per biennium captus; inde tamen liberatus, semper se gessit Summum Pontificem, quoad ipsi per vires licuit. Ottonis tandem Colonienfis Archiepiscopi melioribus consiliis Henricus Imperator, & Mater Imperatrix persuasi, in Concilium Mantuanum consensere: in quo Alexander Pontifex legitimus est agnitus, reprobato Honorio, qui ne tum quidem communi omnium sententiæ acquievit, suâ victus pertinaciâ, etsi Agnes Imperatoris Mater poenitentiam publicam toti Ecclesiæ testatura Romam venerit, cujus votis apprimè respondit D. Petrus Damiani, poenitentia indigis perquam idoneus. Hoc ipse vir ad summa quæque natus, & D. Benedicti Regulæ ac vivendi methodo ad negotia quævis tractanda instructus, in Germaniam Pontificis Legatus venit, Henrico Cæsari saniora daturus consilia; qui tamen tum privatis, tum publicis nimium implicitus negotiis, in tantum paruit D. Petri Damiani precibus, ut repudiatam conjugem throni, non verò throni receperit consortem. Hæc ut ageret Alexander cum amicis contra inimicos Ecclesiæ, sex in Laterano Conciliis opus fuit, in quibus plurima alia præclare ordinavit reformandis præcipuè Episcoporum & Clericorum moribus intentissimus per annos Sedis 11, quorum ultimus fuit 1073.

### CLVI. Gregorius VII. Senensis.

**P**RORSUS præclara sunt, quæ gessit Gregorius VII. aut Hildebrandus, (quo nomine ante Pontificatum fuerat vocatus) in pueritia, in juventute, ætate virili & senectute, constanter doctrinâ, morum probitate, exemplis ad imitationem perquam idoneis, clarissimorum gestorum famâ maximè conspicuus. Fuit scilicet Gregorii VI. Pontificis Gregorius VII. discipulus, par aut supra Magistrum, quem ex Cluniacensi monasterio evocatum Leo IX. inter Cardinales Ecclesiæ numeravit: Victor verò II. Legatum in Galliam misit, ubi Concilio Lugdunensi præfuit, & Synodum Turonensem contra Beringarium coëgit. In Germaniam ipsum abire iussit Stephanus X. ad Agnetem Imperatricem Henrici IV. Imperatoris Matrem. Hæc & plurima alia jam egit purpurâ sacrâ insignis; ut autem triplici coronâ ornaretur eadem die, qua mortuus est Alexander II. unanimis omnium Cardinalium, omnium Clericorum, Mo-  
na-



nachorum, & totius populi vox coëgit. Pontifex igitur creatus Gregorius, Legatos suos destinavit ad Michaëlem Ducam Græcorum Imperatorem, ut schisma Latinam inter & Græcam Ecclesiam componeret. Concilia varia etiam ipse brevè instituit, in quibus jura Ecclesiæ, ab Imperatore aliisque laicis malè usurpata, Ecclesiæ reddi jussit. Mores pessimos pravorum Sacerdotum & Episcoporum summè detestatus est, simul renovans Decreta Ecclesiæ, quibus Clerici ab omni carnis commercio pridem fuerunt coarctati. Eam ob rem plurimos factis ab officiis removit, quos inter fuere Episcopi Bremensis, Salisburgensis, Spirensis, Argentoratensis, & alii minimè sacri, sed sponsi sacrilegi. Iniquissimò animò excepta sunt hæc omnia à sceleratis & imperitis hominibus, præcipuè à Guiberto Ravennæ Episcopo ac Cardinale, item ab hujus amico Cincio cive Romano præpotente, qui nocte nato hominum Servatori sacratissima ad aram facientem Pontificem cum satellitibus suis adortus, crinibusque correptum, per templi pavementum & plateas raptatum in captivitatem abstraxit, haud facile liberaturus captivum, nisi tota Roma ad civile bellum provocata sibi reddi tam charum Pontificem imperâisset. A Guiberto & Cincio eminus Pontificis hostes, iique potentissimi, conquiriti bellum Gregorio moverunt, quorum tamen omnium minas & persecuciones gravissimas parvi duxit, ex nutu Regis Regum unicè pendens, Pontifex nunquam non imperterritus; Gallorum enim Regi Philippo I. nisi resipisceret, sacrum anathema minatus est; Henricum verò Imperatorem non uno tantum scelere contaminatum vocavit Romam, ut suam causam diceret; quem denique in atrocibus sceleribus pertinacem unà cum suis partibus à fidelium communione removit. Ab hoc igitur Imperatore & Guiberto Pseudo-Pontifice Honorio II. dicto, nec non viris aliis nomine tantum Ecclesiasticis atrociora identidem perpetravit, qui hæreticis ansam dederunt, Pontificem hunc gravissimis calumniis petendi; eundem tamen in vita & morte miraculis inclaruisse, affirmat ejus temporis Romæ Bibliothecarius Anastasius; C. Bellarminus verò solidissimis argumentis, ab ejus temporis Scriptoribus petitis, hæreticorum scommata refutat. Testatur etiam C. Baronius testis oculatus, se vidisse integrum & incorruptum omnino corpus hujus Pontificis, licet ab annis quingentis jam fuerit tumulto illatum, annò scilicet 1085, Sed, 12. compl.



## CLVII. Victor III. Beneventanus.

**B**ENEVENTI in Samnio, patre ejus civitatis Principe natus fuit. Desiderius vocabatur juvenis, cum sponsus sponsam dereliquit, futurus ex viro Religiosissimo Abbas in monte Cassino. Hunc ipsum præter alios constanter fugit honores; verum dum fugit maximè, invenit; etsi enim Pontificiis Electoribus Desiderium in Pontificem eligentibus constantissimè fuisset reluctatus, tandem tamen summorum ac infimorum precibus permotus, admittit coronam triplicem cum cruce, ut ajunt, multiplici, quam sanè multiplicare nondum cessabant Henricus Cæsar & Guibertus Antipapa: hos tamen profanis armis contra aliorum consilia petere ipse destitit, bellum & arma totis viribus translaturus in Saracenos ex Africa identidem transeuntes in Italiam, quorum facilè diversis in præliis centum millia vicisse fama fuit, dum collecto per Italiam nobili exercitu, terrâ marique præliante ipse domi, instar Moysis, extensis ad coelum manibus Superos in suppetias vocare perrexit. Hanc maximam, & alteram victoriam obtinuit, sed & ultimam; dum enim Beneventi adversus Guibertum indixit Concilium, dissenteria morbo, vel potius veneno enectus, inimicis cunctis indulgit veniam copiosissimam, atque de se laudis materiam omnibus reliquit uberrimam annò 1088. Sed. 1.

## CLVIII. Urbanus II. Gallus.

**O**TTO quondam vocatus parentem natus est Milonem Castellionis & Basochii dominum illustri prosapia ortum. Relicto Seculo D. Augustini Regularibus Canonicis associatus ad D. Benedicti Ordinem transit, ex quo à Gregorio VII. Pontifice postulatus, Ostiensis Ecclesie Episcopus & Cardinalis præfuit. Demum unanimi Purpuratorum Patrum calculo Pontifex inauguratus; armis verò Pseudo-Pontificis Guiberti, seu vulgò Clementis III. Româ pulsus, in insulam Tyberis Lycaoniam se contulit. Ex eadem redux varia collegit Concilia, in quibus Henricum IV. Imperatorem & Guibertum cum suis affectis solemniter detestatus est insistens Gregorii VII. & Victoris III. vestigiis. D. Benedicti beneficio, quem in somnis sibi præsentissimum vidit, summo calculi dolore liberatum esse scribunt; cujus proin sacras Reliquias



quias in Monte Cassino quiescere edito diplomate declaravit. Redijt ex Monte Cassino Romam, ubi locum ab armis tutum dedit Mathildis in Thuscia Princeps simulque militaris animi foemina. In Concilio Placentino preces in honorem Deiparæ Virginis compositas, cum ejusdem Præfatione diebus Sabbathi dici solita, laudavit & confirmavit; damnatis verò Henrico Imperatore & Guiberto, Philippum I. Francorum Regem simili sententia proscripsit ob pulsam è thalamo regio Bertham conjugem; eundem tamen poenitudine reductum in Ecclesiæ gremium recepit. Exinde movit in Galliam, ubi ad Clarum Montem Synodus Generalis est indicta, in qua videre erat, præter tredecim Archiepiscoporum, ultra ducentas infulas. Actum in eadem præcipuè de bello sacro, cui nomen suum dederunt mox trecenta Christianorum millia. Bello sacro ritè instituto rediit Romam, quâ cum Guibertus timore percussus aufugisset Ravennam, ipse ab eadem triumphantis more receptus est coeli triumphis dignissimus Pontifex, ad quos mors ipsi viam stravit an. 1099, Sedis 1.

*Reflexiones Historicæ supra Seculum XI.*

**E**Xtitere hoc undecimo Seculo inter Pontifices Romanos sex numero, nimirum Sylvester II. Benedictus VIII. Benedictus IX. Sylvester III. Gregorius VI. & Gregorius VII, quos Antichristi, non verò Christi Vicarios nuncuparunt Heterodoxi. Inter eosdem Pontifices vapulat maximè Gregorius VII, quem hæreticum etiam dicere non sunt veriti Magdeburgenses, præterquam quòd eundem non modò nigris, sed pene stygiis depinxerint coloribus, quos proin suo loco & ordine ob oculos paulò post ponemus, cum nempe prædictos quinque priores Pontifices à calumniis suorum hostium vendicaverimus. Accusatur itaque

- I. Sylvester II. à Magdeburgicis, Tilmanno & Hübnero, quòd fuerit magus, necromanticus, & à demone discerptus in templo S. Crucis Romæ, in quo basilica extructa fuit, quæ vocatur Hierusalem.
- II. Benedictus VIII. fol. 79. ab Hübnero paucis describitur, quòd post diem obitûs sui nigricanti insidens equo, sacrificia pro defunctis offerri solita flagitaverit ab obviis Romanis.

III. Bene-



- III. Benedictus IX. Sylvester III. & Gregorius VI. dum Pontificatum simul ambire visi sunt, pecuniis Pontificiam dignitatem coemisse ab Hübnero deprehenfi fuerunt, commissæ Simonix maximè rei, Ad hæc  
 IV. Benedictus IX. post fata sua afinò vectus, ab eodem Hübnero refertur exclamasse: *oberro, quia sine lege, & sine DEO, ut bestia, vixi.*  
 V. Gregorius VII. à Magdeburgicis Centuriatoribus, aliisque his Scriptoribus non ab similibus, vocatur *hereticus, necromanticus, seditiosus, Simoniacus, adulter, ac pessimus non solum omnium Pontificum, sed ferè omnium hominum.*

Joannes Hübnerus, horum secutus & verba & exempla, per tria integra folia ita Hildebrandum deformavit, ut quisquis Hübneriano calamo fidem tribuendam esse judicaverit, is Gregorium VII. tanquam extremæ malitiæ virum detestari compellatur. Referam hîc Hübneriana dicta ferè omnia, in quibus an non lateat, aut potius pateat, & falsitas, & calumnia, judicet æquus arbiter.

1. Afferit, Gregorium esse reum de ambitu; cùm Pontificatum ambièrit, imò se ipsum constituerit Pontificem conductis pecuniâ militibus.
2. Ab Hildebrando primùm fuisse factum Pontificatum instar Dictaturæ &c.
3. Mathildin Mutinæ Principem foeminam fuisse concubinam Hildebrandi,
4. Ut sub virtutis pallio Simonix labem eliminaret in Germania præcipuè Gregorius, hunc sibi vendicasse jus investituræ, & beneficia Ecclesiastica gratis contulisse,
5. Docuisse Gregorium, Matrimonii statum à peccato immunem haud esse: & hinc Germanix Sacerdotibus Matrimonii usum penitus interdictum fuisse; sed eum tantùm in finem, ut Sacerdotes à seculari jurisdictione eximeret, Papæ verò immani jugo subditos redderet.
6. Viros Principes fuisse coactos observare strictiùs consanguinitatis atque affinitatis gradus, ut absque Pontificis dispensatione matrimonium contrahere Viro Principi deinceps vix liceat.
7. Hildebrandum in Synodo Romana iniquè anathema dixisse Cæsari,
8. In eadem Synodo triginta theses fuisse propositas ab Hildebrando, ex quibus luce meridiana clariùs appareat, Hildebrandum fuisse Antichristum.



9. Henricum IV. denique coactum fuisse Hildebrando nudis pedibus, hyemis tempore, per tres continuos dies supplicare, ut anathematis vinculo solveretur &c. Hæc & plura alia Hübnerus.

### Responsio I. ad I.

**E**A sunt non rarò tum naturæ, tum artium, tum etiam scientiarum fata inimica in suis cultoribus atque æstimatoribus, ut hi ab imperitis atque indoctis coarguantur magiæ, aut turpis cum cacodæmone commercii, dum imperitorum hominum fax non continuò penetrat, quod in naturæ, aut artium &c. latet arcanis scriniis, ab iis duntaxat aperiendis, quibus continuò studio ac laboribus Dii vendunt omnia. Fatentur nempe Scriptores plurimi, & inter hos Pontificum osores plerique, undecimum post Christi Natales Seculum fuisse à viris doctis, atque liberalium artium peritis destitutum adeò, ut illud Poëtis usitatissimum ingeminari cum gemitu potuerit: *Sunt vari nantes in gurgite vasto!* Præcipuè verò terrigenes erepta penitus videri poterat omnis Matheseos experientia; cui tamen cum vel solus, vel cum paucissimis aliis, præter ingenii isthæc ad studia promptissimi vires indefessam consecrasset operam Gerbertus, seu Sylvester II., & arcanò Matheseos beneficiò imperitorum oculis miros, quoad speciem, objecisset sui laboris partus, nec non famâ suæ peritiæ Regum, ac ipsius Imperatoris in se rapuisset amorem ac æstimationem; eam ob rem partim imperiti, partim invidi zoli tantum virum præstigiatores vocitare, orci discipulum proclamare non sunt veriti. Notavit hoc enim vero Hübnerus unà cum suis sociis; mirum idcirco videri debet, quòd suis quæstionibus Historicis passim inserat talia, quæ nec ipse credit, nec à peritiori viro credi posse facillè sibi persuadebit; interea tamen imperitis periculum facit, ut levi brachio inducantur in errorem, & fabulas pro Historicis emant vendantque in præjudicium summum Historicæ veritatis. At forsàn Hübnerus ipse cum sociis hæret dubius, num hæc & aliæ permultæ sint Historiæ, quas alii tum de Gerberto, tum de Pontificibus aliis confictas nominant fabulas? Inquirant igitur solertiùs in auctores tum hujus, tum Historiarum aliarum, velut inquisivit in eosdem C. Bellarminus, qui asserit, se nullum probatum, nullum etiam vetustum auctorem, præter Martinum Polonum legissè, qui Gerbertum magiæ, vel ullius alterius sceleris in Pontificatu commissi insimulârit. Verùm

R. P. Kolb Series Pont. Pars II,

Z

repo-



reponet Hübnerus: discerptus est à diabolo in dicta basilica, dum ad aram litavit; eventus igitur demonstravit, quis, aut qualis fuerit Sylvester II. Reponat ita sanè Hübnerus, cui quamprimum præter alios satisfaciet parcus aliàs in laudandis Pontificibus Platina, qui etiam legit Mart. Polonum sæpe nimium simplicem Historicum, ex quo tam Magdeburgenses, quam horum sectatores hanc deprompserunt fabulam; Platina enim postquam multa dubiè & anxie de Sylvestri II, gestis narravit, simul asseruit, eundem inter publicas poenitentiae lacrymas vitam terminasse; defuncti verò Pontificis cadaver quadrigæ impositum, atque ab equis libero cursu dimissis eum in locum delatum fuisse, quò ipse Sylvester vates deferendum esse prædixerat, nimirum ad Lateranensem basilicam. Majorem longè fidem meritò sibi vindicat Sergius IV. Pontifex, omnium Scriptorum consensu *Sanctus*, qui annis quinque post fata Sylvestri II, huic eidem scripsit epitaphium, etiam hodie Romæ legendum, in quo Sylvester laudatur summis laudibus. Plura qui hic desiderat, legat Onuphrium in Annotatione ad Platinam. Idem Bidermanni Agonisticon c. 3.

### Responsio II. ad II.

**P**ertæsum sit meritò Historicis tempusterere inter refellendas fabulas, eas præcipuè, quæ nullam veri speciem præferunt, qualis est, quæ Hübnerus ipse subdubitans asserit; Benedictum VIII. nigricanti insidentem equo, missæ sacrificia pro defunctis offerri solita, ab obviis viatoribus flagitasse. Dum legi hæc ego in Hübnero, plures continuo volvi libros sciendi percupidus, num etiam Historici alii de nigro Benedicti Pegaso mentionem fecerint. Et hem! in Platina idem ferè inveni, quod in Hübnero; fidem tamen in utroque dubiam. Platinam hinc ego non castigabo, utpote castigatum pridem maximè ab Historicis auctoritate pollentibus. Ex Hübnero scire aveo, num sibi persuadeat, hanc esse fabulam, vel factum; si fabulam esse sibi firmus persuadeat, ipse eam deleat oportet, ut agat Historicum, non fabulatorem. Si credat esse factum, tunc adversus Lutherum, omnesque hujus temporis novatores, purgandarum post mortem animarum poenas concedit haud amplius hac in parte cum Lutero, sed cum Romana Ecclesia sentiens. Esto igitur id contigisse totum, de quo nihil certi refert Hübnerus; perinde tamen nihil derogatur Benedicto VIII. nec Romanæ Ecclesiæ: ille enim hac ratione purgantibus tandem poenis mundatus, non amplius nigro, sed  
velut



velut albicanti equo infidens, illud ascetis familiare dictum cum júbilo ingeminare valuit, *quàm suaviter equitat, quem Gratia DEI portat!* Testatus est pariter apparitione sua, doctrinam Lutheri inferorum inter & Purgatorii, ut vocamus, poenas haud discernentis, esse deceptoriam, atque adeò Luthero, & hujus affectis, constitutos esse à Divino Judice equos perpetuò nigricantes, quibus neutiqum coelum, sed orci stabulum pateat,

Responsio III. ad III.

**S**IMONIAE labem constanter detestata est Romana Ecclesia: quòd verò hujus exemplum præstantissimum minùs fuerit secutus, aut eidem exemplo suo præluxerit Benedictus IX. doluit pariter & ingemuit universa Ecclesia. Neque affirmavit hæc usquam, Supremum Ecclesiae Caput esse non posse quemquam, nisi fuerit absque scelere. Id solùm contendit, nec factum fuisse, nec fieri posse per Supremi Numinis providentiam, ut ab ullo legitimorum Pontificum introductus fuerit error in universam Ecclesiam, qui vel Romanam Fidem labefactârit, vel morum integritatem corruperit. Longè nimirum diversa sunt, Simoniam Decreto quodam publico approbare, & Simoniae labe infici: hoc posterius de Benedicto IX. fatebitur Historicus etiam Romanus; prius verò si affirmant Romanorum hostes, tunc odiò suò inveteratò, non veritatis amore convicti, id faciant necesse est. Quamquam nimium fortè concessit Hübnero, qui Benedictum IX. Simoniacum cum eodem rotundè dixerit: ait enim hic Scriptor Benedictum IX. cum Pontificatum pecuniis sibi comparasset, annum ætatis undecimum necdum superasse. Hoc ipsum verò negant constanter Scriptores alii probatissimi, qui de ætate Benedicti non constare asserunt. Egerit verò annum undecimum, cum in thronum admissus est Pontifex, tum verò non magis ipse, quàm Tusculani Comites Simoniae sunt coarguendi: utpote quorum auratâ potentia, & tyrannicâ insolentia Sedes Romana, per semisæculum & ultra, libertate sua est destituta.

Quòd verò Sylvester III. inter Simoniacos Pontifices numerandus veniat, haud equidem capio, qua ratione Hübnerus sustineat scribere: quòd enim Ptolomæi Romani Consulis autoritate Benedictus IX. sacris insignibus fuerit exutus, eidemque Episcopus Sabinensis substitutus, plerique consententur Historici; de Simoniae autem scelere vix verbum meminere:



quin edixere contrarium, dum testatum voluerunt, Sylvestrum III. acceptis à Gratiano Archidiacono pecuniis, omni jure suo ad Pontificatum cessisse,

Demustamen Hübnero, Sylvestrum hunc numerandum esse inter emptores, vel venditores sacrilegos; eundem verò fuisse Romanum Pontificem nunquam dabimus; cum nec electum noverimus, sed privata auctoritate, eaque civili, intrusum intellexerimus, nunquam palam acceptatum, sed publicè rejectum.

Verùm quid de Gratiano, seu Gregorio VI. sentiendum, de quo orbi pene universo pridem manifestum fuit, eum solutis tam Benedicto IX. quàm Sylvestro III. imò etiam Joanni cuidam, nomine tantùm Pontifici, pecuniis sacram, eamque supremam, dignitatem comparasse? Unam hinc manum Hübnero dabimus, non item alteram. Dederit Benedicto, dederit Sylvestro, & fortè etiam Joanni aurum Gratianus; datis verò pecuniis supremam sibi dignitatem minimè coemit, aut venditam voluit. Nota est equidem Juris regula: *de intentione non judicat Prator*; verùm & alia hinc occurrit non minùs in Jure fundata parcemia: *intentio judicat omnes*. In intentionem nempe suos ut conjiciant oculos oportet iudices, si externa indicia eandem palàm faciant, & non nisi ex intentione operis pravitas vel integritas discerni queat. In confesso autem est apud omnes Historicostam Veteres, quàm Recentiores, eos saltem, quibus auctoris nomen competere potest, Gregorium VI. Ecclesiae Romanae Archipresbyterum, in negotiis arduis iisque Ecclesiasticis, suà ætate verfatissimum etiam cum lacrymis sæpe indoluisse, Petri naviculam decumanis schismatum fluctibus perpetuò concuti, tres simul nomine tantùm Pontifices turpi ambitione dissidere, eosdem pecuniarum desiderio ardentius, quàm animarum zelò accendi. Expeditius igitur haud aderat medium liberandi tantò malò Romanum solium, quàm parata auri summa avaris sine mora projicienda, instar boli cerbero, ut auri sacra fames tandem sopiretur. Si dicta hæcenus non mereantur fidem, audiamus ipsius Gregorii verba tum à Platina, tum ab aliis Historiographis integrè annotata; & quamvis à C. Baronio pro indubitatis non acceptata, tamen etiam non rejecta. Morti igitur proximus Gregorius his allocutus verbis Cardinales fertur: *ut scire possitis, ubi mortuus fuero, rectè an perperam fecero, corpus meum ante fores Ecclesiae sistite vestibus obseratas; si Divino nutu aperiantur, censetote me dignum Christianum sepul-*

sepul-



*sepulturâ: sin secus, corpus meum unâ cum anima damnatum, quò volueritis, ejicitore.*

Præsentem hic legimus Gregorii VI, mentem, ex nonnullorum auctorum mente etiam miraculò, atque adeò coelesti testimonio confirmatam. Quòd si tamen obfirmatis opinione contraria animis necdum sit datum satis, hi vel perfunctoriè tantùm lustrent Historicorum partium affectu non corruptorum libros, qui non modò mentis, sed corporis aperient oculos iis verbis, quibus testantur, communibus omnium calculis eum electum esse Pontificem. Quæ omnia quàm consentanea sint veritati, eventus comprobavit, quo Gregorius omni juri suo haud cunctanter renuntiavit, nequaquam reluctatus Cæsari, dum Suidgerum Bambergæ Episcopum in Pontificis solium evexit. Atque renuntiatio hæc eò pluris semper facienda fuit, quòd ipsam ea mente conceptam fecerit, quâ priùs aurum Benedicto & Sylvestro æmulis solverat, ut nimirum Ecclesia noxiò schismate tandem liberaretur, & universis constaret de uno Supremo fidelium Capite.

Responsio IV. ad IV.

**H**ONORIFICUM sanè tentavit saltum Hübnerus, dum ex æquo se transtulit supra asinum. De Benedicto enim VIII, ut meminimus, retulit, eum nigricanti equo insidentem flagitasse sacrificia pro defunctis offerri solita: de Benedicto autem IX audet scribere, ipsum post fata sua asino superimpositum inclamasse sibi obvios; *oberro, quia sine lege & sine DEO ut bestia vixi.* Sistam hic mihi Hübnerum præsentissimum, & quæram ex ipso; vel credis Hübneri, hanc esse fabulam, vel existimas esse Historiam? si fabulam agnoscis, quid Historiam confundis, quæ fabularum est hostis juratissima? si Historiam existimas, vel Benedictus IX, per inferorum valvas egit suum asinum æternis cruciandus ignibus, vel piacularibus, dum ita equitabat, eximendum fuisse poenis, & nuuc exemptum facilè, non negas? hoc posterius utut verum foret, accideret durum tibi, qui cælum inter & orcum haud admittis locum tertium. Si verò prius placeat, id solùm diffiteri haud possumus, quòd nempe nec Summis in orbe Capitibus æquissimus Judicum DEUS parcat, si vitæ normam justis legibus conformem non teneant. Bene ponderanda, & altiùs in animum demittenda sunt verba, quæ Benedictum IX. posteris



reliquisse tam expedite asseris, oberro, quia sine lege & sine DEO, ut bestia vixi: haud quemquam enim Romanorum Pontificum, quam ullum alium mortalium terrere magis poterunt hæc lamenta, si altius penetrentur, & rite parato suscipiantur sinu. At magis terrerent merito Romanam Ecclesiam universam, si hic aut huic similis factus fuisset: oberro, quia sui Romanorum Pontifex; quia Anti-Christus; quia sui Caput errantis Ecclesie. Cæterum cum vitæ methodus prava, quam Benedictus IX. pessimis morum exemplis expressit, jure omnibus displiceat; qua ratione complacere tibi tantopere poteris in Luthero tuo & Lutheri æmulis, cum non minus, aut longè magis hi, quam Benedictus, deperierint & Bacchum, & Venerem, & Mammonam? multis sanè alinis opus fuerit hæc tenus, ut tot Lutheri æmulos secum ad stygem ferant. Cura & tu, Hübner, ut procul his equitibus invenias orbitam, etsi augustior fuerit, qualis nempe est, quæ ducit ad cælum.

### Responsio V. ad V.

**C**UR Gregorius VII. supra omnes Pontifices alios adeò vapulet ab Heterodoxis, vel potissima, vel certè inter potissimas causas fuit discordia eundem inter & Henricum IV. Cæsarem mota. Si igitur principem discordiæ causam ob animi oculos positam viderimus, simulque quod est Pontificis, Pontifici, & quod est Cæsaris, Cæsari tribuerimus, sua sponte reliqua omnia vel invitis patebunt oculis; detecta enim non rarò unâ fallaciâ, facillè suis veluti ex involucris prodeunt multæ, & totus rumpitur araneorum nidus.

Princeps discordiæ causa beneficia fuere Ecclesie, in Germania præsertim, ab Henrico non modò illegitimè collata, sed passim vendita, permutata, & omni contractuum generi subjecta. Monendus igitur tandem etiam à Summo Pontifice erat Cæsar, ut à malè coeptis desisteret. Dum verò monitis non obtemperabat, frænis vim fieri oportebat. Verùm dum, recalcitrantis instar equi, frænum ac jugum excussit, toto fidelium ovili lupo exigendus fuerat, non recipiendus, nisi in ovem mutatus. Hoc ex discordiæ capite velut ex Gorgone natæ sunt hydræ, hoc est, mala plurima Ecclesie & Imperio Romano extremè noxia. Quisquis itaque in bivio positus hæret, num Pontificis, an verò Cæsaris amplectatur viam, is veritatem, inter utrumque mediam, non ex privato cerebro; sed ex publico, eoque communi Historicorum testimonio depromptum, sequatur ducem. Pro Gregorio itaque contra Henricum scripserunt. Leo



Leo Ostiensis Episcopus & Cardinalis lib. 3, *Historiæ Cassinensis*, Scripsit  
circa annum 1080.

Marianus Scotus Author Fuldenfis celeberrimus, cujus hæc sunt verba :  
*Hæc & similia nefanda & inaudita Henrici Regis flagitia videntes & audientes  
fieri Catholici viri, per id temporis in Ecclesiâ constituti, cum Propheta Helia  
zelo Domini zelantes pro domo Israël, directis Romam nuntiis ad Alexandrum  
Gregorii VII. antecessorem, Apostolicæ Sedis Antistitem hæc ei & alia quàm  
plurima, quæ in regno Teutonico, insanientibus Simoniacis hæreticis, Rege  
Henrico auctore & patrono, dicta & gesta sunt, tam litteris, quàm viva voce  
gemendo ac dolendo conquesti sunt.*

circ. an. 1080.

Lambertus Schaffnaburgensis ita habet : *Hildebrandi constantia & invictus  
adversus avaritiam animus omnia excludebat argumenta humane fallaciæ.*  
circa an. 1080.

D. Anselmus Episcopus Cantuariensis Henricum IV. Imperatorem Nero-  
nis, Domitiani, & Diocletiani successorem vocavit. circa an. 1090.

D. Anselmus Episcopus Lucensis, pene coævus Gregorio, hæc reliquit :  
*ut ergo de D. Gregorio Patre nostro dicam, quod de Cornelio scripsit D. Cypria-  
nus : factus est Episcopus de DEI & Christi ejus judicio, de Clericorum pene  
omnium, & ut verius dicam, omnino omnium testimonio, de plebis, quæ tunc  
aderat, suffragio, de Sacerdotum antiquorum, & bonorum virorum collegio &c.*  
circa an. 1090.

Stephanus Episcopus Halberstatensis his verbis laudavit Gregorium : *audi  
vera, non fucata ; audi fortia, non faceta. Omnis qui dignitates spirituales  
divendit, hæreticus Simoniacus est : Dominus autem Henricus, quem Regem  
dicunt, Episcopatus & Abbatis vendit : etenim Constantensem, Bambergensem,  
Moguntinensem, & plures alios pro pecunia ; Ratisbonensem, Augustensem  
& Strasburgensem pro gladio ; Abbatiam Fuldensem pro adulterio ; Mo-  
nasteriensem verò Episcopatum, quod dicere & audire nefas est, pro  
Sodomitica immunditia vendidit. Quæ si impudenter negare vo-  
lueris, teste terra, omnes etiam à furno redeuntes scioli concludent  
hoc : Dominus Henricus hæreticus est. Pro quibus nefandis malis  
ab Apostolica Sede excommunicatus est, nec potestatem aliquam  
super*



- Super nos, quia Catholici sumus, poterit exercere.* Hæc Stephanus, circ. an. 1090.  
 Scripserunt etiam sequentes.
- Bernardus Corbejenfis in Apologia pro Gregorio VII. teste Trithemio in Catalogo Scriptorum.
- Guilmundus Episcopus lib. 1. & 3. de Sacramento Eucharistiæ.
- Paulus Bernrietensis & Gerochus Reicherspergensis, quem utrumque pro Gregorio scripsisse, & exilium propterea perpeffum fuisse, testatur Joan. Aventinus lib. 5. annalium Bojorum.
- Chronicum suum edidit Sigebertus Gemblacensis Gallus, qui etsi Henrico Imperatori faveret, atque adeò Gregorii partes oppugnaret: non tamen ausus fuit arguere Gregorium ullius criminis eorum, quæ Centuriatores ex Bennone qualicumque Scriptore referunt. Porro idem Sigebertus testatur, pro Gregorio calamum strinxisse Anselmum Lucensem, cujus Anselmi virtutem à DEO signis & prodigiis demonstratam fuisse confitetur. Scripsit circ. an. 1100.
- Otto Episcopus Frisingensis natus in Austria Marchio, Leopoldi IV. filius, Conradi III. Imperatoris frater, lib. 6. Histor. circ. an. 1140.
- Guilielmus Tyri Archiepiscopus lib. 1. de bello sacro. circ. an. 1180.
- Godefridus Viterbiensis Conradi III. & Friderici I. Imperatorum Notarius in Pantheo suo part. 17. circ. an. 1180.
- Conradus Abbas Urspergensis, qui etsi Gregorium apertè adeò non laudet, nullo tamen modo reprehendit. circ. an. 1200.
- Dodechinus Abbas Mariani Continuator in additione sua ad Marianum apertè laudat Gregorium, Henricum verò vituperat. circ. an. 1200.
- Vincentius Bellovacensis ex ordine D. Dominici miraculis & donò Prophetiæ Gregorium VII. claruisse testatur. circ. an. 1250.
- D. Thomas Aquinas *cum honore*, ut ait C. Bellarminus, citat Gregorium VII. 2. 2. quæst. 12. art. 2. mortuus est mense Julio. 1274.
- Martinus Polonus Archiepiscopus & Pœnitentiarius Pontificius, quem cum sæpius citent Magdeburgenses, hoc etiam loco non est omittendus, cum contra hæreticos scripserit pro Gregorio. circ. an. 1300.
- Joannes Vilanus lib. 4. Histor. Florentinæ cap. 21. circ. an. 1300.
- Blondus Pontificius Secretarius Decad. 2. c. 3. circ. an. 1400.
- Matthæus Palmerius in Chronico, quod edidit circ. an. 1400.



Thomas Waldensis Anglus Confessarius regius in Anglia, Wicleffitarum & Hussitarum hostis acerrimus tom. 2. cap. 43. circ. an. 1410.

D. Antonius Florentiæ Archi-Episcopus, 2. summæ Historialis tit. 16, cap. 1. §. 21. 1459.

Æneas Sylvius primum à Secretis Imperatori Friderico III. dein Episcopus Senensis & Cardinalis, ac denique Summus Pontifex Pius II, dicitur in compendio Blondi. 1450.

Joan. Bapt. Platina Bibliothecarius Pontificius, circ. an. 1470.

Joannes Trithemius Abbas Spanhemii, dein verò Herbipoli, in Chronico circ. an. 1500.

Joannes Nauclerus Stutgardiæ J. Can. Professor & in Academia Rector primus, in Chronico Generatione 37. circ. an. 1500.

Albertus Kranzius, lib. 5. Metropolis. circ. an. 1500.

Maphæus Volaterranus Florentinus Historicus lib. 22, Anathropologiæ. circ. an. 1500.

En! triginta auctores, omnes quovis Luthero aut Calvino vetustiores, quorum verba tum in cit. locis, tum apud C. Bellarminum lib. 4. cap. 13 de Rom. Pont. invenies, quibus verbis eorum auctorum multi Gregorium VII, summis sanè laudibus ad coelos usque extollunt, Henricum verò IV, extremis vituperiis & vitiorum velut cumulis obrutum, inter Cæsares Christianos loco ultimò ponunt, Productis itaque pro Gregorio tot testibus, considerandum nunc est, quinam prodeant contra Gregorium pro Henrico dicturi testimonium. Quotquot prodierint, calamus paratissimus est scribere, omissurus haud quemquam nec Recentiorum nec Antiquorum.

Ex Recentioribus sunt ferè omnes præsertim hujus temporis in Germania Scriptorum non Catholicorum, qui Pontificum gesta vel à longè & obiter tantum oculis perstrinxerunt: inter eosdem non vulgare sibi nomen arrogarunt Theodorus Bibliander, Tilemannus, Centuriatores Magdeburgici, & novissimè Hübnerus cum aliis coævis.

Verum inquires hic, Lector Benevole: cum Recentissimi hi sint, quot aut quales, amabo, attulerunt pro se ex antiquioribus? fallunt enim & falluntur novi Historici, dum ex longinquo petunt Historias, nullis tamen sat idoneis argumentis munitas.



Responsum in promptu est, quod probè observârunt etiam vel ipsimet Centuriatores Magdeburgici, unde ut veterum auctorum canitie veneranda haud destituerentur, in suarum partium testem adduxerunt, aut potiùs confinxerunt inter authores, ut ajunt ipsi, heroem ætate, doctrinâ, probitate, sacrâ purpurâ maximè conspicuum, Bennonem Cardinalem in Germania natum, coævum Gregorii VII. & Henrici IV. Obstupescere authorem vetustum omni exceptione majorem, in quo Recentiores Historici A catholici inexpugnabile propugnaculum pro se extructum invenerunt, aut ipsi veriùs extruxerunt, supra arenam & sabulum posituri fundamentum!

Verùm nos omissis modò auctoribus cunctis aliis, uni duos Cardinales opponemus, temporis quidem diuturnitate longè posteriores; fide tamen, experienciâ, doctrinâ, probitate vitæ, & auctoritate quavis certè non inferiores, CC. Baronium nempe & Bellarminum, quorum hic ita de Bennonis libro, in quo Gregorii VII. gesta ficticia circumferuntur, differit; *Ego autem hujus Bennonis librum legens & impudentissimorum mendaciorum plenissimum inveniens, alterum è duobus mihi persuasit; aut reverà nihil tale eo tempore scripsisse Bennonem, sed aliquem Lutheranum hujus libri esse auctorem, qui eum sub Bennonis titulo ediderit; aut certè Bennonem illum non tam scripsisse vitam Gregorii VII. quàm sub nomine Gregorii VII. voluisse depingere ideam pessimi Pontificis ad eum modum, quo Xenophon scripsit vitam Cyri Regis Persarum, qui non tam narravit, quid Cyrus egerit, quàm quid agere debeat Princeps optimus.*

Quæ autem C. Benno in libro dicto contra Gregorium VII. vel scripsit, vel scripsisse fingitur, ad quatuor capita auctor ipse reduxit; ait nempe

- I. Gregorium per vim militarem, quam datis pecuniis ipse coegerat & corruerat, invasisse Pontificatum nullo Cardinalium annuente, sine ullo etiam Clericorum ac populi consensu.
- II. Henricum IV. insontem à Gregorio anathemate percussum.
- III. Gregorium hæreticum Berengarium fuisse, cum non crediderit, sub speciebus panis aut vini adesse verum Christi Corpus.
- VI. Gregorium fuisse virum deterrimum, Simoniacum, magum, adulterum, homicidam, denique omnibus sceleribus coopertum.

Hæc



Hæc verò scelerum sanè maximorum quatuor aut plurima capita C. Bellarminus, adductis in contrarium auctoribus triginta numero, auctoritate, uno alteròque excepto, maximis ita confutavit, ut, præoccupatis etiam opinione contraria, vel lectoribus vel auditoribus firmissimam meritò fidem persuadeat, imò confessionem extorqueat, etsi voce fortassis retardatam; rubore tamen prodendam, si tamen rubori locus supersit in facie pertinaciæ.

Ut autem liberales simus, imò & profusi in adversarios nostros, dabimus tantisper Magdeburgicis & horum sociis, C. Bennonem verè extitisse ejusce libri auctorem, in quo Hildebrandus potius *Hellebrandus*, & ut loquitur C. Bellarminus, *inferni titione* est denigratus magis; an idèò penes Hübnerum aut Magdeburgicos stabit veritas aut Victoria? minimè gentium; an non enim æquiori jure Hellebrandum fuisse dicemus Henricum Cæsarem, aut Bennonem Pseudo-Cardinalem; cum utrumque gravissimorum scelerum arguant Historici plurimi iique Germani, unico Bennone toto vertice superiores? Henricum siquidem IV. talem fuisse, qualem finxit Benno Gregorium, affirmant, uno Bennone excepto, pene tot, quot de Henrico IV. scripserunt authores veteres. Bennonem verò fuisse assentatorem Henrici Cæsaris, itèmq; Clementis dicti III. Pseudo-Pontificis; utpote à quo creatus fuerat Pseudo-Cardinalis, apparet etiam ex libro Onuphrii de Summis Pontificibus. Hallucinatam proinde turpiter fuisse Bibliandrum, asseverat C. Bellarminus, eo quòd sine fronte dixerit, Bennonem à Gregorio VII. in numerum Purpuratorum Patrum fuisse assumptum.

Verùm si & hoc ultimum haud inficiaremur, vice altera in hostes liberalissimi, an unus Benno sibi fidem à nobis impetrabit, quàm tot tantisque authorum numerus? Respiciamus paulisper Cardinalium gesta, scrutemur Episcoporum mores & tempora; ane omnes aut Cardinalium aut Episcoporum in Summos Pontifices, suos, ut dicere consuevimus, creatores, extiterunt creaturæ haud ingratae? haud refractariae? haud ambitiosae? haud schismaticae? haud proditoriae? non opus erit mentis aciem retorquere ad antiquiora Secula, loquuntur satis propinquissima nobis tempora, quibus ab Innocentio XI. & XII. atque Alexandro VIII. Cardinalium creati nonnulli plus vel ipsis Pontificum hostibus, quàm Pontifici tribuerunt; nisi tamen fama per Germaniam aliàque Europæ regna ac pro-



viaciam pervagata nimium creverit eundo. Miris quippe modis ambitio-  
forum oculos rapiunt coronæ regiae & Episcopales mitræ, quas per sum-  
mum nefas consequi honori sæpe ducitur, & dicitur gloriosa victoria.

Fingamustandem etiam in nostrum commodum & favorem nostrum  
sed parvi momenti quidpiam; fingamus C. Bennonem totum pro Grego-  
rio VII. unâ cum aliis Scriptoribus stetit, ita tamen, ut vel infimus ex  
productus in medium triginta superius Auctoribus, pro Henrico scripserit  
contra Gregorium; an putas magni fecissent C. Bennonis auctoritatem  
e. g. Magdeburgici in laudando Gregorio aut vituperando Henrico? non-  
ne neglecta potius Bennonis auctoritate illum unum licet infimum extu-  
lissent auctorem, quem modò unâ cum viginti novem aliis uni Bennoni  
longissimè posthabent? adeò partium suarum studiis in transversum acti  
sunt Pontificum Romanorum hostes, ut eos tantummodò libros maximi  
faciant, in quibus vel unicus ipsis haud contradicit paragraphus.

Satis multa hucusque dicta sunt, quæ nimirum limato iudicio abundè  
possent sufficere, ut quam negaret, nunc daret manum. Quotam verò  
duplex potissimum fuit causa, cur Gregorius VII. à Bennone & Magde-  
burgicis &c. ad inferni rogam sit condemnatus, hinc utraque causa pluri-  
bus est examinanda, & ex majorum monumentis eruenda sunt argumen-  
ta, ut *ab inferis* revocetur Hildebrandus, Lutheranis &c. *Hellebrandus*.

Primum igitur caput damnationis est; *Gregorius Matrimonium rejecit, et si fuerit Mathildis concubinut.*

Secundum: *fuit tyrannus in Imperatorem Henricum IV.*

### Responsio I. ad I.

**P**RODIT aves suamet cantilena, & suos serpentes sibilus. Inter olores  
quondam censeripotant & Lutherus & Calvinus, dum prior in Sa-  
xonia Wittenbergæ, alter in Gallia Novioduni inter sibi concolores  
eòsque in choro candidos Religiosos, aut cantores Canonicos pensum  
Davidicum alternis vocibus persolvere didicerunt. Verùm dum colorem  
mutarunt, illudque Poëtis usitatissimum in hominum auribus insonuit;  
*tam subito corvus, qui modo cygnus erat*: tum verò corvi gemini crocitare  
coeperunt, quibus continuò respondit colore & voce sua utrique non alba  
gallina cum pullis nigerrimis. Hic novarum avium cantus etsi suâ naturâ  
auribus castis peringratus, plurimorum tamen aures ita rapuit & rapit ho-  
die, ut vox nulla horum offendat auditum magis, quàm quæ canit *casti amo-*



*is hymen eos.* Verùm rumpantur moræ, rem ipsam aggrediamur. Objicis  
 Hübnerem & tecum tibi similes: Hildebrandus rejecit Matrimonium. Ve-  
 rùm ego te nunc quæstioni subjicio: an rejecit Hildebrandus quodvis,  
 vel de Matrimoniis unum tibi determinatum? prius si teneas, qua ratione  
 Hildebrandus tam sedulò attendit, ut etiam Sponsis Regum aut Principum  
 sanguine natis, non nisi Dispensationis beneficiò, ducere illo ex tem-  
 pore, ut tu ais, licuerit sponfas quarto, tertio, aut secundo cognationis gra-  
 du conjunctas? en duo fateris, dum Hildebrandum ob restricta Dispen-  
 sationis jura infimulas. Confiteris nempe, Gregorium ita sanxisse legibus,  
 ut vel Titio affinem Cajam, vel Cajo consanguineam ducere fas sit Ber-  
 tham: si tamen Pontifex legem, quam tulit, auditis precibus relaxarit.  
 Confiteris iterum, dum affirmasti illud primum, Gregorium nequaquam  
 prohibuisse Matrimonii foedera ab illis necianda, inter quos nullum inter-  
 cessit aut affinitatis, aut consanguinitatis impedimentum: dum enim hocce  
 impedimento ligatis Dispensationis beneficiò jus tribuitur contrahendi  
 matrimonii, haud ullus alius sim li est opus beneficio. Itaque jam multa, imò  
 plurima non rejecit Hildebrandus conjugia; cùm illis omnibus ætate  
 provectis par sit nubere, quibus nec est ratio habenda sanguinis, nec affini-  
 tatis. Verùm iratus Pontifici obgannis mihi: Clericis severissimè indixit  
*Hildebrandus Matrimonii vinculo!* Equidem hoc fatemur omnes, & ob  
 hoc laudes Gregorio dicimus æquissimas. Verùm necdum tu tuis te ex-  
 pedivisti hic laqueis, in quos ipse te instar errantis feræ coniecisti. Toto  
 nempe coelo diversa sunt duo hæc: *Gregorius rejecit Matrimonium;* &  
*Gregorius prohibuit Clericis conjugium.* Prius offendit aures omnium, poste-  
 rius procul offensas mittit. Hoc laude dignissimum, illud summè vitupe-  
 randum. Matrimonium etsi legitimum condemnare, Saturninis & Sabel-  
 lianis &c. hæreticis quondam erat proprium; Clericos verò à Matrimonii  
 laqueis procul arcere per septendecim Secula Romanis fuit sacratissimum.  
 Atque hoc ne dicatur audaciùs, quàm probetur veriùs, reflecte tantisper  
 oculos tuos ad continuatam hætenus à nobis Pontificum Romanorum Se-  
 riem, in qua deprehendes, singulis Seculis extitisse Romanos Antistites,  
 qui paria Gregorii VII. legibus edidèrè præcepta, vel jam edita supposue-  
 runt, vel renovârunt; quin tamen ullum à Matrimonii vinculo absterrue-  
 rint, nisi quis nuncupatò castimonix votò seipsum ligare priùs in animum  
 suum spontè induxerit. In eorum Pontificum Serie sit



- I. D. Pius annò 167. mortuus, qui coetus Virginum integros servari & custodire præcepit.
- II. D. Soter annò 179. mort. ne Deo sacratæ Virgines immiscerent se Ecclesiæ negotiis, & ne sacra vasa manu contingerent.
- III. D. Lucius annò 257. mort. in domibus Clericorum omnem sexum foemineum procul abesse curavit, vix matri aut forori stabilem concedens locum.
- IV. Siricius annò 398. mort. damnavit Jovinianum cum affectis, quibus præ Virginitate Matrimonium extollere adeò placuit, ut Deiparam post Christum natum permanfisse Virginem pertinaciter negarint. Vide Reflexiones Seculi IV.
- V. D. Anastasius an. 402. mort. corruptos Clericorum mores iteratis legibus emendavit, probè memor continentiæ voti Ecclesiæ Ministris jam Apostolorum tempore præscripti.
- VI. D. Zosimus an. 418. mort. mores Clericorum ita compositos esse desideravit, ut non modò à sequiori sexu remotos longè abesse jufferit Clericos; sed prohibuerit etiam, ne popinas faciliè ingrederentur ipsi hospites, nec vinum venale aliis porrigerent, memores potiùs animarum curandarum, quàm corporum.
- VII. D. Sixtus III. an. 440. mort. Virginitatis amator & castigatior in se & aliis perpetuus, sua sponte 57. Episcoporum judicio & sententiæ se subjiciens, inventus est Pontifex Virgineus; unde & Clericos omnes sibi haud dissimiles exemplò & præceptò exoptavit.
- VIII. D. Leo I. an. 461. mort. multos Episcoporum, statui & mueri suo non satis attentos, ab officio removit.
- IX. D. Hilarius an. 467. Clericorum mores datis epistolis castigavit, ubi eos quoque è numero Sacerdotum excludi præcepit, qui quondam uxorem viduam duxissent.
- X. D. Hormisda an. 523. mort. pater D. Sylverii electus est Pontifex, postquam conjuge mortua in Sacerdotum venit numerum. Vide Reflexiones Seculi VI.
- XI. D. Gregorius M. an. 604. mort. haud ullis infestus magis fuerat Clericis, quam iis, quos intellexit esse addictos Veneri.
- XII. Gregorius II. an. 731. mort. D. Bonifacium misit in Germaniam, ut præ omnibus alijs mores Clericorum, matrimonium ad speciem celebrantium, corrigeret.
- XIII. Ste.



XIII. Stephanus IV. an. 772. mort. cum Copronymus Orientis Imperator in eos desævissset maximè, quibus calibatus ratione statùs, aut aliàs placuisset præ matrimonio, passim monasteria extruxit & Cælibatum novis præceptis roboravit.

XIV. D. Leo IX. an. 1054. Germanus, omni exceptione major Pontifex, summò studiò allaboravit, ut Sacerdotes ab omni carnis commercio in regnis ac regionibus omnibus, præsertim verò in Germania, procul arcerentur.

Ecce tibi Pontifices per prima Secula sat multos Gregorii VII. Antecessores, qui sexum inter utrumque castimoniam votum custodiri, Clericatum integerrimum conservari, & Cælibatum Matrimonio præferri non tantum suaserunt, sed præceperunt, nixi fundamentis ab ipsorum Apostolorum Collegio castissimo, imò & à Veteri testamento relicti: nec oblivisci potuerunt verborum D. Pauli 1. Cor. qua in epistola toto cap. 7. legi possunt præter alia plurima, hæc verba notatu dignissima; *igitur & qui Matrimonio jungit Virginem suam, bene facit, & qui non jungit, melius facit &c.* Horum itaque Pontificum & multorum aliorum, quorum præcepta & leges brevitate causâ omisi, vel tibi patent Hübnerè, aut potius te latent? si patent, tunc peccasti in Historicorum leges iterum gravissimè, cum horum sit scapham scaphiam dicere, compertam nempe veritatem ob oculos ponere, cuique jus suum tribuere, proborum virtutes recensere, nec improborum vitia parcere. Si verò reponas, quòd Pontificum facta te lateant, tunc enim vero ex Historicorum catalogo tuum ipse expungis nomen; cum eorum facinora præsumpseris scribere, quorum nec virtutes nec vitia primis, ut ajunt, delibasti labiis. Perlege igitur Historicos tam Veteres, quam Recentiores, qui de gestis Pontificum ediderunt libros, pondera simul & ad æquitatis trutinam revoca omnium merita; intuere auctoritatem nunc singulorum, nunc universorum; procul absint partium studia & affectus sinistri; hæc si præstiteris, tum primùm stringe calamum, ut in lucem prodeat vera sinceraq; Historia. Non inficiaberis hìc etiam, dum Gregorium VII. in simulasti, à te Pontifices primorum Seculorum fuisse multum reprehensos; quos tamen nec ipse Lutherus aut Calvinus, nec horum sectatores passim multi ullius criminis accusarunt, sed *Viros Sanctos* nuncuparunt. Quin tu ipse dum non vituperasti, plurimum laudasti, cum vituperii



tuperii materiam sedulò in ipsis inquisiveris, haud tamen inveneris Fingamus tamen & nunc iterum, ab Hildebrando primùm Clericis interdicta fuisse conjugia, qua ratione verò illud nunc evinces, eundem nempe procum aut concubinum Mathildis sacrilegum fuisse, velut asseris apertissimè in 1. & 2. parte Historiæ tuæ, tum aliis in locis pluribus? Si nòsti illud Jurisperitorum adagium notissimum *nemo presumitur, sed probatur malus*; quibus, amabo, probas argumentis, Hildebrandum Veneri tantopere indulgisse, ut etiam peccandi consuetudinem contraxerit? percurramus perfunctoriè tantùm Gregorii tempora, haud grave vitium in ulla ejusdem ætate vel ipse oculatus Argus deprehendet; ipse enim non ibis inficias, Hildebrandum fabri lignarii filium talem ac tantum fuisse parvulum, ut cum luderet inter coæquales, digito Dei potius quàm Hildebrandi manibus decisa à patre segmina, fuisse ordinata ea serie, in qua illa Psalmi 71. v. 8. verba spectatoribus intueri licuit; *dominabitur à mari usque ad mare* &c. obstupesce in tantillo parvulo omen clarissimum! Adolescens dein primis litterarum elementis imbutus, & inde juvenis præ quibusvis æmulis doctrinâ ac virtutibus solidissimis instructus in Montem Cassinum se contulit, virile robur ac augmentum additurus utrisque; quod tanto suo fructui præstitit, ut eo in loco celeberrimo inter virtutum heroes eminuerit maximè, & Romam ipsam suarum virtutum famâ impleverit. Certe Gregorius VI. Pontifex futurum Gregorium VII. sibi viæ comitem ac laborum socium junxit, dum Româ abiit in Germaniam atque Galliam. E Gallia verò redux Hildebrandus Cluniacense petiit monasterium, solitudinem præhabens theatro gloriæ. Verùm Leo IX. Pontifex, per specus tanti viri dotibus, cum continuo velut ex tenebris prodire jussit in publicum; cui proin & successoribus ejus compluribus, in rebus quibusvis arduis adeo satisfecit, ut adiutorem Hildebrando magis idoneum nunquam sibi exoptaverint. Quadraginta itaque annis, teste Micrologo Pontificum ministerio summa cum laude transactus tandem ipse còmmuni omnium voce fuit exoptatus Pontifex, annis gravissimus & meritis. Est hæc synopsis, quam de Hildebrando nondum Pontifice nobis reliquere omnes melioris notæ Historici. Et tantum tu virum, Hübnerè! non cunctaris inter Veneris mancipia numerare? produc igitur in medium tua tandem instrumenta, propone argumenta, quibus Hildebrandus convictus aeternum plectatur reus. Respondebis fortè, Hildebrandum fuisse Mathildis



novæ Dalilæ procum, testantur mecum Magdeburgici & centum fortassis alii, Fac sanè ita respondeas mihi, verùm mox insto tibi, & urgeo; quis tantum animi fecit Magdeburgicis, & centum aliis tibi simillimis? repones: fuit C. Benno, fuit Sigebertus, Adde, amabo, etiam Guilielmum Episcopum Trajectensem: hic enim vero tibi quadrabit testis: de isto enim Lambertus Hildebrando coævus scripsit in hunc modum: *repentè, inquit, gravissima aegritudine correptus, miserabili ejulatu coram omnibus vociferabatur, justo DEI judicio se & presentem vitam amisisse, & eternam; quòd Regi ad omnia, quæ perperam intendisset, operã suam summo annisu præbuisset, atque in spem gratiæ ejus, Romano Pontifici Sanctissimo & Apostolicarum virtutum viro Hildebrando graves contumelias sciens & prudens innocenti irrogasset.*

Jam verò Sigebertus etsi Henrici Cæsaris fuerit fautor eximius, contra Hildebrandum tamen aliud non fuit ausus scribere, quàm quòd zelum inconsideratum admiserit, & errorem quendam commiserit circa Sacramenti ministros. Hicidem Sigebertus addidit hæc verba notatu dignissima: *pro Hildebrando tamen scripsit Anselmus Lucensis Episcopus, cujus Anselmi sanctitatem signis DEUS abundè demonstravit.* Hem! quàm remotus à te & tuis Centuriatoribus est Sigebertus! Unus itaque tibi reliquus est C. Benno, qui Gregorium vocavit *adulterum*. Verumenimvero, quis aut qualis fuerit Benno, quot item testes omni exceptione majores testimonium dixerint contra Bennonem illum qualemcunque, non potes hoc loco non meminisse. Unicum jam fortasse restat tibi, quod obtrudis mihi, dum inquis: Hildebrandus commoratur cum Mathilde & hujus gynæceo, tum in arce Canusia, tum alibi sæpiùs egit cum eadem familiariter, usus est ejusdem amicitia cunctis perquam notâ.

Hic tandem, ut adverto, est Achilles tuus supremus & ultimus, quo expugnari vel ipsam Ecclesiæ petram posse vanè imaginari tibi. Hildebrandus commoratus cum Mathilde, & hujus gynæceo, tum in arce Canusia, tum alibi sæpiùs egit cum eadem familiariter, usus est ejusdem amicitia cunctis perquam notâ: igitur Hildebrandus turpiter amavit Mathildem, de qua ausus est dicere tom. 3. in Mutinensi Historia fol. 484. quòd *tamei si se Marti totam consecravit, Veneri tamen etiam suum non negavit; usam enim fuisse tanta Hildebrandi familiaritate, ut absque prodigio Papa parvulus mundo ex ipsis nasci potuerit.*



Perparùm profectò te versatum esse in Logica atque Jurisprudencia, prodis palàm; nec enim ex Dialecticâ, nec Jurisprudenciâ, nec scientiâ alterius regulis rem probas malam, quam accusator, aut potius calumniator opponis Pontifici. Fuerunt nempe eadem in arce Canusia viri tum Ecclesiastici, tum seculares permulti, Hildebrandi comites, commorati sunt plurimi cum Mathilde sapius & ejusdem gynæceo: ergo juxta tuam Dialecticam, vel juxta tuam Jurisprudenciam, vel qualemcunque tuam scientiam & prudentiam oportet adulteros fuisse vel omnes, vel neminem. A te autem accusatur nullus alius præter Hildebrandum, solus Hildebrandus est reus; pro cuius tamen integritate perorant tot authores, tot argumenta, tot optimæ notæ præsumptiones, ut etsi omnes alii vel in arce Canusia, vel sedibus aliis fuissent polluti adulteriis; Hildebrandum tamen absolvent & Dialectica, & Jurisprudencia, & ante has cœlestis sapientia. Certissimum namque habet etiam hodie totus Christiadum orbis, Gregorium VII. more Antecessorum suorum interdixisse Clericis non modò omnis libidinis, sed etiam Matrimonii usum; in transgressores verò legis suæ animadvertisse severiùs forsàn, quàm fecerunt per priora duo Secula Pontifices: constat quippe abundantissimè, ob hocce vitii genus depositos fuisse non Sacerdotes modò, ut vocant simplices, sed etiam Episcopos non paucos. Planissimum est insuper, irrogatas has pœnas exceptas fuisse ab inimicis Gregorii plurimis animò iniquissimò; si itaque Gregorius aliud verbis, aliud factis; aliud exemplis, aliud præceptis egisset; si ipse adulter sacrilegus à Matrimonii thoro quosvis Clericos severis legibus & pœnis severioribus inhibuisset; si ætatem senilem (tali enim ætate cum Mathilde commoratus fuit) tam fædo, eoque sapius repetito scelere commaculasset, interea tamen Clericos juvenes ob minora scelera tam severis pœnis emendari jussisset; nonne corruptissimi illo tempore, ut ipse ais non rarò, in Germania maximè Clerici, facilè vim omnem novæ legis elusissent, pessimò Pontificis exemplò animati? nonne Historicorum libri passim plurimi frequentem eamque apertam mentionem facerent, veluti nunc faciunt mentionem apertissimam de inconstantia D. Marcellini; de æmulatione D. Felicis & Liberii; de levitate & timore Joannis VIII. de furore Stephani VII. de libidine Sergii III. Joannis XI, &c.

Et



Et qua tu fronte sustines tantorum scelerum incusare Mathildem principiloco natam foeminam? quæ, ut ipse fateris, totam se Marti consecravit? quæ Sedem Pontificiam per annos facile triginta virili constantia contra quosvis insultus hostium defendit? quæ quoties cum Henrico Cæsare pugnavit, semper vicit, nunquam victa occubuit? quæ ad annum ætatis suæ septuagesimum octavum, Christi verò millesimum centesimum decimum quintum dies vitæ perduxit, & per tot lustra amicitiaæ fœdus cum Coronatis Capitibus variis & Viris Principibus junxit, atque horum familiaritate gavisa fuit? Quæro itaque, vel cum his omnibus, seu horum plerisque, Venerem amavit, vel primùm amare coepit cum senescente Hildebrando? si prius asseras, tunc assertum tenes, cujus nunquam meminere Historici: arguis adhæc adulterii reos quosvis Reges, & Viros Principes, atque omnes alios, quibuscum amicitiam coluit Mathildis. Si verò posterius defendas, tunc temetipsum exarmas penitus, & tuïs te privas argumentis, suâ jam naturâ infirmis & absurdissimis. nec enim ullius tibi amplius momenti esse poterit vel commoratio, vel amicitia, vel familiaritas habita Hildebrandum inter & Mathildem, quæ dum Martem perpetuò coluit, Veneris haud memor fuit: Mars enim quamdiu Martis nomine dignus erat, relicta Venere amavit Palladem constanter castam. Id ipsos Romanorum Veterum duces Pompejos, Scipiones, Marios, Fabios, Cæsares & alios haud latuit; hinc ut perpetuos vincerent hostes perpetuò, haud mollibus, sed duris rebus tractandis assueti inter calores & æstus, inter nives & frigora sepultam Venerem glorioso pede calcârunt. Horum exempla si sequi longiùs placuisset Antonio, habuisset, quem timeret maximè æmulum Julius Cæsar; verùm dum ille Cleopatraræ manus dedit, palmas victori Cæsari concessit Venere, non Marte victus. Nec facile mihi persuaserim, ad tantam ætatem perventuram fuisse Mathildem, nisi castè vivere didicisset; libidinosus enim amor, aut veriùs furor, dum blanditur maximè, vitæ parcit minimè; plurimos rapiens in ætatis flore, plurimos alios supra ætatem virilem non provehens. Gravibus item negotiis haud pares esse finit, vix ullo discrimine habito amantes inter & amantes. Tandem qua ratione in animum inducestuum, posse in Principis foeminaæ sinu diu latere ignem vetitum, quæ per annos plurimos ad ultimum nempe spiritum usque Romanam Ecclesiam, hoc est, omnium Ecclesiarum Matrem purissimam ita adamavit, ut eam ex asse hæredem amplissimorum bonorum



suorum scripserit? facile enim obliviscuntur Ecclesiae Matris illi, quibus prae Ecclesia filii Veneris placent. Atque haec aliaque non levis momenti argumenta etsi nec tibi, nec tuis satisfaciant; tanta tamen sunt, praecipue si jungantur cum prioribus, ut homines ratione praeditos haud difficileter convincant. Hos inter ut & tu numereris, Hübner, finge hic tibi, Mathildem vivos inter egisse, dum contra Saxoniae Electorem Mauritium pugnavit Carolus V. Imperator. Imaginare etiam tibi, Mathildem totam stetit pro Mauritio & Protestantibus contra Carolum & contra Pontifices. Nonne si fices se haberet, vocares Mathildem Palladem alteram, Juditham fortissimam, Deborah invictissimam? profecto prae Elisabetha quondam Angliae Regina placeret tibi Mathildis. Placet procul dubio ante illam Historicis antiquissimis, quibus cum tu fidem haud adhibeas, vide qua tu sis dignus fide, aut potius quo *fundamento* tua nitatur fides.

### Responsio II. ad II.

**V**ENTILANDUM nunc superest, utrum Gregorius VII. egerit tyrannum in Henricum IV. Caesarem: *dum nudipedem, tempore hyemis per tres continuos dies supplicem ac penitentem in conspectum tandem admisit, & anathematis poenâ solutum Ecclesiae restituit.*

Audiveris nî fallor saepe ex Jurisperitis, in quaestione facti cum pluribus loquendum ac sentiendum esse. Patentissimum tibi autem nunc est, paucos admodum extitisse authores, qui Gregorium VII. multos verò qui Henricum IV. dixere tyrannum. Hos si nescias, fac velis recolas authores paulò superiùs citatos. Haud oberit etiam ex iisdem authoribus speciem facti, ut vocant, paucis repetere. Involavit passim ac invasit Ecclesiae jura Henricus juvenis, instar Roboami à Consiliariis suis seductus. Iteratis monitis instabat Gregorius Pontifex, ut sacris profana miscere desineret, Simoniae labem vitare, Ecclesiae obedire, more priorum Caesarum Imperii clavum tenere disceret; secus fore, ut, spreta Pontificis monita, sequeretur poenarum Ecclesiasticarum rigor. Monitis haud emendatus, sed intentatis minis exasperatus magis Caesar, scelera auxit sceleribus; Ecclesiae proinde fulmen in se potius provocavit, quam improvisum excepit. Plerisque igitur Imperii Statibus sese exosissimum reddens, eam brevi ab iisdem latam audivit sententiam, ut nisi intra unius anni spatium in gratiam cum Pontifice rediisset, Jure ac Majestate Caesaris penitus excideret. Aut seriam poeniten-



poenitentiam agere, aut suprema dignitate excidere, ardua nimis erat res Cæsari: placuit idcirco inter utramque via media: ut nempe concederetur diutius imperare, didicit poenitentiam simulare: Italiam enim petiit, sed cum armato exercitu, quo terruit adeo Pontificem, ut securitatis portum quaesiturus, in arcem Canusiam triplici muro ac vallo circumcinctam se receperit, Eam ob rem, relicto à tergo copiis, Henricus poenitentis habitum indutus, tribus diebus ante fores arcis Canusiae comparuisse scribitur, quod nec prima, nec secunda, sed primum die tertia in conspectum Pontificis fuerit admittus, & anathemate solutus. An verò Gregorius tanto tempore sui copiam negaverit ea mente, ut insidias, quas struere Pontifici ferebatur Henricus, evitaret; an verò ut poenitentiae rigorem in Ecclesia Veteri usitatum observaret etiam Imperator poenitens, incertum est inter authores. Transmittamus autem, omnem abfuisse doli & insidiarum suspicionem; transmittamus, Henricum Imperatorem triduo haud interrupto (quod haud pauci inficiantur) supplicasse Pontifici, ut in fidelium reciperetur coetum; transmittamus non simulatam, sed seriam extitisse Cæsaris poenitentiam; transmittantur isthæc omnia, nolim ego tamen ob rigorem hunc continuo exclamare: *Gregorius VII. in Henricum Cæsarem fuit tyrannus!* Tu verò si ita vociferari, & Gregorium tyrannum inclamare pergas, oportebit te simul asseverare, tyrannos fuisse Samuelem Vatem in Regem Saulum, Eliam in Achabum & Jezabelem, Jeremiam in Reges Juda, D. Ambrosium in M. Theodosium, in Eudoxiam D. Chrysostomum: horum namque & aliorum exempla ut imitaretur Hildebrandus, suaserunt scelera Henrici, illorum sceleribus paria, aut fortè majora. Malim ego itaque multorum testimonia omnem exceptionem superantia intueri; malim ego cum multis pronuntiare, Henricum fuisse per annos 30. non modò in Gregorium VII. sed etiam tres Successores Pontifices tyrannum. Testis est ipsiusmet Henrici non seria, sed simulata poenitentia, qualem fuisse prodidit ipse in Germaniam redux: Electores enim Imperii, eadem Cæsaris fallaci poenitentia comoti, Rudolphum Sueviae Ducem, proscripto Henrico, dixerunt Cæsarem. Testis est Brixinum Tyroleos urbs, quæ cum lacrymis aspexit ab Henrico & schismaticis tum Germaniæ tum Italiæ Episcopis, Simoniae simul & luxuriæ scelere infectis, conglobari conciliabulum, in quo indicta causa condemnatus ac depositus Gregorius, & hujus loco electus Pseudo-Pontifex Guibertus dictus Clemens III, qui paulò antè ob sua crimina à Ravenna-



tensium Archiepiscopatu fuerat dejectus. Testis est fide ideò dignissimus Guilielmus Traiectensis Episcopus, quòd testimonium dixerit pro suo adversario, & quidem in ultima vitæ periodo; is enim cum sese C. Bennonis amicum, inimicum verò Gregorii multis argumentis diu probasset, testante Lamberto Schaffnaburgico, vitam inter lamenta finiit. Vide fol. 192, verba cit. Testis est iterum idem Lambertus, qui ita tum de Gregorio, tum Henrico scriptum reliquit: *Papa, inquit, ubi Missarum solennia celebrasset, proferens manu Corpus Dominicum ad Regem palam ait: Ego jam pridem à te tuisque fautoribus insimulor, Sedem Apostolicam per Simoniacam hæresin occupasse, & aliis criminibus vitam maculasse. Quò igitur satisfactionis compendio omnem omnibus scandali scrupulum auferam, DEUM precor, ut suo me hodie iudicio vel absolvat subjecti criminis suspitione, si innocens; vel subitanea morte interimat, si reus. Et mox partem Domini Corporis accepit & comedit. Qua liberrimè assumpta, cum populus innocentie Pontificis congratulatus in laudes DEI aliquamdiu acclamasset, ad Regem conversus: fac inquit, fili, si placet, quod me facere vidisti. Rex post dilationem impetratam recusavit eo modo se purgare. Nec injuria: ubi enim ad suos redierat, statim etiam ad ingenium rediit, nec prius quieuit, quàm & B. Gregorium urbe expulisset, & Gilbertum Episcopum Ravennatensem ejus loco supposuisset. Hæc Lambertus, Testis est præter urbes alias Urbs urbium Roma, quæ ab an. 1080. usque ad annum 1084. gravissimis malis pressa Gregorium tamen constantissimè defendit, nec prius Cælaris exercitum intra urbis moenia admisit, quàm missis longè in alium finem à Græcorum Imperatore Comneno pecuniis, Henricus Romanorum plurimorum animos corrupit. Testis est munimentum S. Angeli, in quod ex consilio Romanorum civium Gregorius se recepit, & eo usque in eodem veluti captivus perstitit, donec Robertus Apuliæ Dux cum exercitu ex Græcia rediens Gregorium sua captivitate liberatum perduxit Salernum, ubi annò 1085. fine sanctissimo vitam clausit. Pene innumeris testibus accesserunt tres Gregorii VII. Successores Pontifices, Victor III, Urbanus II, & Paschalis II. testes vel ideò etiam maximi, quòd qualescunque demum Pontificum hostes nihil in iisdem vituperiò dignum invenerint: nisi tamen vituperiò fortè digni sint, quòd & ipsi Romani Præsules fuerint, & non minùs, quàm Gregorius repetito anathemate ex Ecclesiæ gremio Henricum excusserint. Verùm nec culpam esse inter*

Pon-



Pontifices quenkūam nūterari, nec fontes licet Reges, aut Imperatores Ecclesiæ censuris subicere, vel ipsum naturæ lumen indicat satis, & exhibuerunt exempla tum in Sacro Codice, tum in Historia Ecclesiæ facile reperienda. Testes denique, præter omnes ferè Germaniæ Principes, sunt Henrici IV. Mater Agnes & filius Henricus V. Mater enim, dum uterum ferebat, draconem se gerere, & draconem enixam se esse per vitam suam sæpè confessa est. Cum tamen pravis aliorum consiliis mota filii partes acrius per aliquod tempus, quàm par erat, propugnasset, relicta demum draconis potius, quàm filii causâ poenitentiam toti orbi in Urbe testatura petiit Romam, ubi per annos quindecim filii mores verbis & factis eidem contrariis reprobavit. Henricus verò filius victo patri diadema Cæsareum eripuit, patrem carceri inclusit, paterno cadaveri annis quinque tumulum, piè morientibus concedi solitum, negavit. Nolim equidem ego hæc filii in genitorem laudare qualiacunque patrata facinora; nolim item ego Henricum filium longè anteponeere Henrico Patri; cum scelera, quæ in patre castigata voluit, ipse novis sceleribus cumulârit; filium tamen contra patrem huc adduxi testem, quoniam testes ejusmodi præ aliis placere Magdeburgicis &c. solent, modò sint Pontificum Romanorum hostes. Pluribus haud pergo confutare reliqua dictoria contra Gregorium VII. conficta, & à nobis superiùs notata; tum quia suâmet naturâ sunt infirmissima, tum quia & à citt. authoribus aliisque maximi nominis Scriptoribus plusquàm satis fuerunt enervata. Pro coronide proin hujus Undecimi Seculi sufficient nobis dicta Joan. c. 13, v. 16. *Non est servus major Domino suo; neque Apostolus major est eo, qui misit illum.* Et Joan. c. 15, v. 20. *Non est servus major Domino suo. Si me persecuti sunt, & vos persequentur &c.*

---

*Seculum Duodecimum.*

CLIX. Paschalis II. Thuscus.

**E**X nobilissima Rayneriorum familia ortus præ stemmatis honore virtutum decus in ætatis flore æstimare didicit; relicta enim domo & terra patria, Cluniacense monasterium ingressus est, quod jure ejus temporis Seminarium Romanorum Pontificum dixeris: ex eodem



codem enim Monasterio intra breve temporis intervallum gloriosis passibus prodiérunt Summi Præsules Gregorius VII. Urbanus II. & Paschalis II. Horum ultimus quoque constanter fugit honores; quos tamen ipsi Albertus Alatrinus Episcopus in annos octodecim vates prædixerat. Pontifex itaque unanimi Electorum voce electus, adjutore Rogerio Siciliae prædiviti comite, aurum & virum sufficiente tandem penitus devicit viginti duorum annorum Antipapam Guibertum dictum Clementem III. Verùm hoc hominis monstro subita morte sublato, & à Ravennæ incolis igni tradito mox supervenit secundum, tertium & quartum; Albertus nimirum natione Neapolitanus, Theodoricus & Maginulphus Romani; quorum primus in monasterium intrusus, alter carceri perpetuò mancipatus, tertius ab ultore DEO vitâ subito privatus finem optatum dedit schismati, quod annis viginti octo Romanam Ecclesiam acerbissimè infestavit. Furor etiam Henrici IV. Cæsaris denique morte sublatus fuit, non tamen Henrici V. is enim expugnato patre Romam properavit perjurus; ad templum quippe Vaticanum ubi pervenerat, in ejusdem gradus Paschalem Pontificem, Cæsarem more, veneratus in ædem sacram admittus fuit, in qua contra datum jusjurandum Pontificem rogavit, ut confirmaret Episcopos à Cæsare, hoc est, absque jure constitutos. Votis respondere constanter abnuit Paschalis; in æde igitur sacra captus, & mandante Henrico in Germanorum castra raptatus potius fuit, quàm perductus triumphante scelere. In castris demum, vi summa ac necessitate compulsus, nominatos ab Henrico confirmavit Episcopos, & eidem Imperii coronam imposuit indigno tunc Capiti; quo tamen redeunte in Germaniam, datam confirmationem revocavit Pontifex, adimens scandalum Viris Principibus facile à vi ac fraudibus tum temporis consilium petentibus. Orto itaque rursus diffidio maximo Henricus V. anathemate percussus; tandem tamen vel simulans, vel seriam agens poenitentiam in absentia Paschalis à Bracharenfi Archiepiscopo sacris restitutus; Pontifex verò Divorum coetibus, ut fas est credere, fuit aggregatus an. 1118. Sed, 18.

### CLX. Gelasius II. Campanus Italus.

**C**AJETÆ natus, in Monte Cassino solidissimis virtutibus instructus, & indè ab Urbano II. Apostolicæ Sedis Cancellarius constitutus, à Paschali II. purpuram sacram accepit. Post fata Paschalis



schalis Pontifex electus, ne quamprimum consecraretur, impedivit Cincius Frangipanius Henrici V. Imperatoris amicus sacrilegus, qui effractis Ecclesie portis Gelasium vinculis ligatum suum ad palatium usque raptavit, fauces ejusdem haud semel comprimens, Romanorum civium tunc fides in Pontificem eluxit maximè; iidem enim è carcere educum Gelasium in Lateranum triumphantis more reduxerunt ac Pontificem salutârunt. Haud tamen hic pace frui licuit; Henricus enim cum exercitu prope adfuit, constituturus quamprimum Antipapam Mauritium Burduinum Bracharensem quondam Archiepiscopum, Lemovici in Gallia natum; comprehensus verò certò certius Gelasium Pontificem legitimum, nisi inter fulgura & tonitrua noctisque tenebras aufugisset. Comes itineris Gelasio tunc erat Hugò de Allatro Purpurâ sacrâ vir maximè insignis, & Fide in Pontificem clarissimus; is namque suis humeris impositum senem Gelasium per plura stadia velut Æneas Anchisem portavit. Cajetam in patriam denique pervenere, ubi consecratus Pontifex à decem Archiepiscopis, Episcopis viginti, Abbatibus triginta honorificentissimè est habitus. Redeunte tandem in Germaniam Cæsare, Cajetâ Romam rediit Gelasius. Sed hem! dum die D. Praxedi sacra ritu solenni sacrum dixit, vice altera diffregerunt templi claustra fautores Henrici, Pontificem abstracturi, nisi hujus nepos Crescentius juvenis fortissimus suis humeris denovo impositum Pontificem in tuto collocasset. Securitatis igitur causâ Galliam adiit Cluniacense petiturus Monasterium, in quo diem extremum obiit, postquam Henricum in Conciliis tum in Gallia, tum in Germania per Legatos habitis anathemate percussit, Sed. an. 1. mortuus 1119.

## CLXI. Callistus II. Gallus.

**E**X nobilissimorum in Burgundia Comitum stemmate natus, & indè Guido Burgundicus dictus, Henricum V. Imperatorem & Adelhaidem Gallorum Reginam, nec non Angliæ Reges suos sibi propinquissimos in vivis numerabat. Tam nobili stemmate, virtutibus verò nobilioribus exornatus, Viennensique in Gallia Ecclesie Archiepiscopus expetitus, & tandem impetratus, prælusit suo in Archiepiscopatu futuris honoribus, quibus à Viris etiam Principibus tantus Princeps semper dignissimus est agnitus. Cluniacensi Monasterio notissimus quondam & alumnus, & vir Religiosissimus perpetuam sui memoriam eidem loco reli-

R. P. Kolb Series Pont. Pars II.

Cc

quit,



quit, & de eodem sibi impressit. Eò igitur dum ex Italia redire pervenit, ultima pietatis officia defuncto Pontifici soluturus, supremum ipse officium est adeptus. Confirmatus Pontifex tria in Gallia continuò congregavit Concilia, Viennæ nimirum, Tolosæ & Rhemis; Lugduni verò D. Norberti Religiosissimum Ordinem probavit & confirmavit. Tribus Conciliis accessit in Italia quartum, idque Oecumenicum Lateranense I, cui interfuerunt Episcopi nongenti nonagenti septem. Actum in eodem fuit de bello sacro in Palæstina aliisque vicinis in Oriente regnis promovendo. Non minùs de causa Henrici V. Imperatoris agitata consilia eò Pontificem permoverunt, ut, missis in Germaniam Legatis Pontificiis, cum Henrico Cæsare denique inierit pacta, Ecclesiæ Romanòque Imperio summè proficua, quibus nempe Ecclesiastica beneficia, datis litteris Imperatoriis, Summæ Sedi adjudicata, pax verò, diutissimè cruentis etiam lacrymis desiderata, tandem etiam fuit stabilita. Pacato hac maximè ratione Henrico Cæsare vincendus erat Mauritius Antipapa, quem Joannes Cardinalis à Pontifice cum copiis Normannicis missus Sutrii occupavit, occupatum cepit, & captum mulòque impositum Romam perduxit, exoptatum populo ludibrium. Tantas inter curas D. Jacobum Hispanorum Archiatrum singulari honore prosequi perrexit Calistus, cuius cultum promoturus magis Compostellæ Archiepiscopum dedit, subjiciens ejusdem curæ totam vicinam provinciam. Intra quinquennii curriculum tanta perfecit Pontifex hic, quanta Pontifices priores longissimo tempore perficere vix ausi sunt sperare, rebus momenti maximi ad desperationem passim vergentibus. Inter summa igitur sui encomia & desideria ardentissima finem consecutus est exoptatissimum an. Pont. 5. Christi 1125.

## CLXII. Honorius II. Bononiensis.

**R**OBERTUS Frangepianus vir Romæ potentissimus, Pontificiis Electoribus varios posuit obices, quò minùs alium præ Lamberto Cardinale sibi amicissimo in Summam Sedem eveherent. Fraudibus verò Frangepanii probe perspectis, Cardinalium quidam suffragia sua in C. Theobaldum direxerunt, quem Cœlestinum II, appellârunt; Cardinalium tamen aliis cum populo in Lambertum constanter conspirantibus. Placuit posterior pars summè Frangepanio; is igitur populo & Electorum parti placiturus magis, rem eò perduxit, ut consentientibus



tibus denique Electorum pluribus Lambertus in Pontificem fuerit electus Honorius II, dictus. Verum post elapsum septem dierum spatium Honorius coronam Pontificiam Theobaldo, sua opinione digniori, cedendam ratus omni suo juri renunciavit, paratissimus obedire Pontifici, haud imperare Ecclesiae. Hoc ipso autem egregio facinore ab Electoribus omnibus nunc probatus ac confirmatus Pontifex, excitatos in Cassino Monte & Cluniacensi Monasterio à gemino Abbate tumultus sedare quamprimum instituit. Uterque nempe Abbas ob eximios in se collatos honores ad superbiam elati, nec moderari suos, nec ipsi Pontifici Romano obedire amplius noverant, Patriarchas in Oriente rebelles vitis æmulaturi. Uterque igitur Romam vocatus, suoque officio depositus, cum Phrygibus sapuit. Tanchelinum deinde Antvverpiæ hæreticum luxuriosissimum aggressus per D. Norbertum Magdeburgensium Archiepiscopum confudit: in Germaniam verò Gerardum futurum brevi Pontificem Lucium II. dicendum, in Galliam ad celebrandum Concilium Trecentense Matthæum, in Angliam Joannem Cremensem tres Cardinales ablegavit, quorum hic tertius Londnensi Concilio præfuit. Hyberniam etiam per Malachiam Episcopum Conneretensem in florentissimum statum conversam in Fide confirmavit, Ravennam adhæc Petrum Cardinalem quartum dimisit, qui congregata Synodo Aquilejensium & Venetorum Patriarchas cognitâ utriusque causâ deposuit. Duos denique alios Legatos Cardinales Gregorium nempe in Daniam, Sueciam ac Bohemiam; in Hispaniam verò Humbertum summo Reipublicæ sacræ emolumento legavit. In Ecclesia Gallicana, adjutore præcipuè D. Bernardo, negotia gravissima composuit, bellumque sacrum promovit Ludovico VI. ac VII. Galliarum Regibus, Romano Pontifici ad nutum paratissimis. Mortem ipse excepit paratissimus an. 1130. Sed. 5.

### CLXIII. Innocentius II, Romanus.

**A**NTEA Gregorius vocatus ex nobilissima Romæ familia de Mathæis dicta originem traxit. Postquam adolevit, in Collegio Lateranensi Canonorum Regularium institutum professus, etiamnum juvenis in Collegium Cardinalium transiit. Pontificis dein Legatus in provincias Septentrionales à Calisto II missus, Germaniæ præcipuè profuit; is enim Henricum V, Ecclesiae reddidit: Pontifex verò Calisto mortuo, ob singularia omnino merita, à sexdecim Purpuratis Patribus



electus duos expertus est adversarios, Petrum Leonem nimirum à fat multis Cardinalibus sibi oppositum, & Anacleti II. nomine nuncupatum. Hujus partes Rogerius Calabriae Princeps, Innocentii verò electionem Frangepanii cum quatuor aliis Cardinalibus in meliores mutati, defendebant. Ferventibus itaque partium harum studiis in Franciam abeundum erat Innocentio, ut optatum rei exitum exspectaret eminus. Interea Henricus V. Imperator satis concessit, cujus nepotes Conradum Franconiae, & Fredericum Sueviae Duces cum in avo & atavo, aut potius hos odissent in nepotibus Imperii Electores, eisdem Lotharium Saxoniae Principem præhabuerunt, qui expugnato Conrado æmulo suo, Innocentii quidem partes tueri firmissimò animò decreverat; jura tamen Ecclesiae ab Henricis Imperatoribus malè usurpata & ipse invadere cogitabat; verùm ab Innocentio longè diversa petere rogatus, à D. Bernardo autem Ecclesiae jura clariùs edocùs menti Summi Pontificis acquievit; eundem etiam bis Romam reductum constanter defendit adversus Rogerium, cujus regionem vastavit victor, ut redderet Ecclesiae bona ab eodem adempta; dein verò ab Innocentio Romae coronatus in Germaniam rediit verè Germanus atque Romanus Imperator. Anacletus inter hæc à victo Rogerio desertus interiit, cui ab eodem absque mora substitutus fuit Gregorius quidam Cardinalis Victor IV. vocatus; qui tamen unà cum suarum partium Cardinalibus brevè se Innocentio penitus subiecit, Nondum hic quievit Rogerius, quem in proposito suo pertinacissimum non anathemate altero, sed *D. Petri gladio*, uti monuerat Cardinalium quidam, Innocentius ipse militum suorum supremus Dux oppugnavit; mox verò ab eodem hoste suo victus & captus fuit, ad cujus Pontificis licèt captivi pedes Rogerius unà cum filio se abiciens, & hanc ob causam anathemate quamprimùm solutus, & Rex Siciliae fuit agnitus. His rebus compositis Romam rediens Pontifex à suis met Romanis petitus est infestis armis & animis: Romani enim Tiburis urbis civibus ob relatam unà cum Rogerio victoriam plurimùm infensi eam urbem solo æquare meditabantur; quibus cum vehementer obstaret Innocentius, Romanae Reipublicae methodus à centum annis intermissa, denuo fuit introducta à civibus adversus Innocentium. Hæc itaque nova methodus dum Innocentii Monarchiam multùm turbavit, ipse in coelestem Hierarchiam transferri desideravit morte votis obtemperante an. Sed, 13.



## CLXIV. Cœlestinus II. Hetruscus.

**C**OÆVUS pene fuit D. Bernardo Doctore Mellifluo, quem orbis Orthodoxus tanti æstimavit vivum, ut mortuum etiam hæretici non fuerint ausi vituperare, convicti ejusdem meritis. Talis ac tantus Ecclesiæ Doctore Guidonem de Castello non generis splendore, sed virtutis ac doctrinæ æstimatione notissimum, & ob has à Cardinalium Collegio Summum Pontificem electum maximi fecit. Eadem ætate ejusdem D. Bernardi Regula à D. Benedicti methodo haud multum diversa triumphanti ac militanti Ecclesiæ probata, instar novi sideris orbem universum illustrare cœpit. Cœlestinus igitur Pontifex creatus, lucem hanc sibi coelitus datam propagaturus in Ecclesia universa, laudavit in suis discipulis Magistrum Bernardum: Joannem enim à Craticula, doctrinâ & moribus Doctore Clavallensi discipulum simillimum, in Purpuratorum Patrum adscripsit cœtum; per Bernardum verò hujusque socios Ecclesiam totam conservare, ac indies magis propagare studuit sacri belli avidissimus. Verùm dum omnes boni de Cœlestino non magis sperare, quàm gaudere cœperunt, spem omnem & gaudium mors pestifera præcidit, totam pervadens Italiam; mensibus itaque 5. duntaxat Supremus Præsul vixit, mortuus an. 1144.

## CLXV. Lucius II. Bononiensis.

**D**UM pestilentia morbo Ecclesiæ ereptus est Cœlestinus II. ad clavum in Petri navicula sedere cœpit Gerardus nobili Caccianimicorum genere Bononiæ natus, inde verò D. Augustini Canonibus ad summa munia in Ecclesia obeunda instructus, à Calisto II. Cardinalitia dignitate ornatus, ab Innocentio II. Apostolicæ Sedis Cancellarius constitutus, & demum legitimis Electorum suffragiis Pontifex dictus, Lucii II. nomen sibi fecit proprium. Rem difficillimam Lucio II. fecit pars Romanorum civium maxima, à qua Rempublicam suam antiquissimam restituere cupiente, Ecclesiæq; sua bona invidente supra modum fuit vexatus, vixque numeratus inter eos Veteris Testamenti Sacerdotes, quibus præter decimas ab Hebræis concedebatur nihil. Verùm Lucii Pontificis & D. Bernardi saluberrimis monitis persuasus Lotharius II. Imperator verè Catholicus, Pontifici jus suum tribuit, & à Pontifice jus & ornamentum



tum Cæsaris accepit, Imperii nimirum coronam. Bellum sacrum tunc identidem magis fervebat, ad quod promovendum auri & annonæ ingentem copiam misit Lucius. In Gallia Synodum, licet absens tunc fuerit, collegit, in qua Petrus Abailardus, Poëta & Philosophus, miris ingenii instructus dotibus, sed ob genii levitatem potius, quàm judicii pertinaciam à sincera Ecclesiæ doctrina diversus, manus denique dedit totius Ecclesiæ sententiis, relicta conjugæ factus Monachus in fine vitæ perfectus. Vitæ terminum posuerunt Lucio mense Sept. jam I I. cives Romani, dum eidem moerore mortem accelerârunt an. I I 45.

### CLXVI. Eugenius III. Pisanus.

**N**OBILI & antiqua Paganellorum prosapia oriundus D. Bernardi quondam discipulus & ipse Bernardus vocatus in Clara Valle eos cumulavit fructus, ut Abbas in monasterio D. Zenonis primùm Pisis; deinde verò D. Anastasii Romæ ad Aquas Salvias fuerit maximè honoratus: tandem verò à Cardinalibus in electione Pontificis primò hærentibus ac vacillantibus, mox verò mirè concordibus fuerit electus Supremus Antistes. Electo Pontifici in primis curis hæc erat, ut contra Arnaldum & hujus discipulos ejus temporis Politicos pessimos, Ecclesiæ nempe sua bona maximè invidentes, Principibus verò non - Ecclesiasticis omnia tribuentes, pugnaret invicissimè; ab his tamen suis hostibus Pseudo-politicis victus adeò vexatusque fuit, ut relicta Româ Viterbium exul fugerit. Syria, Armenia, Palæstina summis tunc etiam in angustiis erant, quas ut plurimum in Oriente tyrannorum jugo liberaret, suo in exilio sui magis immemor, quàm subditorum, pro viribus bellum sacrum promoveré studuit. Eum in finem Abbatem Claravallensem D. Bernardum in Germaniam ad Imperatorem Conradum, & inde in Galliam ad Ludovicum VII. Regem misit potentissimum ubique Oratorem. Placuit hoc Pontificis Eugenii studium adeò Romanis civibus, ut ipsimet, novæ suæ Reipublicæ pertæsi, obedire rursus Romano Præsuli promiserint, hujus reditum summis desideriis postulantes: is tamen à Galliæ Rege invitatus petiit Galliam, ubi nobilissimo Crucigerorum exercitui in Palæstinam abeunti bene precatus Concilia plura collegit; inter hæc Rhemensè haud postremum fuit, in quo damnatus est Guilbertus Porretanus Piclavienfis Episcopus; qui etsi in Deum Hominem sumè fuisset blasphemus, tamen, teste D. Bernar-



Bernardo, errores suos publicè confessus Abailardum pœnitentem & ipse pœnitens fuit secutus. Rebus in Gallia momenti maximi ordinatis Claram Vallem hospes gratissimus per complures dies suâ præsentia dignatus fuit, ubi veriùs D. Bernardi discipulum, quàm Pontificem agens, exemplis ad imitationem fortissimis Claram Vallem maximè illustravit. Romam denique rediens composito Urbis statu ad nova ædificia animum intendit; palatium enim ad D. Petri extruxit, prætoriam domum condidit, & porticum S. Mariæ Majoris variis picturis exornavit. Denique æstivis caloribus Romæ infestis exhaustus sanioque confectus, qualem vitam vixerit morte miraculis clara posteris testatus est an. 1153. Sed. 8.

### CLXVII. Anastasius IV. Romanus.

**N**OBILIS familiæ filius Conradus de Sabutra vocatus, relicto Sæculo post insignia virtutum ac litterarum documenta exhibita in monasterio D. Ruffi primùm Abbatem, indè Episcopum Sabinensem, & mox Cardinalem Honorio II. & Innocentio II. gratissimum egit; horum enim postremus Conradum suum Romæ reliquit Vicarium, dum à Romanis civibus pulsus in exilium aufugit, & Viterbiò in Galliam abiit; prior verò ex D. Ruffi monasterio licèt invitum evocavit publicis dignissimum honoribus judicans. Publicis itaque muneribus tam probè functus fuit, ut in Christi Vicarium Pontificii Electores cum sibi deligendum meritò existimarent. V. tuperârunt equidem Anastasium hunc præsertim Itali, quòd remisè nimiùm cum Friderico Aenobarbo Imperatore egerit. Verùm quod Italis displicuit, placuit Germanis maximè in hoc Pontifice, tam his quàm illis partium studio addictis; horum igitur sententiæ præferenda est omnium pauperum opinio, qui uno ore laudârunt summam Anastasii in omnes charitatem, dum in caritate annonæ quibusvis, ante alios tamen egenis liberalissimè subvenit, qui proin copiosis lacrymis post primum Pontificatûs annum jam morienti parentârunt.

### CLXVIII. Hadrianus, Anglus.

**P**UER admodùm relicta pauperis in Anglia parentis domo Galliam petiit literis daturus operam. His apprimè instructus exemplò patris sui præviò motus D. Augustini Canones, post consuetum tyrocinium, professus, tandem monasterio in Gallia extructo Abbas præesse



præesse fuit iustus. Hujus tamen Abbatis conditionem, aut veriùs laudatiffimum vitæ rigorem aspernati quidam minimè Religiosi subditi Romam confugere suum Abbatem coëgerunt. Fugisse plurimum profuit; Eugenio enim Pontifici tantum probata est Hadriani fuga, ut eum Danis atque Norvvegis Nuntium Pontificium & Apostolicum miserit utroque munere defunctum optimè. Consecratus denique ob præclara merita Summus Antistes egit & tulit plurima; patientiæ enim materiam copiosissimam præbebant Romani cives Reipublicæ methodum postulantes: item Rogerius aut hujus filius Wilhelmus Siciliae Rex, nec non Fridericus Imperator Aenobarbus, quorum prior iniquissimum pacis foedus per vim extorsit, quod hanc ob causam Innocentius III, nullius valoris esse declaravit. Promittere nimirum per vim cogebatur inter alia Hadrianus Rogerio, ut renuntiaret omni appellationis juri, quod Siciliae regnum Apostolicæ Sedi hætenus debebat. Præbuit hæc appellationis remissio Friderico Imperatori ansam, ut, etsi anno priore ab Hadriano primùm fuisset Imperii diademate decoratus, hunc ipsum tamen Pontificem afflicturus Londinensem Episcopum, in via Romam versùs interceptum in captivitatem abstrahi jussit. Libertatem captivo Episcopo impetraturi venere Legati cum litteris, quorum verbis perperam intellectis in furias actus Cæsar egit non agenda. Tandem mitiora edocuit genuinum epistolæ sensum admisit: verùm paulò post mutatus iterum in publicis litteris Pontificio nomini suum præferri jussit, more ab Imperatoribus antiquioribus prorsus alieno. Bilem Cæsari movit Hadrianus, quod negarit Hugoni admodum juveni Ravennatensis Archiepiscopatus insulam, etsi purpuram sacram eidem pro ea obtulisset. Maximis igitur patientiæ fructibus plenus Hadrianus mortem optavit & impetravit an. 1159. Sed. 4.

### CLXIX. Alexander III, Thuscus.

**P**ISIS primùm inter Canonicos numeratus, sed lapsu temporis Romanæ Ecclesiæ Cancellarius constitutus, variis legationibus defunctus fuit summa sui constanter laude ac æstimatione, qua fuerat plurimis, præcipuè verò Hadriano Pontifici Magnus aut Maximus. Alexander hunc proinde jure optimo Magnum aut Maximum dixeris ab annis, quibus Pontifex sedit, & à gestis, quæ maximò numero præclare patravit, & à laboribus, simulque doloribus, quos sustinuit. Præter hostes  
pene



pene innumeros quinque potissimi fuere, tres nimirum successu temporis Pseudo Pontifices; primus Octavianus Romanus Cardinalis Victor V. dici cupiens: alter Guido Cremonensis Paschalis IV. vocatus; tertius Joannes Hungarus Strumensis Episcopus Calixtus III. appellatus. Reliqui duo hostes erant Fridericus Ænobarbus Imperator, & Henricus II. Angliæ Rex. Horum omnium sese victorem probavit denique Alexander: Henricus enim D. Thomam Cantuariensem Archiepiscopum, quem paulò antè occidi vel jusserat, vel suorum pravis consiliis circumventus trucidari permisit, & ob Martyrii palmam in Divorum numerum jam relatum esse noverat, summa veneratione coluit & amplexus fuit inter publica doloris ac poenitentiae testimonia, Summo etiam Pontifici in rebus cunctis obedientissimus. Fridericus Imperator post continuas Pseudo - Pontificum à se susceptas defensiones, post ingentes simul Alexandro Pontifici illatas persecutiones, à Venetis tandem cum filio victus, victas manus dedit Alexandro, Venetis Romam usque ejusdem comes factus. Octavianus morte repentina correptus interiit nullo poenitentiae signo posteris relicto, Guido carcinomate percussus lentâque morte consumptus est: Joannes denique redeunte Romam Cæsare & ipse rediit veniam precatus, quam clementissimè dedit Alexander fortissimus non solùm contra duos. Hujus Pontificis operâ etiam congregatum fuit in Gallia Concilium Turonense, in quo anathema in Fridericum Imperatorem simulque Victorem Pseudo Pontificem fuit confirmatum. Alterum fuit Oecumenicum in Laterano III. in quo trecenti Episcopi sententias pro Ecclesiae necessitate dixerunt. In Divorum Album præter D. Thomam Cantuariæ Archiepiscopum adscripsit etiam D. Eduardum Angliæ, D. Canutum Daniæ Reges, D. Bernardum Clarae Vallis Abbatem, & D. Helenam Martyrem, quorum numero etiam Alexander merito accensendus venit an. 1181, Sed. 22.

## CLXX. Lucius III. Lucensis.

**L**UCA Italiae urbs Humbaldum natum sibi gratulata fuit. Crescens aetate & sapientiâ, Episcopus & Cardinalis Ostiensis simulque Viternus creatus legationibus permultis in Anglia, Gallia, Sicilia & Germania obitis, præclarum nomen ab orbe universo sibi vindicavit. Anglia & Scotia Lucii III. nomen præ aliis regnis celebrârunt, dum

R. P. Kolb Series Pont. Pars II,

D d

Wilhel-



Wilhelmum Scotiæ Regem à Rogero Episcopo Eboracensi Ecclesiæ communionem privatum, sed inde pœnitentiâ ductum recepit. Maronitas etiam montis Libani accolas ad Romana sacra conversos suscepit. Hucusque velut in latitiæ agro laborabat Pontifex Lucius; at tristitiæ campum amplissimum eidem aperuerunt Romani cives ac senatores Reipublicæ vel conservandæ vel erigendæ intentissimi; quorum abusus dum tollere stenuè laboravit, ab eisdem Româ pulsus post lustratas varias in Italia urbes denique Veronam venit, cum Friderico Cæsare novas simul & antiquas turbas compositurus. Duo potissimum rerum capita erant, quæ Cæsarem Pontifex rogavit, ut nimirum exemplò suò Christianos Principes Imperator commoveret ad debellandos Saracenorum in Palæstina maximè exercitus. Alterum ut Mathildis Mutinensis Dominiæ bona Ecclesiæ legata haud denegaret. Haud placuere preces Pontificiæ Cæsari; sed nec probata fuit Pontifici Cæsaris oratio, qua filio suo Imperii coronam vivo ac præsentem patre à Pontifice imponi, & Episcopis, schismate ab Ecclesia divis, veniam postulavit. Inter mutuas igitur repulsiões discessere ab invicem Lucius & Fridericus cunctis timore suspensis, ne gravissima mala discessum hunc sequerentur, quæ tamen mors Pontificis fortè interclusit, dum Veronæ Lucium confecit post annum Sed. 4.

### CLXXI. Urbanus III. Mediolanensis.

**P**ERVETUSTO Mediolani Cribellorum genere natus primò Canonicorum ibidem suffragiis Archidiaconus, dein verò Archiepiscopus electus, ab Vlexandro III. sacram purpuram Archi-Episcopatus pallio superadditam accepit. Tandem Veronæ à septem & viginti Cardinalibus Lucii III. Successor promulgatus iisdem de rebus agere cœpit cum Friderico Imperatore, de quibus agentem Lucium vita destituit. Verum haud plus datum est Cæsari à Successore, quàm ab Antecessore Pontifice; cum enim Urbanus Fridericum in malo pertinacem comperisset, eidem hæc maximè rerum capita severè interdixit, ne nimirum hæreditatem à Mathilde mortua Romanæ Ecclesiæ donatam Cæsar suam diceret; ne item bona ab Episcopis mortuis relicta sibi vendicaret; & tandem ne monasteriorum redditus in Germania præsertim suos diceret. Ægerrimè hæc monita accepit Cæsar, dolorem tamen animò conceptum tantisper dissimulavit, ut filio coronam Imperii ab Urbano imponendam



dam impetraret. Verùm & hac spe sua delusus dolorem verbis & factis testatus recessit in Germaniam, in qua duodecim maximi nominis Præsules Cæsaris partes deseruerunt, quos ex Germania pulsos ut aditu Italiae prohiberet, longè latèque Alpium angustias præfidiis & custodibus præmunivit. Pontifex igitur iratus magis Friderico, rogantibus Veronæ civibus Ferrariam discessit, Cæsarem publico anathemate confixurus. Verùm eò perveniens tristissimò nuntiò expugnatae à Saladino Hierosolymæ, captique ejusdem Regis & sacrae Crucis in potestatem barbarorum ablatae a deò commotus fuit, ut dolore nimio correptus brevè mortem oppetierit.  
1. an. Pont. Chri. 1187.

## CLXXII. Gregorius VIII. Beneventanus.

**A**LBERTUS de Mora quondam appellatus ex Ordine D. Benedicti evocatus ad purpuram sacram, & ab Urbani III. obitu die altera summo omnium consensu lectus Pontifex, continuò litteras dedit ad viros Principes, animans eosdem ad bellum sacrum contra Saladinum Ægypti tyrannum præcipuè instituendum. Tantum placuit universis mens pientissima hujus Pontificis, ut in annos quinque universa Ecclesia sibi proposuerit cujusvis hebdomadae feriâ quartâ à carnibus abstinere, feriâ verò sextâ jejuniò etiam corpus macerare. Ecclesiae Cardinales complures exemplo reliquis omnibus futuri, pedibus iter Palæstinam versùs aggressi sunt, conceptò votò firmissimò nunquam equum conscendendi, donec Palæstina Saladini jugo foret erepta. Septem annis Principes Catholici inducias inter se pacti sunt, gravissimâ Ecclesiae poenâ in eum sancitâ, qui inducias non servasset. Tantum egit Gregorius duorum duntaxat mensium Pontifex, post quos mors desideria ejusdem optima demersit.  
an. 1187.

## CLXXIII. Clemens III. Romanus.

**P**AULUS cognomento Scholaris dictus, omnium Cardinalium suffragis, in Ecclesia Cathedrali Pisis in Petri solium evectus Clementis III. nomine vocari cœpit. Gregorii VIII. vestigiis insistere, bellum nempe sacrum promovere strenuè laboravit; sua namque



authoritate movit Fridericum Imperatorem simulque Reges Gallia, Anglia atque Dania, ut numerosissimum exercitum in Palaestina duxerint. Tributis tamen, quae Saladina vocabant, ne nimium subditos suos premeret Rex Gallus Philippus II, impedivit Clemens Pontifex. Philippum inter & Richardum Anglorum Regem composuit etiam lites gravissimas, quorum postremus, Richardus nempe cum male sibi conscius metueret, ne scelerum suorum gravitate impediret belli sacri progressus, Messinae deposito diademate regio praesentibus Episcopis compluribus, palam scelerum suorum sarcinam deposuit, ex pessimo in optimum mutatus Regem, Felicissimus sane fuisset etiam Fridericus Imperator, si agoni suo ita praeluisset, qui flumine Cydno, in quem aestus levandi causa descenderat, haustus & suffocatus est. Interea mortuo Wilhelmo Siciliae Rege Clemens relictum sine legitimo haerede regnum repetebat, misso eum in finem exercitu Pontificio contra Tancredum, quem suum esse fratrem constanter negabat Wilhelmus, pugnaturo. Sublatum ab eodem hoc Clemente tandem fuit annorum quinquaginta dissidium gravissimum Pontifices inter & cives Romanos exortum. Variis legibus amicitia fuit stabilita, in quas cum jurasset populus Romanus, abrogata penitus Reipublicae methodo se suaque Summo Pontifici subiecit. Transactis tanti momenti rebus Clemens III, mortis arbitrio se subdidit an. 1191. Sed. 3.

#### CLXXIV. Cœlestinus III, Romanus.

**H**YACINTHUS Bubo de Ursinis appellatus, si Petro Blesensi sit habenda fides, annos sexaginta quinque inter Purpuratos Patres transegit, ab Eugenio III. aut Lucio II, jam sacra purpura ornatus; cum denique anno aetatis 85. Pontifex consecratus, qualis ac quantus esset, continuo factis & verbis demonstravit: die enim Paschatis prima anno Domini 1191. in Pontificem electus urbem Tusculum Sedis Romanae ac Romanorum civium hostilem sedem solo aequari iussit, foedera pacis à Clemente II. cum Romano populo inita opere firmaturus. Die Paschatis altera Henricum VI, Caesarem cum conjugē sua Constantia Rogerii Siciliae Regis filia Augustorum nomine ac corona condecoravit, postquam Henricus dicto Sacramento promisit, *se Ecclesiae Romanae iura illibata constanter servaturum, justitiam custoditurum, & siquid ex D. Petri Patrimonio ablatum fuerit, redditurum, Tusculum quoque à se tunc occupatum, restit-*



*siuaturum.* Hunc ipsum Henricum Cæsarem cum Leopoldo VI. Austriae Archi-Duce à fidelium communione amovit, quòd Richardum Angliæ Regem ex Palæstina per Hungariam & Austriam reducem, atque in Austria sub schemate peregrino latentem quidem, proditum tamen & in captivitate abstractum detinerent, nec priùs dimitterent, quàm datâ auri summâ gravissimâ libertatem redemisset. Episcopum deinde Belluacensem sub Philippo II. Galliaë Rege pugnans contra Anglorum copias cum cepisset Rex Richardus, arcuissimâ custodiâ eum servari mandavit. Cum igitur sibi *filium suum* reddi Pontifex Cœlestinus postulâisset, thora- cem Richardus Romam misit cum dictis Pontifici significandis; *Vide, num hæc sit vestis filii tui.* Cæterum Ecclesiæ restitutum Henricum Imperato- rem ardentissimè hortatus est ad bellum sacrum prosequendum; Cæsare autem Imperii negotiis præpedito, ejusdem vices Moguntinus Archiepi- scopus & Saxoniam Dux subire, qui cum valido Germanorum exercitu per Hungariam in Asiam trajicientes, cæsis multis barbarorum millibus, Be- rytum munimentum à Saracenis destitutum novis præsiidiis munivè; Jop- pen verò urbem hostili obsidione pressam liberârunt, perituri proximè Hierosolymam, nisi mors Cœlestini bello sacro unicè intenti obicem po- suisset. Moriturus hic annò nimirum 1198. Pontifex dignitati suæ re- nuntiâsse dicitur, ea tamen lege, ut Electores Pontificii Joannem à S. Pau- lo D. Priscæ Cardinalem Successorem suum dicerent; cujus tamen ultimæ huic voluntati cum tum temporis haud annuissent, ipse se Deo, vitæ ac mor- tis arbitro totum permisit, eorum Pontificum ultimus, in cujus describen- dis meritis C. Baronius absolvit tomum suum duodecimum, hoc est, ulti- mum.

### *Reflexiones Historicae supra Seculum XII.*

**A**DESTE huc Pontificum Romanorum observatores accuratissimi, Magdeburgici, Hübneri, & alii quàm plurimi! dicite errores aut crimina ab hujus Seculi duodecimi Pontificibus admitta! & en! carforum instar adsunt plenis buccis prolocuturi suo iudicio errores Pontificum gravissimos. Ajunt enim



- I. Alexander III. dicit cap. *cum esses de Testamentis &c.* alienum esse à Divina lege & Ecclesiae consuetudine, ut in testamentis plures tribus testibus requirantur. Eodem in loco sub poena excommunicationis praecipit, ne ullus rescindat testamenta cum tribus testibus facta. Atqui contrarium habet praxis totius orbis Christiani. Vel igitur orbis Christianus errat perpetuò, vel erravit Alexander.
- II. Idem Alexander cap. *licet de sponsa duorum &c.* dixit, quosdam Praedecessores suos judicavisse, Matrimonium per verba de praesenti contractum, nec tamen consummatum, posse dirimi per aliud Matrimonium, se tamen contrarium sentire. Itaque vel Alexander III. vel ejusdem Praedecessores errarunt.
- III. Similis est error Coelestini III. qui docuit, licere illi aliud inire Matrimonium, cujus conjux in haeresin lapsa fuerit. Hanc autem sententiam esse haereticam indicavit satis Concilium Tridentinum sess. 24. can. 5. & Innocentius III. cap. *quanto de Divortis*, ubi contrarium vel docuerunt, vel omnino definièrunt.
- IV. Alexander tyrannus fuit vel in ipsum Imperatorem: Fridericum enim Aenobarbum suis pedibus advolutum, ac sibi supplicem his excepit verbis: *super aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem.* Psalm. 90.
- V. Hadrianus IV. à musca guttur subito occupante, suffocatus interiit haud obscuro malae vitae & mortis omine, eò, quòd Fridericum Aenobarbum anathematis sententià proscripserit.

#### Responso I. ad I.

**G**RATULARI sibi meritò poterit Alexander III. quòd ipsius Zoili aliud, quod carperent, non invenerint, quàm tres prima facie errores, quos ipsos tamen errores nemo sanus dixerit, si aequiori bilanci eos appenderit. Quis enim in capitulo *cum esses de Testamentis &c.* error latet, aut adversariis patet? Quòd Lex Divina septem testes pro testamenti valore non requirat, tam planum est Jurisperitis omnibus, ut is planè talis non sit, qui hæc ignorat. Quòd verò alienum sit etiam ab Ecclesiae consuetudine, accire pro conficiendis testamentis septem testes, hìc apertioribus opus est oculis, ut Alexandri sensus perspicatur. Suam nempe dixit sententiam omnibus Canonum peritis communem; aliis enim de testa-



testamenti intelligi haud intendit, quàm de iis, quæ cedunt in favorem Ecclesiæ, vel alterius causæ, ut vocant, piæ. Quisquis autem in simili causarum genere septem testium præsentiam sibi poscit, is minimè sibi præsens est. Fingamus verò, Alexandrum tradidisse doctrinam de testamentis erroneam: an idcirco erravit in *Decreto Fidei aut Morum*? an tanquam Supremus Judex ac Pontifex oraculi instar suam sententiam ab Ecclesia Romana universa haberi voluit? Respondebunt vel ipsimet fortè adversarii; istud affirmare haud sustinemus, si veritati patrocinium non negabimus. Ita & nos respondebimus, & Alexandrum primo errore absolutum noverimus.

Responsio II. ad II.

**E**ST eruditus viris ter nota parcœmia: qui bene distinguit, bene docet. Utinam hæc aut similes parcœmiæ altiores egissent radices in Heterodoxorum animis, tunc enim verò didicissent distinguere inter Pontifices & Doctores; inter Pontificum definitiones, & inter eorundem privatas opiniones. Aperiamus hîc Juris Pontificii Corpus, legamus verba Alexandri, scilicet capitulum *licet desponsa duorum &c.* & tum vel ipsæ palpabunt manus nostræ, Alexandrum dixisse opinionem suam, velut consueverunt dicere Jurium Doctores, dum vel discipulis prælegunt, vel inter se disputando suas dicunt sententias, avidissimi quidem indagandæ veritatis, opinione tamen sua, si optata veritas desit, contenti.

Responsio III. ad III.

**A**TQUE ut parcamus verbis & tempori, totum hoc responsum II, accipe, ut Coelestini pariter mentem penetres; de conjugio enim ejus, qui in hæresin lapsus fuit, per aliud novum conjugium dissolvendo, dixit solùm opinionem suam, haud verò reliquit Pontificiam sententiam instar oraculi toti Ecclesiæ tenendam. Nec refert, libris Decretalibus has quandoque insertas inveniri opiniones; nec enim continuò inter Fidei dogmata referenda est Decretalium librorum doctrina: habet quippe suum sæpe locum opinio, ubi Ecclesiæ jura sunt obscura, & exoptata veritas patet minùs.

Respon-



## Responsio IV. ad IV.

UT tandem alterius generis deprehendatur error Alexandri III. gravissimus, ponamus ob oculos nostros imaginem illam, quam A Catholicorum pictorum nonnemo pinxit earatione, ut Alexander ad voluti suis pedibus Friderici I. Cæsaris caput instar hydræ premat ac conterat. Accedant simul verba instar tonitruum ex ore Pontificis delapsa in Imperatoris caput: *super aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem.* Psalm. 90. Talis certè imago apta nata est miris modis exasperare & incendere cunctorum animos adversus Romanos Pontifices, etiam in ipsum Cæsarem tyrannos. Verùm pacatò simus animò, ne præceps nimirum affectus nos rapiat in partes Friderici Cæsaris, aut Alexandri Pontificis: detur utrique suum. Depictam itaque intueri iterum libeat tabulam, sed simul hæc adscribere ne pigeat verba: *pictoribus atque Poëtis fingendi quidvis semper fuit æqua potestas.* His præsertim Poëtis atque pictoribus libuit potiùs, quàm licuit quævis fingere ac pingere, quibus inter curas est ultima imitari naturam, sectari veritatem, mores hominibus accommodatos proponere; quod sanè non præsumtum fuit ab iis pictoribus, qui hanc tabulam pinxerunt; nec ab illis Poëtis, qui fabulam hanc confinxerunt. Fabulam hanc, non Historiam esse ostendunt circumstantiæ variæ, testes veritatis optimi. Ab anno nimirum 1158. usque ad annum 1177. maximè diffidebant duo Pontifices Romani Hadrianus IV. & Alexander III. ab Imperatore Ænobarbo; omnis generis media adhibebantur, ut sua pax redderetur Ecclesiæ; instabat uterque Pontifex crebris monitis & minis crebris: quas tamen omnes eludebat Fridericus victoriis clarus, Minas tandem secutum est Ecclesiæ fulmen, censura nimirum Ecclesiastica, quam Ænobarbus ita contemnebat, ut Pseudo-Pontifices per multos annos custodierit ac defenderit; legitimos verò Pontifices modis acerbissimis habuerit, atque adeò Ecclesiam longissimo schismate summè affligerit. Universos itaque facilè incessisset desperatio de pace à Friderico Ecclesiæ unquam reddenda, nisi tandem supremus omnium in bellis maximè Dux DEUS Venetis contra Fridericum concessisset victoriam gloriosissimam, qua amissa victus Cæsar humanæ infirmitatis ac inconstantiae memor Alexandro Pontifici pacem dare, & ab eodem accipere constituit. Acceptò lætò pacis nuntio vix non gaudiò exultabat cum Venetis Alexander, factus denique compos voti sui & desiderii ardentissimi,

quo



quo conciliari Cæsari longo tempore peroptabat. Conveniunt itaque Venetiis & Pontifex & Cæsar; hic pœnitentiæ causâ in conspectu omnis populi in foro D. Marci adgeniculatur Pontificis pedibus, & mox anathemate solutus Ecclesiæ communioni restituitur; stabilitur pax, varia amicitiae testimonia inter pacis arbitros exhibentur, urbs tota & mare festivis ignibus collucent, adornantur convivia, nihil omittitur, ut augeatur lætitia. Venetiis tandem Pontifex Anconam proficiscitur, cui comitem se jungit Cæsar; Anconæ valedicitur amicissimè, conservatur pax ab anno 1177. usque ad annum 1186. Et tamen Alexander tam durum in modum excepisse, atque Ecclesiæ restituisse Fridericum Cæsarem scribitur? istud ut credat, in animum suum haud inducet Christiani nomine dignus homo; credat igitur Judæus apella. Erat quippe Fridericus, ut ejus pene omnia facta perhibent, genii bellicosi, ad iram pronissimi, animi elati, grandis supercilii, cunctis imperare, nemini obedire parati. Et tamen talem ac tantum Imperatorem sibi devincire studuit Alexander haud alia oratione, quam qua compescere consuevit Hercules aspides, serpentes & dracones, dum horum capita contrivit & fauces elisit. Fuisset hoc profectò oleum flammis affundere; fuisset hoc Cæsarem ad nova bella provocare, pacem Italiæ finibus proscribere, toti Ecclesiæ jam afflictissimæ afflictionem novam addere.

Demus tamen & hic adversariis aliquid, demus esse Historiam, quam fabulam diximus; demus Alexandrum ita veterum injuriarum sibi & Antecessoribus suis illatarum memorem, sui verò ita oblitum fuisse, ut Cæsaris caput pede premens fulminis instar voces has emisit: *super aspidem &c.* an idcirco solus criminis reus sit Alexander? an à scelere purus omnino Fridericus? agedum, finge pauca, ut transferas hunc Alexandri errorem aut furorem in Fridericum, ita tamen, ut errores & furores à Friderico commissos transferas in Alexandrum. Quis sic, amabo magis erit reus, an Alexander, an Fridericus? aut si mavis, obliviscere parumper & Pontificis & Cæsaris; personas ne respice, rem æquus judex attende, & dic sententiam. Si sic judicaveris, Alexandrum criminis postulare profectò formidabis; cum Friderici crimina silentii tui palliò tam dextrè tegere priùs laboraris.

Quadrare huc poterit perbenè Caroli V. Imperatoris ad Franciscum I. Galliae Regem dicta aut scripta sententia; *homo sum, nihil à me*

*R. P. Kolb Series Pont. Pars II.*

Ee

alie-



*alienum existimo.* Sunt enimvero homines etiam Imperatores potentissimi, sunt obnoxii multis erroribus, & fuerunt saepe obnoxii sceleribus; indulgendum tamen ipsis non parum fuit, cum plurima sint, quae vel excusationem permittunt, vel accusationem non admittunt. Id probè observârunt & Magdeburgici, & Hübnerus, & plerique alii Historici etiam A-catholici; hinc solerter excusant, vel saltem non inculant Ottones, Henricos, Fridericos &c. Occidentis Cæsares. Pari ratione si non de crimine omnino absolvant, saltem non insimulant Constantium, Constantem I. & II. Justinianum, Constantinum Copronymum &c. Orientis Imperatores, etsi tum in Romanos Pontifices, tum alios Orthodoxae Ecclesiae Episcopos admiserint scelera hi Imperatores: ob quae tyrannorum potius, quam Imperatorum sunt promeriti nomina. Si itaque in Imperatores, aut horum crimina atque errores tanta scribendi moderatione uti licet ac libet, cur in Pontificum errores tam severa virgula animadverti oportet? non enim ipsi minùs quàm Carolus V palam profitentur in hunc ferè modum: *homo sum, nihil humani à me alienum existimo.* Homines nimirum fuerunt Pontifices omnes, errare & peccare potuerunt, si Fidei Dogmata & Morum Decreta universae Ecclesiae promulgata ex communi Doctorum sententia excipias. Errârunt in rebus aliis Pontificum satis multi, scelera tamen ex tanto eorum numero admiserunt pauci; quae si comparare lubeat cum gravitate & numero eorum criminum, quae commiserunt tum in Occidente, tum Oriente Cæsares, tantum discrimen patebit, quantum intervenit inter Solis maculas & ejusdem eclipses. Etsi igitur Pontificum quosdam sit deprehendere, quos fervor nimius, aut, veluti ajunt, Eliae zelus adversus Imperatores accendit nimium, ejus tamen Historici nemini displiceat sententia, qua sic pronuntiavit: homines fuerunt & Pontifices & Imperatores; sed hi magis, illi longè minùs. Lege hac super re etiam P. Ott Observat. 1. Secul. 12. ubi eos confutat, qui scripserunt haec de Alexandro III. & Friderico Aenobarbo fabulam.

#### Responsio V. ad V.

**H**ADRIANUM IV. à musca guttur subito occupante suffocatum fuisse scripsit equidem Conradus Urspergensis, quem nimium creduli & incauti secuti sunt Historici non Pontificii, Hübnerus & alii; sed quàm parum



rùm hac saltem in parte fidendum sit huic Conrado, suomet abundè prodidit calamò; scripsit enim Hadrianum, postquam Fridericum Imperatorem anathemate confixerat, quamprimùm à musca guttur premente occisum fuisse. Quid tu ais Conrade? an Hadrianus IV. Fridericum I. anathemate confixit? quis hoc scribendi author tibi? revolve amabo accuratiùs tempora, respice Chronologiam, lege attentius Historiam. Annum invenies 1160. quo anathematis sententiam in Fridericum pronuntiavit Alexander III. non verò Hadrianus IV. hic enim an. 1159. jam fatis concessit. En! quantum cohæreant tempora, quibus nescit contradicere vera Historia! si tamen, quod fingere libeat, Divina Nemesis Hadrianum IV. ob hanc sententiam contra Cæsarem latam è medio quamprimùm sustulit, & quidem muscæ volatu; cur similis pœna non excepit Alexandrum III qui annis 22. Pontificatum tenuit, licèt Ecclesiæ interdictò Fridericum Cæsarem è communione fidelium exclusit? potior itaque nobis sit omnium aliorum Veterum Historicorum calamus, qui lentò anginæ morbò Hadrianam denique extinctum scripserunt. Hi idcirco Scriptores Hübnero aliisque similibus muscarum venatoribus meritò apprecantur muscarium, ut procul ab eorum libris pellantur muscæ; hoc est, palpabiles passim errores, quos pace mea dixerint alii aperta mendacia.



E c 2

SERIES



SERIES  
ROMANORUM  
PONTIFICUM.

PARS III.

*Seculum Decimum Tertium.*

CLXXV. Innocentius III. Anagninus  
Italus.

**I**ANNES Lotharius juvenis nobilissimus de Comitum Signiæ natus stemmate, litteris strenuam navavit operam Romæ, Parisiis, & Bononiæ, ubi vis verò locorum virtuti prorsus eximia, Annò ætatis suæ 37. jam creatus summo omnium Electorum consensu Pontifex, auguriò cœlestis columbæ novo electo Capiti infidentis est confirmatus. Augurio huic jam vates præluserat moriturus Cœlestinus III, fuit enim Innocentius III. ille ipse Joannes à S. Paulo D. Priscæ Cardinalis, quem Cœlestinus sibi successorem optavit optatis secundissimis. Constitutus atque confirmatus hac ratione Pontifex Innocentius, summa autoritate regebat Christianos Principes, quorum *Moderator & Ludimagister* per jocum sæpe fuit vocatus. Et sanè in Innocentio Magistrum suum expertus est Philippus Sueviæ & Hetruriæ Dux, Ottonis IV. Imperatoris adversarius magis, quàm æmulus, quem cognitâ causâ ab Impe-



rii solio repulit, Ottonem verò Cæsarem coronavit multa dictò sacramen-  
tò promittentem, minimè verò promissis respondentem, & hanc ob rem  
anathematis sententiam in se provocantem. Sententiam similem dixit In-  
nocentius contra Suenum Norvvegiæ Regem, ob tyrannidem in subditos  
exercitam; & contra Vladislaum Polonorum Ducem Sacerdotibus nimis  
infestum; pariter etiam contra Joannem Angliæ Regem, ob durissimum  
jugum subditis impositum; nec non contra Ludovicum VIII. Regem Gal-  
lorum, qui tamen ferè ante latam sententiam resipuit; & tandem etiam  
contra Episcopos Herbipolensem, Narbonensem, & Coloniensem, Pon-  
tificis dictò minus obedientes. Duriora his omnibus, sed suâ etiam cul-  
pâ maximâ, passi sunt Albigenes hæretici, contra quos Galliæ Reges ac  
Duces animavit strenuè Innocentius, & quidem tantò Superûm beneficiò,  
ut ingens hæreticorum numerus fuerit cæsus, victorum ex parte sex viris  
solum desideratis. Majus prodigium vidit Hispania, in qua, Innocentio li-  
cèt eminus auspice, contra 400000. Saracenorum pugnârunt Christicolæ  
numerò longè pauciores, sed virtute ita majores, ut, ducentis hostium  
millibus trucidatis, reliquos in fugam conjecerint, triginta tantùm è victo-  
rum, hoc est, Christianorum numero cadentibus. Hactenus Innocentium  
severum Ecclesiæ hostium vindicem experti sumus: benignissimus è con-  
trario in omnes ferè alios fuit; Carolo enim Bulgarorum Duci coronam  
regiam misit; Armenorum Regi regia insignia donavit; Bohemis primum  
Regem præfici curavit; Petro Aragonum Regi ipse coronam regiam im-  
posuit; Strigoniensi Episcopo Pontificias litteras misit, quibus Hungaro-  
rum Regem coronare est jussus. Verbò: omnis generis ac conditionis ho-  
mines innumeris pene donis ac beneficiis honoravit, *clementissimus ac*  
*munificentissimus Pontifex* passim vocatus. Hoc eodem authore celebratum  
est Concilium Oecumenicum Lateranense V. omnium Conciliorum à nu-  
mero & dignitate Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiscoporum, Epi-  
scoporum, ac aliorum Patrum, nec non totius orbis Legatorum celeberrim-  
um; & ideo *Magnum* dictum. Innocentii III. autoritate etiam quatuor  
Ordines celeberrimi Romanam Ecclesiam ornare, ac per orbem univer-  
sum promovere cœperunt. Primus eorum venit institutus à D. Dominico  
an. 1205. Alter inchoatus à D. Francisco 1209. Tertius est Fratrum Ere-  
mitarum D. Pauli I. Eremitæ, in Hugaria à D. Eusebio Strigoniensi fun-  
datus



datus an. 1215. Quartus denique à Sanctissima Triade nomen habet, cui in Monte Coelio Romæ initium dedit Joannes de Matha an. pariter 1215. Atque hos Ordines Religiosissimos, velut quatuor Ecclesiæ columnas solidissimas, Honorius III. Innocentii III. Successor solemni ritu Romæ confirmavit. Hæc aliæque plurima singulari encomio dignissima per annos 18. patravit, quibus exactis infirmitati corporis succubuit ultimæ, in qua, teste D. Ludgarde, ob *tria latentia peccata* summè de æterna animæ salute fuisset periclitatus, nisi opem præsentissimam tulisset morientium Patrona maxima Virginum potentissima an. 1216.

## CLXXVI. Honorius III. Romanus.

**I**LLUSTRI Sabellorum genere natus Centiusque vocatus, Perusii omnium suffragiis electus est in Romanum Præfulem. Perusio cum Romam attigisset, mox sacrum bellum, et si Europa pene tota pugnis ac præliis foret intenta, ardore summo accendit, datis ad Hierosolymorum Regem litteris solatio plenis, missis eò tandem etiam Germanorum ac Hungarorum auxiliariis copiis. Tam piam causam in dies promoturus magis, prope Romam in basilica D. Laurentii Petrum, Henrici Imperatoris quondam in Oriente filium natione Germanum, Imperatoris luffignibus ornavit, impositâ tam Petro, quàm hujus conjugi Augustæ Jolanthæ coronâ Imperatoriâ. Friderico II. Imperatori Occidentis in basilica Vaticana an. 1220. similem honorem exhibuit, qui cum in Cæsarem fuisset inauguratus, multâque proficua dicto sacramentò more Antecessorum suorum Ecclesiæ promississet; bellum tamen sacrum potius impedivit, quàm promovit; sacra insuper jura violavit, perjuriò & multiplici scelere interdictum Ecclesiæ in se provocans. His atrociora addere visus est permultis Imperator, dum tristes Ecclesiæ inducias pactus fuerat cum Suldano; à quo equidem Crucis Sacratissimæ Lignum Christianis redditum, urbs verò Damiana à Germanis nuper expugna a, Barbaris rursus fuit restituta, postquam Christiadûm exercitus ad viscera Ægypti usque penetravit, victoria verò penes Ægyptios, aut veriùs loci naturam stetit: devictorum enim Christianorum exercitus Nili fluctibus quaquà-versus erumpentibus pene totus immerfus interiit, stupentibus cunctis ad eventum rei tristissimum Divini Numinis judicia. Tot rebus adversis major quidem esse studeit Honorius, ut novos adderet animos viris Principibus desperatione torpen-



torpentibus; dum verò totus fuit in restituendo bello sacro, atque in conciliando sibi Cæsaris affectu, ab hoc autem inani spe se lactari animadvertit, rerum humanarum maximè pertæsus dissolvi cupiit, ut esset cum Christo, cui se atque Palæstinæ causam totam relictam esse voluit, an. Sed. 10. Salutis humanæ 227. mort.

## CLXXVII. Gregorius IX, Campanus.

**A**NAGNIÆ natus inter Signiæ Comites præclarum nomen sortitus est ob Innocentium III. etiam, cui sanguinis propinquitate fuit proximè conjunctus. Wione teste in Congregatione Camuldulensi D. Benedicū regulam professus fuit, postquam sibi sacræ Scripturæ & tam Pontificii, quàm Cæsarei Juris raram sibi notitiam comparaverat. Ostiensis deinde Cardinalis ab Innocentio III. constitutus, Honorio III. quæ consiliis, quæ auxiliis præstò fuit. Tandem invitus licèt conscendit D. Petri solium, in quo dum bello sacro restituendo intendit omnes animi vires, retardatus magna ex parte fuit ab Imperatore Friderico voti sui, quo se contra Saracenos pro Palæstina obstrixerat, solutionem in dies & annos differente, Italiam verò bellis infestante. Ob has aliasque causas gravissimas anathema ab Honorio III. promulgatum à Gregorio IX. renovatum fuit, quo territus Fridericus Syriam cum exercitu petiit Suldani faciliè futurus victor, nisi cum eodem pacem iniisset Ecclesiæ summè noxiam. Interea Gregorius à Romanis civibus majorum more ad restituendam Rempubli cam inclinantibus ter Româ pulsus, ter Romam à periclitantibus Romanis revocatus venit, præcipuè verò tunc temporis omnium expetebatur suspiriis, cum Tyberis eluvio, & hanc secuta tames ac pestis civium plurimos absumpsit. Tot pressus malis Pontifex Gregorius exemplo suo animavit Christiani populi cœtus, ut sibi propitios redderent Divorum favores; eam ob rem etiam totius Ecclesiæ venerationi proposuit DD. Dominicum, Franciscum Seraphicum, Antonium Paduanum, Virgilium Salisburgi Archiepiscopum, & Elisabetham Lusitanæ Reginam, quorum patrocinis se juvari plurimùm professus est palàm & Pontifex, & Romanus populus. Confirmavit adhæc D. Petri Nolasci novum Ordinem pro redimendis à Saracenorum potestate Hispanis præcipuè institutum. Cæterum Fridericus Imperator etsi denuò Ecclesiæ sacris restitutus, & à Gregorio Pontifice amicissimè habitus; denuò tamen hostis



hostis Ecclesiæ omnium infensissimus ejusdem bona in Italia præsertim summa vi invasit ac rapuit, Romæ etiam exitium ultimum minitatus. Meritò igitur solenni sententia ab Orthodoxorum cœtibus exclusus denuò à Pontifice prorsus immeritò appellavit ad Concilium; quod tamen ne congregaretur à Gregorio, nemo magis impediit quàm Fridericus: Pisano- rum enim opera adjutus Genuam misit classem suam, quæ cùm & numero & viribus superior foret classe Pontificis, hæc à Cæsareanis victa succubuit, Episcopis multis in mare demersis, aliis Neapolim in captivitatem abstractis. Tot ergo malis senioque penitus confectus Gregorius mortem provocavit an. 1241. Sed. 14. propè centenarius, cujus memoriam haud facillè obliterabit ulla natio aut atas, ubi nimirum & quamdiu flore- bunt sacrorum Canonum peritissima Collegia, in quorum solatium in lucem e- didit Decretalium libros, qua in re strenuam ipsi commodavit operam D. Raymundus de Pennafort, D. Dominico par filius & discipulus.

### CLXXVIII. Cœlestinus IV. Medio- lanensis.

**D**IE ab obitu Gregorii IX. trigesimo post dissensiones varias, aut veriùs ob multiplices obices ab Imperatore Friderico positos, Electores Pontificii in Gaufridum Castilionem pernobili è familia Mediolani natum, & indè Sabinorum Episcopum Cardinalem creatum consenserunt. Breviori tempore Summam Sedem occupavit Gaufridus Cœlestini IV. nomine appellatus Pontifex; die enim ab electione sui octavo supra decimum horam finiit ultimam. Eodem tempore Fridericus Imperator in captivitate durissima detinebat complures Cardinalium, quorum liberatio dum à Ludovico Gallorum Rege Sanctissimo, & Balduino Orientis Imperatore ardentibus & armatis precibus fuit crebriùs ex- petita, annus pene geminus præterfluxit, tanto tempore Ecclesiæ ovili sine Pastore etiam Principe derelicta, lupis palàm impunè grassantibus.

### CLXXIX. Innocentius IV. Genuensis.

**S**INIBALDUS Fliscus ex Lavaniæ Comitum stirpe progenitus, inter D. Benedicti Monachos in cœnobio D. Benigni juventutis suæ an-  
nos



nos optimè collocavit; Cardinalis deinde D. Laurentii, & demum Anagninæ electus Pontifex Innocentii IV. sibi nomen dedit. Ob Jurisprudentiæ singularem peritiam passim *Canonistarum Splendor & Juris Parens* dictus, totius denique Ecclesiæ Pater jure optimo dici promeritus fuit; qui etsi vellet maximè subvenire Palæstinæ, & Imperio Constantinopolitano; ab Imperatore tamen foeditrago pertinaciter impeditus & impugnatus est adeò, ut Pontifici primùm vitam per trecentos equites Sutrium missos; dein verò per subornatos duos sicarios eripere constituerit. Concilium Lugdunensè hanc etiam ob causam congregavit Innocentius, in quo tamen secus, quàm promiserat, comparuit Cæsar Fridericus, rursus communi omnium Patrum consensu proscriptus atque depositus. Multiplicatæ ob hanc Patrum sententiam injuriæ sunt non modò in Innocentium, sed Clericos ac Monachos universos à Friderico, imò ab hujus etiam filiis Conrado & Manfredo: quorum postremus, sublato violenta morte patre ac fratre, coronam regni Neapolitani è Pontificis manibus sibi porrigi petiit, sed spe sua delusus Saracenorum se amicum probavit; horum enim adjutus auxiliis Innocentii IV. copias fudit ac profligavit. Tanta tulit hic Pontifex, ut majora, imò maxima constanter ageret, inter quæ & hoc numerandum, quòd ante Concilium Lugdunensè Ecclesiæ Cardinalibus rubri pilei usum concesserit cum dictis: essent memores amittendi sanguinis pro Ecclesiæ bono. Et id sanè suadebat necessitas ab Imperatore *sanguinario*, uti Itali vocabant, toti Ecclesiæ imposita. Post finitum Concilium diebus septem continuis egit Innocentius cum D. Ludovico Gallorum Rege, ut belli sacri progressum facerent. Cæterum in Divorum numerum adlegit D. Edmundum Cantuariæ Archiepiscopum, D. Stanislaum & D. Guilielmum Episcopos, ac D. Petrum Martyrem ex D. Dominici familia virum quondam pro Fide fortissimum. Inter Martyres meritò etiam Innocentium numerabimus, si 11. annos in Pontificatu transactos spectabimus, quorum ultimus fuit 1254.

### CLXXX. Alexander IV. Anagninus.

**R**AYNALDUS primùm vocatus fuit, dum à patre Philippo Signiæ Comite genitus inter Innocentii III. ac Gregorii IX. Pontificum pronepotes numerari cœpit. A D. Benedicti deinde Monachis liberalibus disciplinis ritè instructus, cum diu inter Canonicos Ecclesiæ



clesiæ Anagninæ summa cum laude versatus fuisset, ac Ostiensem simulque Veliternum Episcopatum Cardinalis rexisset, ad Pontificiæ dignitatis apicem sublato è vivis Innocentio IV. ascendit. Turbatissima in Imperio res erat ea ætate ob mortem Conradi IV. Imperatoris, Viris Principibus, quem in Cæsarem eligerent, aut postularent, diu multumque hærentibus. Sua-dente demum Alexandro, Imperii Electores minimè Conradinum Conradi Imperatoris filium admodum parvulum, sed alii Alphonsum Sapien-tem Castellæ Regem, alii Richardum Anglorum Regis fratrem in Impera-torem elegerunt, præbentes ansam viginti annorum interregno; quo temporis intervallo Manfredus Friderici Imperatoris notus, Saraceno-rum amicus, Ecclesiæ hostis infensissimus cum socio sibi simillimo Ezeli-no in Sicilia & Italia tota, præcipuè verò in ditione Pontificia omnia po-pulabantur. Pessimè etiam res in Asia & Orientis imperio successerant: D. Ludovicus enim Galliæ Rex crucigerorum militum supremus Dux à Saracenis captus, datâq; auri summâ gravissimâ in libertatem assertus æ-grè in Galliam suam fuit reversus. Interea Michaël Palæologus Con-stantinopoli imminere in dies cœpit magis, erepturus Latinis Imperatori-bus Balduinis Imperium per stratagema Græcis reddendum. Tot jam circumventus malis Alexander IV. Romam ipsam relinquere fuit coactus: Pantaleon enim homo facinorosus è carcere ab amicis clam educus, & vir Senatorius, imò Patritius Romanus constitutus, vni facere extremam Pontifici parabat, qui Viterbium fugiens asyli locò invenit tumultum annò Sedis 6. Christi 1260. postquam doctrinam Wilhelmi Santamoris Pari-siensis Doctoris & flagellantium Hæreticorum sectam condemnavit; me-lioris verò notæ Doctoribus insigniter favit, Christianos Principes ad bel-lum sacrum promovendum animavit, Episcopos permultos officii seriò commonefecit, ac in Divorum numerum D. Claram Monialem adscri-psit, simulque rarissimum miraculum sacris Christi Vulneribus in D. Fran-cisco Seraphico expressum toti Catholico orbi manifestavit, in majus ve-ritatis testimonium additis his aut similibus verbis Pontificiis: *Pontifex A-lexander IV. vidit.*

### CLXXXI. Urbanus IV. Campanus Gallus.

**E**X Sutoris filio Jacobo Trecenti dicto metiri licet, quantus virtuti ac doctrinæ pateat honoris gradus: ex juvene enim Jacobo Jurium peri-



peritissimo creatus Archidiaconus Leodiensis, ex hoc verò Patriarcha Hierosolymitanus, & demum ex Patriarcha consecratus Episcoporum Supremus summorum ac infimorum preces atque suffragia invocavit, testatus orbi universo, sese singulorum ac universorum sacris subsidiis summo perè indigere. Manfredus tunc temporis Italiam armis infestis plurimum infestavit, totum virus, quod adversus Alexandrum IV. conceperat, nequaquam mutato animi affectu in Urbanum IV. exoneraturus. Contra tantum igitur hostem Ecclesiæ D. Ludovicus auxilia misit afflictæ Italiæ, cum copiis illuc veniente Carolo Andegavensi Ludovici Regis fratre: cuius itaque armis succubuit tandem Manfredus, & successu temporis etiam Conradinus Conradi IV. Imperatoris filius Dux Sueviæ ultimus. Cæterum in curis primis nunquam non habuit Urbanus IV. bellum sacrum, cui ut vigorem tribueret maximum, festum diem Dominici Corporis toti Christiano orbi voluit esse sollemnissimum. Eum in finem D. Thomas Aquinas, M. Alberto Magistro par discipulus, composuit sacros rhythmos toti Ecclesiæ hodie dum usitatissimos. Lessum verò cecinit Urbano Ecclesiæ an. 1264. Sed. 3. postquam D. Claræ Regulam comprobavit.

## CLXXXII. Clemens IV. Narbonensis Gallus.

**G**ENITOREM nomine Fulcodium haud ignobilem nactus est, qui defuncta conjugē Carthusiam petiit, filius verò ex litterarum studio miles, ex milite maritus factus ex uxore nobili duas spectatæ pudicitæ & virtutis suscepit filias, quæ teste D. Antonino coelestem Agnum secutæ, inter sacras sibi que pares Virgines, vitam morte beatissima coronârunt. Uxore mortua patris vestigia ex parte secutus officio perhonorifico renuntiavit: relicto enim sagò togam indutus à secretis esse studuit D. Ludovico Francorum Regi, à quo, ob raram Jurisprudentiæ peritiam maximi æstimatus, præclarum in aula regia atque inter Doctores adeptus est nomen. Certè Durandus ejus temporis in Gallia Episcopus & Juris-Consultus celeberrimus non dubitavit Guidonem Grossum, postea Clementem IV. *Lumen Jurisprudentiæ* appellare. Verùm & hoc relicto munere consecratus primùm Sacerdos, dein verò Sabinensis Episcopus, & mox Archiepiscopus Narbonensis ab Urbano IV. Cardina-



hum numero fuit insertus, Legatus Pontificius in rebus maximè arduis futurus, Tandem licet absens in Pontificem electus Romamque ex Anglia, ubi Legati munere defunctus fuerat, redux inveteratos belli tumultus sedare laboravit majori velocitate quàm felicitate; contra Manfredum enim continuò vocavit Carolum Andegavensem, quem imposità coronà regià Siciliae Regem inauguravit. Hic ipse Manfredi, & tandem etiam Conradini Suevorum Ducis ea ætate ultimi victor, victoriam suam turpissimà vindictà foedavit, Neapoli in foro publico, spectante immensa propemodùm populi multitudine, Conradinum cum Friderico pariter ultimo Austriae Archi-Duce carnificis manu occidens. Instinctui equidem ac consilio Clementis carnificinam hanc adscribunt Historici, præsertim Lutheri affecta imò & alii, Verùm melioris notæ authores Clementis IV. mansuetudinem singularem atque in omnes clementiam toti, ut ajunt, orbi notissimam procul ab hac culpa gravissima abfuisse fatentur. *Vide Reflexiones.* Sedatis Pontifex tantis in Italia tumultibus omnem curam intendit, ut Palæstina è Turcarum eriperetur manibus, Verùm eorundem jugo prorsus barbaro Antiochiam succubuisse, adhæc septem supra decem Christianorum millia trucidata, centum verò facilè millia in captivitatem durissimam abstracta fuisse, subitò tristissimus attulit nuntius, quem tamen nec spectavit, nec expectavit Clemens à morte præventus an; 1268 Sed. 3.

### CLXXXIII. Gregorius X. Placentinus,

**T**RIBUS annis tribusque mensibus Summa Sedes viduata permanfit: monitis igitur D. Ludovici & Caroli Galliae & Siciliae Regum persuasi tandem Purpurati Patres elegerunt Theobaldum è Vice-Comitum stirpe oriundum Placentiae. Quantus hic fuerit jam in flore ætatis suæ, prodidèrè testes litteræ, quibus posteris descriptum ac commendatum voluerunt eidem constituti moderatores; hunc enim in modum de eo scripserunt: *fuit Adolescens Theobaldus nomine, Placentinus natione, nobilis quidem genere, sed moribus nobilior. Hic, quam ex Vice-Comitibus Placentinis originem traxerat, vita munditiâ & venustis moribus condecorare studuit. Hic, quem virum esset producturus in posterum, in primævo suæ juventutis flore monstravit, quia ex tunc ita virtutis insigne in eo retinuit, ut morum normâ spe-*



*vulum existeret quàm plurimis honestatis.* Juventutis annos emensus ex Italia in Belgium translatus Leodii Canonicum, & Ardvennæ Archidiaconum egit præclare: verùm ab Henrico Gueldero Episcopo, cujus scelera constanter detestatus fuerat Theobaldus, adeò acerbè fuit habitus, ut pedis calce ab eo etiam fuerit impeditus. Relictò igitur Belgiò Hierosolymam iter instituit. In Syria tunc agebat, cùm in Pontificem elegerunt Cardinales Theobaldum; ibi itaque locorum de sui electione acceptò nuntiò, conversa Hierosolymam facie ac voce, eam hīs verbis ex regio Psalte depromptis solatus est: *si oblitus fueris tui Jerusalem, oblivioni detur dextera mea; adhareat lingua mea faucibus meis, si non proposuero te in principio latine meae.* Psalm. 136. Relicta tum Orientis plaga Viterbium in Italiam pervenit, ubi absque mora classem in subsidium Palæstinæ dimittendam jussit expediri. Hanc aliàsque ob causas gravissimas Concilium Lugdunense II. convocavit, cui ipso Supremo Præsidente interfuerunt Patres Græci Latinique ultra mille. Hos inter numerandi venerunt etiam DD. Bonaventura & Thomas Aquinas, quorum hic tamen in via, alter durante Concilio mortuus universæ Ecclesiæ luctum reliquere. Finita Synodo in Italiam redux Alphonsus Castellæ Regem ex Hispania adventantem Imperii coronam relinquere docuit; consulturus verò magis Germaniæ atque Italiæ rebus, Rudolphum Habsburgicum contra quosvis æmulos defendit Imperatorem, cum quo Lausonii res momenti maximi transegit. Expeditionem sacram si ullus Pontificum Christianis Principibus ardentissimè commendavit, is certè Gregorius X. fuit; eodem tamen moriente ipsa fere penitus expiravit, postquam paucis abhinc annis D. Ludovicus sacri belli promotor ardentissimus pestilentiæ morbò fuit extinctus, cæteri verò Europæ Reges occupandæ Palæstinæ spem omnem amisere. Ansam omnittendi belli sacri præbuerunt Græci quoque, quorum schisma instar vulneris nondum bene sanati identidem recruduit magis, cùm tamen paulò antè Latinos inter & Græcos in Concilio novam concordiam stabilire magnoperè laborasset Gregorius; qui dum Aretii Annò 1276. Sed. 4. mortem soli sibi optatissimam in horas singulas præstolabatur, novam eligendi Pontificis methodum, ad decem dierum nempe angustias restrictam introduxit, quem in finem Bullam edidit etiam, haud tamen longo tempore valituram. Demortui Gregorii cadaver laudatissimo



cultu profecuti sunt plurimi, qui multis ab ejus obitu annis nulla sui parte corruptum invēnere.

## CLXXXIV. Innocentius V. Burgundus.

**P**ETRUS Tarentasiensis à Tarentasia Burgundiæ municipio vocatus, ob singularem rerum omnium, quæ ex variis ejusdem commentariis elucet, notitiam, licet absens, in Pontificem electus est Aretii. Ex Ordine D. Dominici nuper confirmato in Archiepiscopi Lugdunensis, & mox in Ostiensis, ac tandem in supremi Sacerdotis Sedem, veluti per tres excelsiores gradus ad summum dignitatis apicem enisus est. Hoc in sublimi loco constitutus continuo orbem Orthodoxum circumspexit, ut prodesset omnibus, nemini deesset. Christianos maximè Principes ex morte Gregorii Antecessoris sui languidos, & ad bellum sacrum minùs jam promptos ac paratos animavit, ut Palæstinæ afflictissimæ cum copiis succurrerent. In Italia Hetruscos in perniciem Pisanorum conspiratos, Genuenses quoque ac Venetos inter sese acerrimè decertantes propositâ anathematis poenâ compescuit: Florentinos proinde Pontificis mandato brevè obedientes interdicto Gregorii X. absolvit. Multa alia eaque ardua, ut refert Oldoinus, moliebatur Innocentius, & quidem ad rem Christianam conservandam atque augendam perquam apta & idonea, quæ tamen mors eo in rerum articulo Ecclesiæ acerbissima abruptit an. 1276. m. Sed. 5.

## CLXXXV. Hadrianus V. Genuensis.

**E**X perillustri Flischorum sanguine natus Lovaniæ Comes, Innocentii IV. nepos, septuaginta duorum Cardinalium ex eadem familia progenitorum propinquus Ottobonus vocatus, ab Urbano IV. Legatus, contra Manfredum Siciliæ veriùs tyrannum quàm Regem, cum copiis militaribus missus de Saracenis reportatâ victoriâ triumphavit. A Clemente IV. in Angliam, Scotiam, & Hyberniam abire jussus venit, congregatòque Westmonasteriensi Concilio, convocatis deinde ex Germania & Gallia, annuente Cæsare ac Gallorum Rege, auxiliis rebelles partim Episcopos, partim laicos Principes quæ sacræ quæ profa-



profanis armis Eduardo IV. restituit, Angliæ rebus compositis, bellóque sacro in Synodo Lundinensi universis ejusdem regni Statibus enixè commendato, in Italiam rediit: ita tamen, ut mox in Hispaniam transierit Castellæ, Aragoniæ, ac Lusitaniæ Reges ad expeditionem sacram adhortatus. Ob tot ac tanta in Ecclesiam merita promulgatus denique Pontifex, Rudolphum Cæsarem contra Carolum Siciliæ Regem Romæ infestissimum invocavit; Bullam verò Gregorii X. de Summo Pontifice intra decem dierum compendium à morte cujusvis Antecessoris Pontificis deinceps eligendo, tanquam nimis severam abrogavit, fortassis hanc etiam ob causam è vivis citiùs ereptus, annò scilicet 1276. die Pont. 40.

## CLXXXVI. Joannes XIX. dictus XXI. Lusitanus.

**E**X Medicorum Syllabo in Sacerdotum, dein verò Episcoporum, ac demum Cardinalium numerum transcriptus, etsi à Ptolomæo Scriptore Lucensi haud admodum laudatus, à Platina verò apertè reprehensus fuerit; argumentis tamen ex Veterum Historia petitis eundem hisce encomiis afficit nostri temporis Historicus natione Germanus, sua in Historia Latinus: *Joannes inquit, XIX. Philippum Galliarum Regem, ne arma, quæ in Saracenos vertenda erant, Christianorum cruore imbueret, monitis abster- vuit: Alphonsum Castellæ Regem intentatis censuris, sublato cum Gallis bello, ad ferendum terræ sanctæ subsidium compulit: Paleologum Græcorum Imperatorem, ut staret promissis in Concilio Lugdunensi susceptis, permovit: Guidoni Flandriæ Comiti, qui se expeditioni Syriacæ obstrinxerat, pro instruendo bellico apparatu decimas Flandriæ attribuit. Censum è regnis Angliæ & Hyberniæ pro necessitate Romanæ Ecclesiæ expevit & recep- pit ab Eduardo Rege Anglo. Apocrisarios ad Magnum Cham Tartaro- rum Principem magnò rei Christianæ emolumentò misit &c.* Hisce aliisque en- comiis illud meritò accedit, quod à litteratis obtinuit litterarum & littera- torum æstimator maximus, in quorum subsidium ac solatium amplissimos redditus subministravit, ob id unum reprehensus à multis, quòd de litteris mallet loqui, quàm de Pontificis munere, cujus magnam partem Joanni Cajetano Cardinali reliquit. Haud multis ante mortem diebus  
Joanni



Joanni Pontifici astrorum malè peritus prædixisse fertur tempus Pontificatus longum satis, quod tamen mensibus 8. duntaxat duravit; Viterbii enim dum dormiret, repentinâ cubiculi recens constructi ruinâ oppressus post sex dierum intervallum exspiravit, luens fortassis culpam Pseudo-Prophetæ sui & suam, an, 1277.

## CLXXVII. Nicolaus III. Romanus.

**S**ublatâ Gregorii X. Bullâ veluti abjecto frenô Cardinales liberrimi alii Gallum, Italum alii eligendum esse censuerunt, electione Pontificia in sextum usque mentem ob discordias dilatâ. In Joannem denique Cajetanum, seu Nicolaum III. nobilissimis natalibus, familiâ videlicet Urfinâ Romæ progenitum, & post varia in Ecclesiæ emolumentum obita munia in basilica DD. Apostolorum Principis Archipresbyterum creatum consenserunt; cui etiamnum parvulo D. Franciscus Assisias Pontificatus honorem vates prædixerat. Pontificia igitur dignitate conspicuus ita rem egit suam & Ecclesiæ, ut à plurimis fuerit summè laudatus, à nonnullis tamen vituperatus maximè, quod in quatuor partes dividere Romanum cogitaverit Imperium; Carolum verò Sicilia Regem plus æquò persecutus fuerit, adimens eidem præter alia Romani Patritii titulum. Adidè e Historici quidam, Nicolaum affectui amoris nimio in affines & suos consanguineos indulgisse. Duos certè Reges de sua familia creare secum jam statuisse fertur, quorum alter Hetruriæ Rex Gallos, Siciliam & Neapolim tenentes, in officio contineret: alter Rex Longobardiæ montanos Germaniæ populos à superiori Italia procul arceret: duo Reges reliqui Germaniæ & Hungariæ cum superiori Austria & finitimis regionibus præfiderent, quorum prior ex Rudolphi Habsburgici filius, posterior ex ejusdem Rudolphi filia Caroli Martelli Hungarorum Regis conjugis filius descenderent. Quanti hæc nova Nicolai Pontificis desideria æstimârint cum Romanorum Imperatore Germaniæ Viri Principes, haud liquet; ex horum tamen omnium consensu Exarchatum Ravennæ Pontifici restitutum à Rudolpho Imperatore fuisse, testantur Bulla & privilegia Vaticanæ bibliothecæ præsentissima. Bullam alteram priori adjectam inveniri ajunt, qua cautum voluit, ne ullus Romanorum Impera-

Impera-



Imperatorum deinceps, aut Regum aut quisquis alius Romani Patritii nomine gloriaretur, constitutis eorundem loco duobus Prosenatoribus, soli verò Pontifici servatò Patritii titulò. Cæterum dum Romam novis legibus ac ædificiis tum sacris tum profanis restaurare bene instituit, ferè cum Alberto M. Ratisbonæ Episcopo, suo tempore inter Doctores etiam miraculo extinctus est an. 1281. Sed, 3, non completo.

## CLXXXVIII. Martinus II, dictus IV. Gallus Campanus.

**S**IMON Mompitius de Bria vocatus, post gravissimum inter Cardinales Electores dissidium, mense tandem ab obitu Nicolai III, sexto electus est Pontifex vel ob id etiam, quòd hujus electionem Sicilia Rex Carolus multum videretur ambire, & eam approbare Cardinales Regi Carolo additi, qui, testante Oldoino, in additionibus ad Ciaconium, tanto animi ardore Simonem de Bria D. Cæciliae Cardinalem ad Pontificatum evexerunt, ut respicienti Pontificios honores scissa veste purpurea vim illi plusquam amicam intulerint, diuque oblucenti Supremi Præfulis ornamenta iniecerint. Pontifex itaque confirmatus Regi Carolo, honoris causâ ad novum Pontificem venienti, Romani Patritii nomen ac honorem continuo restituit, ut haberet uterque contra Romanæ Sedis & regni Siculi hostes amicum potentissimum, Martinus nimirum Pontifex Regem, Carolus verò Rex Pontificem. Et sanè utrumque amicis indigere potentissimis demonstrârunt Vesperæ Siculae, seu millium Gallorum octo cædes, quam pene eadem vespertini temporis hora in Paschate peractam secuta est brevi Caroli filii navalis clades & captivitas, atque ob hanc patris Caroli fatalis infirmitas. Hanc tamen præcesserunt Petrum Aragonem inter & Carolum Reges pugnae & simulatum duellum, à Carolo ob captivitatem filii Petro oblatum, ab hoc verò ex industria declinatum victoriæ fructus præ periculis æstimante. Subsecuta est etiam anathematis sententia in Petrum victorem ejusque hæredes à Martino Pontifice promulgata, quam tamen parvi faciendam esse existimavit novus Siciliae Rex, qualem se invito Pontifice constanter gessit Petrus. Castellæ Regem eodem tempore contra Alphonsum patrem agebat Sanctius filius, contemnens Pontificis litteras & patris monita. His igitur multis-



que aliis pressus adversis succubuit Martinus annò 1285. Sed. 4. constanter immemor suorum cognatione sanguinis proximorum, quos *se se mundo reliquisse* aiebat persæpe, ut Ecclesiæ non sua bona possedisse meritò fuerit visus omnibus; administrator hac in parte integerrimus, à patria verò & popularibus suis vix satùs alienus fuerit; quem tamen nævum vel omnino excusat, vel plurimùm extenuat vitæ integritas, sat perspicuis post mortem Martini miraculis comprobata.

## CLXXXIX. Honorius IV. Romanus.

**D**IE à Martini II. morte quarta Cardinales Perusii ad novi Pontificis electionem convocati Jacobum Sabellum Romæ illustri sanguine ortum, dein verò Diaconum Cardinalem S. Mariæ in Cosmedin sine suffragiorum discordia elegerunt. Totius Ecclesiæ Pater confirmatus Honorius exemplò Martini II. Prædecessoris sui vix motus, suorum nepotum plùs æquo memor fuisse traditur, quorum nonnullos ex Ecclesiæ proventibus supra statum suum pristinum extulisse notatus fuit. An verò hæc nota à zolis potiùs, quàm æquis rerum æstimatoribus fuerit inscripta, incertum reliquère authores: fratri enim Pandulpho roganti, ut ad sui memoriam Cardinalium Collegio quosdam ex propinquis suis adscriberet, respondisse fertur à multis: *monumenta, quæ ab aliorum factis penderent, esse fallaces atque inanes merces; ad Romanam purpuram viros tantùm probos ac doctos assumendos esse.* Benignissimus aliàs in omnes, severum se probavit Petro Aragoniæ Siciliæq; Regi, & hujus conjugii Constantiæ cum filio Jacobo, quos sacro fulmine configendos esse existimavit, exemplum hac in parte Martini II. secutus. Caterùm unà cum fratre Pandulpho podagræ doloribus vexari non rarò solebat; uterque tamen fortiter egit; Honorius nimirum summum munus adimplendo, frater verò graffatores ex Italia ejiciendo. Mirantibus proin utriusque fratris præclara gesta inter ejuscemodi morbi dolores exhibita, respondere uterque etiam solebat, *capita non pedes oportere imperare.* Imperabat autem Honorius annis solùm duobus, post quos hebdomade sancta die Jovis à cœna Domini nominatissimo mortuus an, 1288.

CXC. Nico-



## CXC. Nicolaus IV. Asculanus Italus.

**E**X pestilentia morbo præter ingentem hominum multitudinem septem Cardinalium rapiente, cæteros verò omnes præter Nicolaum procul pellente Sedes Pontificia decem mensibus novum Pontificem exspectavit, quam denique implevit unanimi Electorum calculo probatus tum Mauritius, dein verò Nicolaus appellatus, ex familia D. Francisci, cujus quondam discipulus in paucis gratissimus fuerat. Supremum dignitatis gradum bis jam ante deprecatus animo maximè serio ac efficaci, vice tertia repullam dare non est ausus: factis tamen & verbis testatus fuit apertissimè, *malle se infimo vel in culina manuum labore occupari, quàm tantis curis fatigari.* Necessitatem itaque in virtutem vertens autoritate sua commovit Alphonsum Petri Aragonum Regis filium, Jacobi verò Siciliae tunc Regis fratrem, ut Carolum Claudum Caroli Andegavensis filium post quinquennii captivitatem liberum dimitteret. Libertati igitur restitutum Carolum Siciliae Regem coronavit totâ Sicilia exacturus Alphonsum, quem usurpatorem Siciliae potiùs, quàm legitimum Regem exemplo priorum Pontificum fortè persuasus agnovit. Ptolemais Syriae urbs ab Ægyptiis tunc temporis fuit expugnata adeò, ut 70000. hominum cæsa, 60000. verò juvenum, puerorum ac virginum præ cæteris avidiùs à barbaris in captivitatem abstracta fuisse memorentur. Tam tristium novorum nuntiis accessere malorum prodromi alii, qui Christianorum Principum ad bellum sacrum capeendum tarditatem nuntiabant. Malorum in Europa cumulum auxit senectus, & denique mors Cæsaris Rudolphi annò Christi 1291, quam secutum est proximè bellum in Germania ob novi Cæsaris electionem difficillimum. Atque hæc fuere aliæque negotia gravissima, quæ sæpe gemitus, imò & animam exprimebant Nicolao an, 1292. Sed. 4.

## CXCI. Cœlestinus V. Neapolitanus.

**D**IVI Benedicti Regulis vel à puero in solitudine assuetus fuit, ut eundem D. Patriarcham suâ vivendi normâ vel æquârit, vel rigore sibi uni durissimo superârit. Ita profectò credere docuit Petrus Cardinalis



dinalis Aliacensis teste calamo proprio Historicus veritatis studiosissimus, Hæc Cœlestini tum nova tum antiqua Deo placendi methodus plurimos attraxit amulos, qui licet à D. Benedicti Regula haudquaquam diverſi in Concilio Lugdunenſi à Gregorio X. Pontifice Maximo accepere novi Ordinis confirmationem, eo quòd Cœleſtinus licet valetudine ſiniſtra plurimum impeditus eò venire contenderit, vegetiori animo corporis malum ſuperante. Nicolao IV. è vivis erepto Petrus de Morono tum appellatus Eccleſiæ notiffimus præter omnem ſpem ſuam Pontifex fuit electus, poſtquam duobus annis tribuſque menſibus Sedes Romana ſuo erat deſtituta Capite, Cardinalibus aliis Italum, aliis Gallum proponentibus, nunquam in eundem conſentientibus. Petrus igitur jam Pontifex Cœleſtinus V. deinceps nominandus Gregorii X. Bullam de electione novi Pontificis ultra decem dies haud differenda denuo introduxit. Diſplicuit præter pauca alia in Cœleſtino nova hæc conſtitutio Purpuratis Patribus, quam diſplicitiam præter multa alia cùm probè intellexiſſet Pontifex verè Sanctiſſimus, quia humillimus, Bullam aliam conſcripſit, qua Pontificis ſpontaneæ renuntiationi robur ac valorem ineſſe orbi univerſo teſtatum voluit. Accessit continuò Bullæ unanimis Patrum Purpuratorum approbatio, cui itaque ut firmiſſimum robur adderet Cœleſtinus, officio ſuo palàm renuntiavit poſt Sedis menſ. 7. an. 1294. relinquens Renuntiationis formulam toti poſteritati teſtimonium. Tam principium, quàm finem Pontificatûs hujus probaſſe viſum eſt cœlum; claudum enim in pedes erexit, dum vocatus Romam pervenit, & dum Romæ ampliùs recuſavit eſſe Summus Pontifex. Primi miraculi fuere teſtes præſentiſſimi præter innumeros alios duo coronata Capita Reges Neapolis & Hungariæ, quos inter medius mulo infidens Cœleſtinus Romam petiit Pontificatûs munus inchoaturus, & omnium primus inter vivos finiturus.

### CXCII. Bonifacius VIII. Cajetanus.

**N**EFAS eſt dicere, Bonifacium hunc ambiſſe per fraudes & quidem à fictitiis etiam umbris petitas Pontificiam dignitatem: inimicis enim fidem haberi Jus vetat maximè, dum rem malam affirmant, quam tamen teſtimoniis non confirmant. Inter inimicos autem fuere facilè maximi Philippus cognomento Pulcher Galliæ, & Fridericus Siciliæ Reges, quorum prior bona & jura Eccleſiæ invadere, Pontifex



Pontifici in rebus cunctis contradicere, eundem capere, judicare & condemnare haud formidabat. Regum horum posterior Fridericus, regnum Siciliae suum dicere, & armis vindicare perrexit, etsi Carolo Claudio e captivitate Hispanica libero reddendum esse plures ordine Pontifices iudicassent. Philippi & Friderici partes deserto Pontifice amplexi sunt Jacobus & de Columna, uterque Romanam purpuram vir insignis. Hi Pontificis & hujus amicorum potentiam veriti securitatis aut seditionis majoris causam potius, Galliam petiere, ubi cum Philippo Rege Bonifacium Pontificem contra leges promulgatum, suam verò Sedi restituendum esse Coelestinum V, ore & calamo palam pronuntiabant. Hunc igitur Bonifacius non tam æmulationis, quam novi schismatis evitandi causam perhonestæ custodiæ mandavit. Ea ipsa ætate Albertus Rudolphi Habsburgici filius, Adolphum patris in Imperio Successorem, post acerrimas pugnas victor manu propria occidit; quâ obtentâ victoriâ ipse ab Imperii Electoribus Imperator electus Bonifacio fermè in annos geminos displicuit. Pontifici itaque placiturus Albertus exemplò quorundam retrò Imperatorum jura Pontificia laudavit, Carolum M, nec non alios Romanorum Imperatores Pontificia etiam potestate assumptos esse palam confessus. Caterum Bonifacius ex Gallica captivitate amicorum auxiliò elapsus, & Anagninam Romam reversus triumphantis more à populo Romano receptus fuit. *Vide in Reflexionibus Responsum VIII.* Calidam paulò post febri incensus fatis concessit, Sedis annò 8. Christi 1303. postquam D. Ludovico IX. Galliarum sacros Ecclesiarum honores decrevit, annumque Jubilæum celebravit, & varios hæreticos condemnavit à probis laudatus maximè, & laudandus in rebus omnibus, si fortè spiritum Eliæ, ut ajunt, excipiamus.

### *Reflexiones Historicae supra Seculum XIII.*

**O**CTO supra decem præsens hoc Seculum vidit Pontifices, ex quibus tamen nullum facile invenerint, quem sua laude non dignum censeant Catholici; invenisse se tamen existimant A Catholicis, quod vel admittæ hæreses, vel alterius gravissimi erroris insimulent. Audiamus igitur nunc singulorum, nunc univer-



rum accusatorum querelas, ut nunc singulorum, nunc univerforum Pontificum vel innocentia, vel quaecunque demum pravitas & nobis & adversariis patefcatur. Et en! inter prava Pontifices ab Heterodoxis censoribus numeratus est

- I. Innocentius III. qui cap. *per Venerabilem, qui filii sint legitimi &c.* Legem Veterem in Deuteronomio contentam nondum planè esse abrogatam. Pugnatum autem hoc Decretum Innocentii cum Decreto D. Petri Act. 15.
- II. Idem Innocentius celebravit Concilium Lateranum V. in quo laici prohibuit sub specie Calicis sacram Synaxin sumendi copiam.
- III. Idem in eodem instituit *Confessionem Auricularem.*
- IV. Innocentius IV. Conradum IV. ex Suevorum Ducum sanguine Imperatorem ultimum non modò Imperii coronâ, sed vitâ ipsâ spoliavit per sicarium Manfredum Conradi fratrem ex Friderico II. spurium.
- V. Alexander IV. cõnatus est Suevorum Ducum stirpem penitus eradicare.
- VI. Clemens IV. consilium dedit Carolo Andegavensi occidendi Conradinum & Fridericum, hunc Austriae Archiducem, illum Sueviae Ducem, utriusque stemmatis surculum ultimum.
- VII. Nicolaus III. fuit vel author, vel adjutor Petro Aragoniae Regi, ut pararet 9000. Gallorum stragem, quam *Vesperas Siculas* appellârunt.
- VIII. Bonifacius VIII. inaudita hæcenus fraude comparavit sibi Pontificis dignitatem, dum per tubum acusticum Coelestinum IV. his à Pontificatu conservando absterruit vocibus: *Coelestine, Coelestine, dimitte Papatum, si vis salvus fieri: negotium supra vires est.*
- IX. Idem mortuus est in vinculis eo fato extinctus, ut vel fame, vel furore adactus suas ipse arroserit manus. Ejusdem proinde vitæ compendium his paucis comprehensum est verbis: *Bonifacius intravit ut vulpes, vixit ut leo, mortuus est ut canis.*
- X. Idem promulgatò Jubilæo omnibus omnium noxarum veniam promisit, datis tamen pro scheda pecuniis; qui modus acquirendi multos florenorum milliones Pontificio ærario attulit.

Respon-



## Responsio I. ad I.

**S**I magis sapere, quàm delirare studerent Pontificum Momi ac Zoili, facile Innocentii III. sensum ac mentem assequerentur, quem super Deuteronomii libro in allato capitulo nobis reliquit; aliud enim non intendit dicere, ut vel obiter legenti patebit, quàm multa contineri in Deuteronomio, quæ per novam Legem haud abolita, sed magis fuerunt confirmata. Edicito enim, an non observare oportet, quæ Moyses in Deuteronomio scripsit de Mandatis Decalogi observandis? qua de re tibi occurrerit cap. 4. 5. 6. An non vitanda locietas gentium, ut evitetur idolorum cultus? ut habetur cap. 7. An non reportatæ de hostibus victoriæ DEO potius, quàm victori homini sunt adscribendæ? veluti meminit cap. 9. An non solvendæ decimæ? de quibus meminit cap. 12. Hæc sanè alia multa in Deuteronomio expressa vigorem suum etiamnum in Lege nostra retinuerunt. Atque hæc mens, hic sensus fuit Innocentii III. in cuius sententiam absque mora abibunt illi, quibus dominatur ratio, nec sinister imperat affectus.

## Responsio II. ad II.

**C**UM Coburgensibus hic denuo certandum est Academicis, quibus placuit in suis discursibus Academicis Lipsiæ editis asserere, Innocentium III. fuisse, qui sub specie Calicis sacram Synaxin sumendi copiam laicis ademerit. Certandum, inquam, hic est, sed certamine perlevi & admodum facili, dum ipsimet Antagonistæ sua nobis quadantenus porrigunt arma, ut vulneri magis pateant: sunt enim hi, qui cum errante Gratiano etiam ipsi errârunt vehementer, cum de Gelasio Pontifice scripserunt, eum docuisse, *sine ingenti sacrilegio non posse sumi unam Eucharistiæ partem sine parte altera, atque adeò vel nunc totam errare Ecclesiam, vel errasse Gelasium*; cum tamen Gelasius hoc solùm hic docuerit, nimirum quòd post injunctum omnibus ab Ecclesia Præceptum de utraque Eucharistiæ specie sumenda, non liceat cuiquam absque sacrilegii crimine alterutram tantùm speciem sumere. Vide hac super re Seculi V. Reflexiones: vide etiam D. Gelasium inter Pontifices ordine LI. Ex his autem aliisque Heterodoxorum allatis dictis haud obscurum est, primis Ecclesiæ temporibus non minùs usitatum fuisse, ut laici sub una duntaxat specie S. Synaxim sumerent, quàm hoc nostro tempore ex Ecclesiæ



clesiæ Præcepto usitatum est : aliàs enim D. Gelasii mandato opus non fuisset, ut sub utraque specie Evcharistiam sumerent homines non Sacerdotes. Etsi igitur Innocentius III. in Concilio Lateranensi præcepisset (cujus tamen Historici passim non meminere) ut sub panis duntaxat specie porrigeretur laicis Evcharistiæ Sacramentum, probè id factum fuisse non diffitendum foret; ignorare enim primò non poterat, ita in usu positum fuisse primigeniæ Ecclesiæ. Secundò ignorare non potuit, ex Ecclesiæ arbitrio pendere, nunc unam S. Evcharistiæ speciem, nunc utramque fidei populo concedere, si varii rerum eventus varietatem in Ecclesia deposcerent. Et profectò deposcebat eventus rerum tum novissimus; Albigenes enim & Waldenses præcipuè hæretici circa an. 1180. & seq. præter hæreses permultas contra Evcharistiæ Sacramentum novos sparserunt errores in vulgus. Albigenes & Waldenses post paucos præter alios secutus est Almaricus seu Amorriscus hæreticus, qui cum aliis tempore Innocentii III. docere vel coepit vel perrexit: *JESU Christi Corpus non aliter in Pane Evcharistico existere, quàm in alio pane &c.* Quibus itaque omnibus ut ritè occurreret Ecclesia, Præcepto opus fuerat laicis potissimum injungendo, ut nimirum sacro reficerentur pabulo sub specie panis contento. Innocentius itaque III. in quo redarguendus sit, haud dispicio.

### Responsio III. ad III.

**A**T modò occurrit solœcismus grandis ab eodem Innocentio III. admissus, dum *Confessionem*, ut ajunt, *Auricularem* instituit. Verum enim verò æquiori jure dicamus nos; occurrunt modò Heterodoxorum solœcismi grandes, dum asseverare pergunt, vel ab Innocentio III. vel alio Pontifice institutum fuisse Pœnitentiæ Sacramentum. Ostendunt enim

Primò, se necdum bene percepisse, quid nominis aut rei veniat Sacramenti nomine; Sacramenti namque nomen tale est, quo non res humana sed Divina, non hominis, sed DEI institutio significatur; consequens igitur est, ut Sacramenti nomen non mereatur ejusce rei institutio, quæ ab institutore duntaxat homine procedit. Unus DEUS in carne humana apparens homini Sacramentorum author extitit. Ita credidit Ecclesia Romana, ita nunquam non credidit Fide firmissima & infallibili.

Secundò ostendunt Heterodoxi, se nescire penitus Decreta Zephyrini III. Seculi Pontificis, inter quæ & hoc numerandum venit, quo annuæ fidelium



fideliū communioni, uti vocamus, tempus Paschatis designavit; in Ec-  
clesia autem Romana inauditum & omnibus ritè credentibus haudqua-  
quam cognitum est, cuiquam integrum fuisse, sacram Synaxin sumere,  
antequam conscientiam prævia exomologesi expiasset.

Tertiò ostendunt, se nequaquam voluisse Annales Religiosorum Or-  
dinum, quales sunt DD. Augustini, Benedicti &c. in quibus vel obiter quæ-  
rentibus patebit, plurimos viros ex iisdem antiquissimis Ordinibus exti-  
tisse, qui Pontificibus, Imperatoribus, & Regibus à Confessionibus fuerunt  
jam VI. VII. VIII. & sequentibus Seculis. Et hem! haud obscure confite-  
tur id ipsum Hübnerus, dum tom. 7. fol. 161. asserit, *Ludericum Herbi-  
polis Episcopum fuisse quondam Sacellanum & Caroli M. Imperatoris Confessa-  
rium; ab anno autem 800. usque ad annum 804. vixisse eum Supremum in Fran-  
conia Antistitem.*

Quartò ostendunt, perparum se versasse Historiam Ecclesiasticam;  
hanc enim si sedulo lectitassent, Lectores haudquaquam latere potuisset,  
quales Seculis singulis hæretici Ecclesiæ bellum indixerint. Igitur vel me  
duce, aut si malint, me comite ad antiquiora redeant Secula, & mox inter  
multos Seculi VI. hæreticos numerabimus Jacobitas, qui ex variis Euty-  
chetis, Dioscori, Severi & aliorum centonibus vexillum sibi consarci-  
narunt, ut conductis copiis bellum Romanæ Ecclesiæ indicerent. Iidem  
verò jam tubis suis has etiam voces spargebant: *Confessio Auricularis inuti-  
lis est, cum satis sit soli DEO confiteri.* Procedant jam mecum ad Seculum  
VII. in quo Albanenses offendemus hæreticos, qui præter 24. aut plures  
errores hunc etiam suâ buccinâ in vulgus sparserunt: *is, qui  
peccatum ullum admisit, nec potest, nec debet Sacerdotibus confiteri.*  
Omissis deinde pluribus ascendant mecum ad Seculum XII. usque, in  
quo circa annum 1176. occurrent nobis hæretici Albigenes, qui primùm  
in provincia Tolosana præter crassissimos errores etiam hunc pro-  
pugnârunt: *peccata in tribunali Sacerdotibus non sunt exponenda.* Se-  
cutæ sunt Albigenes mox Waldensium turmæ, quæ licet ab Albigenibus  
in multis diversæ, in tantum tamen convenerunt, ut palàm defenderent,  
*Auricularem Confessionem esse abrogandam.* Cum itaque Seculo duode-  
cimò Waldenses & Albigenes, septimò autem Albanenses, & sexto Ja-  
cobitæ &c. Auricularem Confessionem jam introductam suppo-  
nant, quo pacto Innocentius III. Seculo primùm decimo quarto introduxit?



Multum laudis aliàs tribuere consueverunt Academici Coburgenses, Hübn-  
nerus & Scriptores alii Lutherani Waldensibus & Albigenibus: horum  
igitur authoritati & hoc dabunt, ut eorundem dictis de Confessione Au-  
riculari dudum instituta fidem tribuant.

Quintò ostendunt, sese nec ipsius sui Lutheri libros probè inspexisse,  
in quibus aliàs procul dubio deprehendissent, Confessionem Auricularem  
ab ipso Luthero tanquam rem valdè utilem commendari, quamvis non  
necessariam agnosci. Id ipsum placuisse uni alterique Viro in Germania  
Principi haud ita pridem fama fuerat: spargebatur enim, deliberasse eos-  
dem Viros Principes, an non suis subditis Præceptum de Auriculari Con-  
fessione injungerent, ut hac ratione licèt ipsi non admodùm probi, impro-  
borum tamen subditorum mores emendarent & à furtis maximè absterre-  
rent, probè memores oneris restitutionem bonorum ablatorum exigen-  
tis. Imò Confessionis Auricularis beneficium agnoverunt vel ipsi cives  
Augustani Catholicis mixti non Catholici, qui malunt persæpe conduce-  
re famulos Romana Sacra profitentes, eò quòd experientia ipsos docue-  
rit, hos famulos à furtis domesticis longè remotiores esse, quàm Luthera-  
nos. Nullam item facilè restitutionem bonorum fieri à Lutheri filiis, be-  
ne tamen, ut etiam ipsi fatentur, à Papistis.

Sextò ostendunt, quàm imperitè scribant & colloquia misceant de Præ-  
ceptis, quæ Juris Divini, & iis, quæ humani sunt fori: Confessionem  
quippe Auricularem à DEO Præceptore vim obtinuisse ac valorem, Ro-  
mana docet Ecclesia; verni autem e. g. jejunii consuetudinem Apostolo-  
rum ætati jam notissimam in Legem Ecclesiasticam seu humani Juris Præ-  
ceptum transiisse non minùs fatetur Romanorum Ecclesia. Lutherani  
verò Præceptum hocce utrumque componunt, & confundunt, partum  
Pontificis Romani spurium dicunt interpretes jurium prorsus spurii. Ceda-  
mus verò tantisper his interpretum turbis, & fingamus, Præceptum de Au-  
riculari Confessione singulis ratione utentibus injunctum, à Pontificum  
Romanorum quopiam originem suam ducere haud secus, quàm Præce-  
ptum verni jejunii. O! quàm facilis res foret permultis Catholicorum vi-  
rorum ac fœminarum, quibus ob Auricularem Confessionem res solet ef-  
se oppidò difficilis! quàm facilè enim ob gravis momenti causam nunc  
vir, nunc fœmina dispensationis beneficio eximi potest à Lege jejunii, tam  
facili brachio eximi posset à Lege Confessionis. Pontificia sanè Sedes per-  
petuis



petuis fatigaretur libellis supplicissimis, ut nunc ob veras, nuac ob confictas rationes non negaretur exemptio à Lege Confessionis, & quidem ante alios Viris Principibus, viris valdè opulentis, hominibus enormium scelerum turpitudine infectis &c. Nega hæc, si potes, & negantem te convincent libelli supplices innumeri, qui vel ad Romanum Præsulem vel minores Episcopos mittuntur annis singulis, ut non negetur relaxatio à Lege jejunii. Ostendesis verò vel unicum libellum supplicem per septendecim Secula ad Curiam Romanam datum, in quo petita fuerit relaxatio à Lege Confessionis, Exploderetur profectò ab universa Ecclesia tanquam emotæ mentis homo, qui se ita supplicem, aut veriùs simplicem probaret oblato libello suo supplici. Fac idcirco, Hübner, & tecum tui focii, ne similis explosio vos excipiat, qui tam parùm distinguere nostis inter Leges Divinas juxtà atque humanas.

Responso IV. ad IV.

**R**EPETO hinc verba superiùs à me meis adversariis inculcata. Est nempe Theologis ac Jurisperitis regula notissima: *Tamdiu quis præsumitur esse bonus, quamdiu non probatur malus.* Item *crimina non præsumuntur, sed probantur.* Has regulas si sibi notiores fecissent Historici non Pontificii, tunc magna librorum pars lucem nunquam aspexisset. Postulat Hübnerus Innocentium IV. Alexandrum IV. Clementem IV. Nicolaum III. & alios hujus Seculi Pontifices pessimorum criminum, quorum tamen nec umbram probat. In repetendis ac recensendis Veterum gestis primum sibi perpetuò locum vendicat probatorum Scriptorum autoritas, cum diversissimarum rerum circumstantiis bellè concordans. Authorem verò Hübnerus nullum adducit, ipse sibi author sufficientissimus; contra ipsum verò tot authores pugnant, quot de Pontificibus non malè præoccupatò calamò scripserunt. Lege, si placet D. Antonium, Platinam, Ciaconium & quosvis alios præsertim RR: omnes certè Innocentium IV. modis omnibus probant, Fridericum verò II. Imperatorem improbant. Platina profectò totus contrarius est Hübnero; ille enim palàm profiteretur, Fridericum Innocentio insidias crebriùs struxisse, ut Pontificem è medio tolleret. Addit equidem, extare authores, qui Fridericum à Manfredo filio occisum dixerint, sed quòd hortatu vel consilio Innocentii id factum fuerit, nec verbò meminit. Quin nec meminisse potuit; cum



cum teste experiētiā continuis Manfredi cædibus exploratā , ipse patris ac fratrum sanguine manus polluere non dubitārit, ut Sicilia regno & tandem etiam Imperii scepro potiri liceret. Qua ratione igitur cum hoc hominis monstro vel Innocentius, vel ullus alius Successor Pontifex prava miscere consilia de eradicando Suevorum Ducum stemmate potuit, si in Manfredo radicem conservare voluit? quo item pacto Innocentius Manfredo vel suggestit, vel saltem prava ejus consilia probavit, cum Manfredus Saracenorum se amicum contra Innocentium & hujus Successores ostenderit vel ob unam hanc causam, quod Innocentius scelera Manfredi constanter improbārit, nec Sicilia coronā dignum judicārit? quanta itaque tua vel tuorum tecum est temeritas, ut contra compertam Historiæ veritatem fingas fabulas & summas in Innocentium IV. calumnias? *vide Seriem Romanorum Imperatorum pag. 255. & seq.*

#### Responsio V. ad V.

**P**ARI temeritate & calumnia, Hübner, petisti Alexandrum IV. nullus enim probatorum authorum facile apparebit tibi, cujus testimonio comprobatum dicas, Alexandro IV. adeo displicuisse Suevorum Ducum stemma, ut id radicitus evulsū voluerit: Veteres quippe & Recentiores authores de Alexandro IV. hac super re non scripsere aliud, quam quod Manfredum primò salutaribus monitis; dein verò Ecclesiasticis pœnis emendari cupiverit coronā regiā indignissimum parricidam. Si tibi itaque & tui simillimis sociis præplacuisse in laudes Pontificum excurrere; amplissimum vobis campum aperuisset Platina, qui inter laudes maximas hanc dicit Alexandro IV. coronidem: *hujus Pontificis vita cerè ab omnibus mirificè laudatur.* Ex hoc idcirco authore cum ante te Magdeburgici nonnulla Pontificum malefacta tam solerter excerpserint, cur rectè facta non lubet transcribere? an fortè major sit autoritas Platinæ, cum vituperat, quàm dum laudat?

#### Responsio VI. ad VI.

**A**T saltem nullā temeritatis notā, nisi per summam injuriam notari se posse credit cum sociis Scriptoribus Hübnerus, dum haud desinunt scribere ac pingere absque ulla erroris formidine trabalibus litteris, Clementis IV. crudelem sententiam ab eodem in Fridericum Austriae & Conradinum Sueviae Duces latam, atque Carolo Andegavensi dictatam his verbis.



bis: *Vita Conradini mors Caroli: mors Caroli vita Conradini.* Est hæc sententia Clementis IV. Ita habet Hübnerus & Hübnero simillimi. Verùm vel apertam falsitatem, vel nimiam certè credulitatem Hübnero ante oculos ponunt simul Historia, & hujus pedissequa Chronologia plurimis stipata auctoribus. Fac amabo paululùm saltem inspicias D. Antoninum, Ciaconium, Platinam, Ptolomæum Lucensem, Claudium Clementem, Gretserum & plurimos RR. quorum aliqui inter encomia Clementis IV. istud etiam posuere: *prophético ore prædixit Clemens futuram cladem Conradino, cum copis Italiam penetranti.* Alii stricto contra Clementis IV. calumniatores calamo sinceræ Historiæ partes tuentur adminiculis maximè à Chronologia petitis, quæ suo calculo confirmat, Conradinum Italiam cum exercitu petiisse mense Junio an. 1268. eundem victum ac captum fuisse à Carolo Andegavensi mense Octobri ejusdem anni; Clementem IV. verò in mortuorum numerum venisse eodem adhuc anno 3. Kalendas Decembris. Conradinum denique ferale Neapoli theatrum conscendisse 29. Oct. an. 1269. Ita Gallorum Annales referunt teste Brietio in sua Chronologia; ita habet *Speculum Honorum Austriae*, in quo Conradinus à Carolo per integri anni spatium in Italia circumductus dicitur, ut Carolus haberet triumphum, Conradinus verò mœroris materiam uberrimam. Hoc eodem modo ad annum 1269. tristia Conradini fata componunt auctores tot, quot quot de vitis tum Pontificum, tum Imperatorum inspexi. Solus fortè Hübnerus ut falsitatem Historiæ diversorum temporum colore tegat, ait tomulo III. fol. 266. in Neapolitana Historia de Conradino & Clemente IV. hunc annò 1269. extinctum, illum verò annò 1268. capite plexum fuisse. At quàm parùm cautè hìc ambulaveris, nondum advertis, Hübnerè? Centuriatores enim tui tecum haud sentiunt, qui Clementis IV. obitum in annum 1270. distulerunt minimè tecum solliciti de annorum serie ita aucta, ut Chronologia juxta tuum calculum anno uno, juxta Centuriatorum verò duobus nimium quantum excreverit. Imò & tu tecum pugnas vehementissimè; tomulo enim V. fol. 557. ais in Badensi Historia, Conradinum & Fridericum Duces capite plexos fuisse annò 1269. En quàm bellè concordent Historia Badensis & Neapolitana tuò calamò conscripta!

Oppones fortassis equidem, parùm referre, an Clemens IV. anno 1268. vel 69. vel 70. diem suum obierit; nullum enim istorum annorum repugnare crudeli illi sententiæ aut consilio, quam sic pronuntiavit: *vita*



*Conradini mors Caroli &c.* At repono tibi: si ita res habet, cur & Centuriatores tui non custodièrunt magis reliquorum Chronologorum sententiam? cur diversam iniistis viam? metuistis nempe, istud ex vobis quæri, qua ratione Clemens IV. per suam sententiam aut suum consilium occidere potuerit Conradinum an. 1269. cum ipse annò 1268. jam mortem oppetierit? Cedam tamen & hic non parùm tibi transmittendi, ut ajunt, non concedendi animò, Clementem IV. hanc reverà edixisse sententiam: sed tum tu pronuntia, quo tempore, quo loco, quibus testibus edixerit? Respondebis tu quidem promptissime more tuo: edixit sententiam præsentente Carolo Conradini hoste paulò ante feralem sententiam. Ita profectò te dicere mihi jure fingo, tamen nec autoritate ulla, nec ratione dicta tua firmare queas. Sed amabo, quis tibi deinceps sic fidem tribuat? quis verbis tuis credat? Ex probato itaque Historico ut tandem tuis fabulis quicquam veri inferas, lege librum, cui titulus *Deſterreichiſcher Ehrenſpiegel/ & Marchionum Badensium Historiam Francofurti annò 1695. editam*, in quorum primo fol. 192. in altero fol. 128. sinceram Historiam cum Chronologia conjunctam deprehendes. Invenies nempe Conradini mortem luctuosissimam longè magis imputari Ottocaro Bohemiæ Regi, quàm Clementi IV. pridem defuncto. Et sanè circumstantiæ omnes perorant Clementis innocentiam, Ottocari verò noxiam redarguunt cum Carolo Andegavenſi amicitiam; cum Austriæ Archi-Duce autem, & Sueviæ Ducibus perpetuam hostilitatem. Qua fronte igitur, Hübner, tantopere infimulas Clementem, silentiò autem præteris Ottocarum aliàs à te tam atrò calculò notatum? tu sanè cum Hebræis absolveres facilè Barrabam, ut Christum, aut certè Christi Vicarios in crucem ageres.

Responsio VII. ad VII.

**A**DMIRATIO jure universos subeat, quòd Hübnerus nunc Clementem IV. Germanis, nunc Nicolaum III. Gallis exosum reddere cupiat, dum hunc in Gallorum cædem, illum verò in Conradini necem conspirasse nontardat scribere. Authorem rursus non affert, testibus caret, argumentis destitutus est penitus. Ad Danièlem igitur judicem cum mendacibus senibus denuo abeat, ut contra Susannam culpam & causam proponat, non tamen probet, sed sententiam ut audiat calumniatoribus & contumeliosis debitam.

Respon-



## Responſio VIII. ad VIII. &amp; IX.

**M**ULTA nimiùm & gravia ſunt, quæ Hübnerus adverſus Bonifacium VIII. conſarcinavit. Indulgendum foret quidpiam tam ipſi, quàm aliis Romanorum Pontificum cenſoribus, ſi eam methodum ſibi ſervandum exiſtimâſſent, quam in uno alteroque authore etiam Catholico fortè inveniunt. Platina methodus cùm ſæpe placuerit, utinam placuiſſet ſemper; Platina enim etſi Bonifacii VIII. geſta potiùs deformare, quàm deſcribere multis fuerit viſus, atque ſic atrum nimis calamum iis porrexerit, quibus inter ſcribendi curas fuerat, Pontifices Romanos denigrare; is tamen remotiſſimus eſt tum ab Hübnero, tum ab aliis Scriptoribus non Pontificiis; hi enim inſtar Evangelicæ veritatis ſuis ea occinunt, quæ Platina tanquam incertiſſima, & non niſi à Bonifacii calumniatoribus ſparſa commemorat. Nos ne longitudine lectori faſtidium pariamus, variorum authorum teſtimonia ob oculos ponemus, ut tam amicus, quàm inimicus Bonifacii colligat, quid vel in amico laudet amicus, vituperare verò non poſſit inimicus.

Bonifacii itaque VIII. integritatem ſummopere comendat ipſum Concilium Viennenſe in Gallia ſub Clemente V. celebratum, quod Bonifacii VIII. electionem fuiſſe legitimam pronuntiavit, eos proinde tanquam calumniatores condemnavit, qui de ambitu & adhibitis dolis Bonifacium inſimulârunt. Bonifacium item legitimum Pontificem dixerunt omnes, duobus Cardinalibus de Columna exceptis, quamvis & hi duo cum Purpuratorum Patrum penè univerſo Collegio ſuaſerint Cœleſtino V. ultro neam Pontificatûs abdicationem, in quam ſolus Cardinalis Urſinus non conſenſiſſe traditur. Bonifacium omni crimine non minùs liberat Vecerius Hiſtoricus in vita Henrici VII. Imperatoris, qui unà cum Concilio Viennenſi teſtatum omnibus voluit, ideo diris omnibus ita traditum fuiſſe hunc Pontificem à Philippo Pulchro Gallia Regè, quòd Imperii ſceptrum Germanis ſervandum, Gallis verò nuſpam concedendum eſſe ſtatuert, ringente Philippo Regè arrogantiffimo. Bonifacii VIII. innocentiam editò librò ſolidiſſimè defendit Ægidius Columna adverſus Philippum Regem & duos ſibi ſanguine junctos Cardinales de Columna, cujuſ teſtimonium paſſim ab integræ fidei authoribus æſtimatur maximi, quòd ſpreto ſanguinis affectu & honoribus à Regè Philippo oblatis ſteterit pro parte



parte veritatis. Testimonium pro Bonifacio contra Philippum dixit etiam Genebrardus author Gallus, qui ex D. Antonino perhibet, tam Philippum quam tres Successores Galliae Reges, Ludovicum nempe Huttinum, Philippum V. seu Longum fratres, & Carolum Pulchrum tam subito & infelici fato fuisse extinctos, puniente Divina Nemese in patre filios, & in filiis parentem; quod Bonifacium VIII. praeter morem Galliae Regum tum armis tum odium infectati fuerint. Ludovicus certe non nisi duobus, Philippus Longus quinque, Carolus sex annis post patrem mortuum Galliae sceptro potiti sunt; quae fata, teste eodem D. Antonino, vates Morianensis in Gallia Episcopus Philippo Pulchro praedixit, cum per Nogaretum ducem suum Philippus capi iussit Pontificem. Bonifacium adhuc ab omni graviore macula absolutum dicunt Joannes Rubeus ex D. Benedicti familia author eruditissimus, qui libro satis copioso eundem Pontificem dilaudavit. Cum Rubeo concenserunt Odericus Raynaldus, Abrahamus Bzovius, Justinianus Chronographus, Richardus Abbas S. Justinae, & cum multis Recentioribus Mauclerus Doctor Sorbonicus, cujus longissima dissertatio pro Bonifacii honore legi potest tum in ipso auctore, tum in libro recentissimo Adm. R. D. ab Eggs, qui Scriptorum testimonia pro Bonifacio nobis relicta multo labore descripsit. Summas denique laudes ac honores Bonifacio VIII. dixit Roma tota, Italia & Ecclesia pene universa anno praesertim 1605. ubi mandante Paulo V. Pontifice Maximo templum Vaticanum solo aequatum fuit, ut illustrius longè resurgeret. Reserata sunt hic non pauca defunctorum Pontificum monumenta, atque haec inter Bonifacii VIII. Paulus itaque probe memor criminum, quae de Bonifacio hostes sparserant, cadaver mortui lustrare dum jubet, nulla sui parte laesum invenit 15. Octobris an. 1605. etsi annis ab hinc 302. sepulchro fuerit illatum an. nimirum 1303. In tantae rei testimonium ac fidem posteritati conciliandam adducti sunt testes plurimi & conscripta instrumenta publica, quae quibusvis Bonifacii VIII. hostibus vim omnem & arma ademerunt. Vide hac super re citr. Rubeum, Bzovium & Christophorum Ott. Judicet jam aequus arbiter, quid sentiendum sit de ambitione Bonifacii, qua coelestes voces imitatus, ut scribit Hübner, Coelestinum V. à Pontificatu diutius conservando absterruit, judicet inquam num cerebrum sibi in carcere eliserit, & manus arrosarit. Judicet denique, an jure, an per summam injuriam de Bonifacio VIII. dici queat: in-



*travit ut vulpes, vixit ut leo, mortuus est ut canis.* An non de adversariis æquiori jure hæc audiat orbis universus? contra Bonifacium VIII, Ecclesiæ jura invaserunt hostes multi ut vulpes, grassati sunt ut leones, famam ejusdem arroserunt ut canes.

### Responsio X. ad X.

**O**CCURRIT hinc denique lapis offensionis maximus, quo ita offendit pedem suum Lutherus, ut in Romanæ Ecclesiæ stadio currere, ad metam properare, cursum consummare, & justitiæ coronam comprehendere eum amplius haud delectârit. Lapis ille Jubilæum est, seu Indulgentiæ in Ecclesia Romana constanter laudatæ; quas scire cùm ex Historiæ notitiâ pendeat plurimum, & easdem ex Historiæ fontibus oppugnent Indulgentiarum osiores; hinc quales ii Scriptores sint, quæ item afferant de prompta ex Historicis testimonia, nunc attendendum.

Contra Indulgentias scripserunt ante alios acerbius quàm ardentius Lutherus, Calvinus, Tilmannus Heshusius & Martinus Kemnitius Brunsvicensis eodem ferè natus tempore, quo Martinus Lutherus Indulgentias odisse cœperat, non zeli, sed invidiæ causâ. Argumenta, quibus quatuor viri hi Indulgentiarum thesaurum extenuant, sunt eruta partim ex Scriptura, partim ex SS. Patribus, partim ex Theologia, partim ex Historia Ecclesiastica. Argumentis his universis ac singulis abundantissimè respondit C. Bellarminus librò suò II. integrò, quem de Indulgentiis scripsit. Sed nec contentus refutatione adversarum partium, præmisit librum alterum, quo explicuit naturam ac proprietates Indulgentiarum, & tum in eodem, tum in libro II. tam copiosis ac solidis argumentis stabilivit Ecclesiæ sententiam, ut argumenta sanè vocari queant insolubilia. A Bellarmini profectò ætate ad nostra usque tempora nemo comparuit, qui Roberto Cardinali respondere sustinuisset. Ego relicis hinc Scripturæ textibus ac Theologorum sententiis plurimis à Cardinale allatis, solum ferè Kemnitium producam in medium; nam is conatus est orbi testari universo, se tandem extitisse authorem illum eruditissimum, cui tum nova, tum antiqua Ecclesiæ Historia aperuerit compertissimos Romanorum errores de Indulgentiarum valore obortos.

Aries opinione Kemnitii fortissimus est, quo facilè evinci existimat, Indulgentias Pontificias Veteri Ecclesiæ per annos mille & ducentos fuisse



ne quidem cognitae. Opinionem suam firmare nititur testimoniis Durandi, D. Antonini, D. Anselmi, Ruperti Abbatis, D. Bernardi, Petri Lombardi, Gratiani & Roffensis &c. Notanda jam prae rebus omnibus authorum horum sunt tempora. Vixit ac scripsit D. Anselmus circ. an. 1043. Rupertus 1120. D. Bernardus 1130. Gratianus & Lombardus 1145. D. Antoninus 1445. Pontifex verò Alexander III. electus fuit an. 1159. Eugenius III. 1145. Paschalis II. 1099. Urbanus II. 1188. Gregorius VII. 1073. Sergius II. 844. Leo III. 796. D. Sylvester 313. Atqui de his Pontificibus singulis occurrunt testes quavis exceptione majores, qui Indulgentias fidei populo concessas fuisse ab iisdem testantur; de Alexandro enim III. testimonium fert Rescriptum, ut vocamus, Archiepiscopo Cantuariensi datum, & Juris Pontificii Corpori insertum *c. quod autem de Penitent. & Remiss.* Pro Eugenio III. testem se sistit D. Bernardus, qui ab eodem vocatus Crucigerorum exercitui in Palaestinam properanti Indulgentias promulgavit. Lege hac de re D. Bernardi librum II. de Consideratione, & in ejusdem vitae compendio librum III. cap. 4. De Paschalis & Urbani II. Indulgentiis testes litteras reliquit Conradus Abbas Urspergensis, qui scripsit circa annum 1215. ait namque Paschalem II. in Synodo Lateranensi an. 1116. habita; Urbanum verò in Concilio circa an. 1099. Clermontii celebrato, indulgentias indulgisse hunc quidem in Palaestinam abituris, illum verò limina Apostolorum petituris. De Gregorio VII. testimonium dicunt ipsiusmet epistolae per multas, quibus impertivit Indulgentias. De Sergio II. silentibus linguis loquitur parium marmor, quod Indulgentias ab eo Pontifice D. Martini in montibus ædem visitantibus concessas & incisas exhibet. De Leone III. in vita D. Suiberti testimonium scripsit D. Ludgerus author vetustissimus. De D. Sylvestro denique & aliis pluribus Pontificibus extant Romae, ut loquitur C. Bellarminus, in *antiquissimis Ecclesiis memoriae Indulgentiarum à multis Pontificibus concessarum.* Floruit autem D. Anselmus cum Urbano II. Pontifice; Rupertus Abbas Tuitiensis cum Conrado Urspergenfi; Lombardus & Gratianus cum D. Bernardo; D. Antoninus post hos omnes, velut supra indicatum, Seculo quarto supra decimum. Quo igitur pacto tantis authoribus eodem tempore vel toti, vel magna parte Ecclesiae notissimis haud cognitae fuere Indulgentiae ea aetate concedi solitae? Neminem etiam fugit, Seculo duodecimo vix dum finito ab Innocentio III. aut certè ab Honorio III. confirma-



tos fuisse quatuor Religiosissimos Ordines, nimirum Sanctissimæ Trinitatis atque DD. Dominici, Francisci Seraphici, & Pauli Eremitæ. Non minùs promulgata toti propemodùm orbi terrarum fuit visio illa miraculis referta, qua hominum Servator Christus famulo suo dilectissimo concessit Indulgentias ab æde Portiuncula nominatas, quas in annos singulos absque fixo termino ac meta hominibus nota fideli populo concedendas voluit infinitè dives ac bonus Lagitor munerum Deus. Mirante ipso Pontifice Honorio III. obstupescabant acceptò insolitæ rei nuntiò Episcopi minores, qui ob hoc etiam per longam temporis moram obstitère Francisco cum dictis; *in Ecclesia Romana hætenus usitatum nunquam fuisse Indulgentias concedere perpetuas, sed in annos duntaxat decem aut his pauciores.* Vide hæc de re librum de gestis D. Francisci &c. Quòd verò Kemnitius sæpe memoret ab antiquioribus Seculò duodecimò Scriptoribus de Indulgentiis vix unquam fieri mentionem; nullas item motas fuisse lites aut quæstiones &c. talia enim verò haudquemquam movere aut terrere poterunt; ubi enim hostes non provocant, arma silent; ubi partes adversæ conquiescunt, tribunalia vacant; ubi controversiæ non agitantur, conticescunt Doctores, aut dum ventilare cœperunt obortas de dubiis rerum articulis quæstiones, haud curas intendunt causis aliis, bene gnari, sufficere suam diei malitiam. Natæ sunt cum novis Seculis omnino singulis hæreses omnino novæ; cur verò citiùs contra easdem non pugnàrit Ecclesia Romana, causa erat, quòd citiùs non fuerint natæ, utinam nascituræ nunquam. Si Lutherus nimirum natus fuisset Arianorum loco quintò Seculò, tot adversarios invenisset, quot invenit Arius. Igitur cur nullus vel Patrum Indulgentiarum valorem per quindecim ferè Secula propugnandum in se susceperit, ratio erat, quòd nemo eas validè aut fortiter oppugnàrit. Idem planè responsum placebit Lutheranis illis, qui defendunt Ecclesiam ad Seculum usque tertium, vel ut aliis placet, ad Seculum sextum, vel denique, ut aliis lubet, ad Seculum X. ab omni errore illibatam permanisse: hi enim omnes apprimè intelligunt, in Ecclesia verè Catholica cunctis fidelibus non unum duntaxat, sed multos articulos aut dogmata pro norma Fidei fuisse proposita. Quærenti jam, cur alios articulos primis Seculis tam ardentè propugnàrint & Patres & Concilia, non item alios diversos. Responsum in promptu dabitur: quoniam primis Seculis aliqui articuli oppugnari cœpère, non item alii diversi



aut omnino omnes. Fingatur nihilominus, Seculò primùm duodecimò à Romanis Pontificibus initium fuisse datum Indulgentiis, an ideo sunt rejiciendæ continuò? Minimè gentium: tanta enim potestate, tanta & autoritate pollet, atque Divini Spiritùs fulcitur assistentiâ nunc Romanus Pontifex, quantâ pollebat primis Ecclesiæ Seculis: nisi tamen ostendatur Ecclesiam Romanam omnino à se descivisse, atque adeò à suis cœtibus avertisse Supremi Luminis radios. Hoc autem evenisse, cum cohors Lutherana contendat, hinc oportet vel ipsam, vel Calvinianam, aut aliam ab his diversam in veram evasisse Ecclesiam. Roganti itaque, quo tempore Dei Spiritus omnis doli ac erroris expers revelarit ipsis, in viam erroris abiisse Romanam Ecclesiam, & Babylonem similem factam fuisse, respondebit promptissimè Lutherus cum sectatoribus suis: hunc Superùm favorem sibi Seculò primùm sextò supra decimum obtigisse. Patetur proinde Lutherus cum sociis, *nondum abbreviatam esse Manum Domini ad opitulandum Ecclesiæ suæ, præcipuè in rebus ad Fidei regulas pertinentibus, & quidem his ultimis Seculis.* Parùm idcirco refert, an primis an ultimis temporibus Indulgentiæ à Romano Pontifice fuerint propositæ, nisi alio ex capite demonstretur, Ecclesiam quondam verè Catholicam adeò fuisse aliquo tempore immutatam, ut Supremum Ecclesiæ Caput DEUS eandem penitus dereliquerit, cœlestes simul genii procul abcefferint ab eadem cum dictis: *Curavimus Babylonem, & non est sanata: derelinquamus eam, & eamus unusquisque in terram suam; quoniam pervenit usque ad cœlos iudicium ejus, & elevatum est usque ad nubes.* Jerem. 51.

Jam verò quòd vel Bonifacius VIII. vel ullus alius Romanorum Pontificum Indulgentias Romam petentibus concesserit animò lucrandi pecunias, & quidem modò nequaquam licitò, id passim affirmat Hübnerus mille stipatus sociis; sed quibus assertionem suam roboret fulcimentis, parùm angitur. Ignorat nempe, Romanam Ecclesiam haud rarò colluctatam fuisse cum necessitate gravissima, veluti fuerunt terræ motus integras ferè provincias demolientes; fuerunt Saracenorum aut Turcarum innumerabiles copię nunc Palæstinæ, nunc Græciæ, nunc Italiæ, nunc Hungariæ, nunc Poloniæ, nunc ipsi Germaniæ inhiantes. Fuerunt inter ipsos Christianos Principes bella persæpe toti Ecclesiæ formidanda. Fuerunt non minùs persecutiones Christicolarū acerbissimæ, veluti in Anglia, Scotia, Hybernia &c. Fuerunt aquarum eluviones, annonæ defectus, fames, pestis,



pestis, atque morborum mala plurima. His accesserunt ædes sacræ, seminaria, nosocomia, pauperum domus publicæ ac privatæ, eleemosynæ largissimæ, & varia omnino in Curia Romana munerum ac officiorum genera, quæ tum singula, tum universa ingentem auri summam requirunt, ut rebus his cunctis sit prospectum satis. Num igitur ob has aut his non impares necessitudines nefas sit vel Pontifici, vel hoc indulgente Episcopis minoribus moderatum tributum exigere? an fortè ad aras ministri Lutherani, Calviniani, Zvingliani &c. sua qualiacunque Sacramenta absque ullo peculio suis, ut ajunt, oviculis porrigunt? an non & ipsis poenitentia nummus, veluti vocant, eò est charior, quò ponderosior? an non longè gratior aureus, quàm argenteus?

Verùm, inquires, ob Indulgentiarum usum irrepserunt in Ecclesiam Romanam abusus plurimi. Repono tibi, quisquis ita opponis mihi: an non etiam à tuis ministris ad altare servientibus committuntur defectus multi & abusus plurimi? num idcirco propter abusum tolli quamprimùm cupis laudabilem usum? ex Indulgentiis, aut potius harum usurpatoribus natos fuisse abusus, & fors nasci hodie, doluerunt constanter, & dolet hodie Romanus Pontifex; atque ne nascerentur amplius, statuere unà cum Concilio Tridentino transgressoribus poenas graves. Fac ita statuatur poenas Principes Lutherani suis subditis præconibus, si quando vel nimia tributa à civibus exigunt, vel donariis nimiùm inhiant, & ovestondent, vel abusus non cavent, dum vel Matrimonii assistunt, vel natas proles Baptismatis undâ abluunt, vel suam coenam adornant, vel à peccatis absolvunt, vel mortuos ad tumulum deducunt, nunquam non memores suæ crumenæ. Hæc si præstiterint viri, inquam, Principes Lutherani, vix ipsis sufficientes satellites & apparitores, ut præconum suorum defectus & excessus, non usus, sed abusus indictis poenis è medio tollant. He-

li filiis profectò simillimos eosque plurimos cernere  
erit oculo vel perfunctoriè  
vigili.



*Seculum decimum quartum.*

**CXCIII. Benedictus X, Tarvisinus  
Venetus.**

**B**ENEDICTUM IX. dicunt hunc illi, qui plures hujus nominis Pontifices non invenerunt, duobus ejusdem nomenclaturæ Pseudo-Pontificibus, vel etiam uni hujus nominis Pontifici nec locum nec numerum inter Pontifices concedentes. Pastoris is filius in juventute Venetiis à parvulorum instructione victum tenuem pædagogus quæsit; indè verò in D. Dominici Ordine alumnus, ac temporis successu summis quibusvis muniis summa cum laude perfunctus, totius Ecclesiæ Pastor probatus fuit: Bonifacii enim VIII. rigorem moderatâ Clementiâ emendaturus Albertum Imperatorem novis privilegiis honoravit; Philippum Galiliæ, Fridericum Siciliae, Ericum Daniæ Reges cum duobus Cardinalibus de Columna Ecclesiæ Communione ex parte restituit. Simile beneficium Orientis Imperio impertiens, idque Romanæ conciliaturus Ecclesiæ, litteras ad Serviæ Regem Orofium, aliòsque ad hanc rem viros idoneos dedit. Clericos etiam cum Monachis de Sacramentorum Administratione litigantes ita composuit, ut Episcopis ac Parochis de suo splendore ac jure nihil adimeret, Monachos tamen etiam non nimium premeret, bilancem æquam inter utrosque constanter tenendam ratus. Dum verò laudatissimis hisce operibus institit Benedictus, vitæ longioris telam in Pontificatu tam bene cœptam teste Ciaconio intercidit porrecto veneno juvenis, qui, ut fama fuit, ab invidis Præsulibus subornatus rusticana veste, ut fructus venenatos porrigeret, nequitiam suam tegebat. Veste simili ob causam longè dissimillimam delectatus est summopere Benedictus; matrem enim non nisi vili ac rusticano habitu indutam suum in conspectum admisit, ignobilium haud oblitus natalium, plurimis tantum facinus mirantibus, paucis imitantibus. Sedit m, 8.

CXCIV. Cle-



## CXCIV. Clemens V. Aquitanus Gallus.

**A**NNUS numerabatur à nato Servatore millesimus trecentefimus quintus, cum Româ Avenionem in Galliam transiit Ecclesiæ summa potestas, vi ac fraudibus omni jure ac æquitate potentioribus, atque per annos septuaginta & amplius triumphantibus. Novem mensibus in loco Electionis hæserunt Ecclesiæ Præsules Pontificii Electores, donec tandem summi momenti res trium Episcoporum arbitrio commissa, & Regi Galliæ Philippo per eosdem clanculum prodita miserimum sortita est eventum. Raymundus Burdegalensis Archiepiscopus transmigrationi huic vel ansam vel causam præcipuam dedit, cujus ingenium superbiâ elatum probè perspiciens Philippus Rex ipsi proposuit varia gravissimi momenti capita servanda, si in Pontificem eligi ambiret. Eorum caput erat

- I. *Ut Raymundus in Pontificem electus Philippum Regem anathematis vinculo solutum agnosceret.*
- II. *Ut simile beneficium etiam suis subditis secum interdictò nominatis exhiberet.*
- III. *Ut Regi Philippo quinque annorum decimas non negaret.*
- IV. *Ut gesta & acta Bonifacii VIII. irritaret.*
- V. *Ut duos Cardinales de Columna priori dignitati ac honori penitus restitueret.*
- VI. *Ultimum reservavit sibi Rex suo tempore primùm Pontifici aperiendum.*

Omnia hæc se observaturum juramentò promisit Regi Raymundus; juramentum addidit etiam Philippus, quo suam operam & fidem regiam Raymundo promittebat. Hic igitur Pontifex electus ac coronatus fuit præsentibus Galliæ, Angliæ, & Aragoniæ Regibus, aliisque summæ nobilitatis viris Lugduni passim omnibus gaudio exultantibus. Verùm hanc novam & inusitatam in Gallia lætitiâ plurimùm turbavit collapsus paries, qui Clementem novum Pontificem suo de equo dejecit, coronâ Pontificiâ procul excussâ. Inter alios eximii nominis viros desiderabatur Dux Minoris Britanniæ; Carolus verò frater Regis periculosum vulnus acceperat,



perat. Evenit paulò post, ut inter famulos Pontificis & Cardinalium grave certamen ortum fuerit, in quo ipsius Clementis frater vitam amisit. Infaustum omen hoc facillè notârunt inter omnes illi maximè, qui materiam præbebant. Cæterùm confirmatus Pontifex Raymundus ut Philippo Regi quadantenus satisfaceret, Cardinales de Columna pristinæ dignitati continuò restituit; Bonifacium verò Pontificem ut condemnaret, aut ejusdem acta irritaret, aut eundem hæreseos reum accusaret, nulla ratione adigi poterat, etsi se id facturum juramentò promississet. Eo tempore Albertus Austriacus à conjuratis hostibus propè Königsfeldā occisus fuerat; Philippus igitur Rex Galliarum Imperii habenas summo desiderio ambivit, cujus vim ac fraudes ut eluderet tandem Clemens V. continuò litteras ad Imperii Electores clam dedit eosdem seriò commonens, ut absque mora Imperio Imperatorem novum præficerent. Adhæc Templariorum Ordinem tria maximè ob vitia in Concilio Viennensi accusatum ac condemnatum abrogari curavit, quorum Præses Mola cum iudicibus præsens aesset, ad Dei Supremi Judicis tribunal appellasse, simulque Clementem atque Philippum citasse dicitur. Et ecce! uterque comparuit, eodem ferè anno uterque mortuus, Clemens quidem 1314, Sed. 8.

### CXCV. Joannes XX, dictus XXII, Cadurcensis Gallus.

**P**ATRE futore natus, post exhibitos in Gallia aliisque regnis ac provinciis virtutum ac doctrinæ eximios profectus, Portuentis Episcopus fuit lectus ad supremum dignitatis gradum denique ascensus, Clemente V. defuncto ob Cardinalium pertinacissimas dissensiones Sacra Sedes per annos duos & menses tres viduata lugebat, cui malo remedium tandem statuendum ratus Philippus Galliarum Rex, Electores Pontificios dolò haudquaquam noxiò congregatos arctâ custodiâ cinxit, ante electum novum Pontificem haud dimittendos. Electus itaque Avenione in Romanum Antistitem Joannes XX. Divis Ecclesiæ Confessoribus associavit D. Thomam Aquinatem; in Divorum Episcoporum verò numerum adscripsit D. Thomam alterum Herfordiensem in Anglia quondam Episcopum. Ordinem etiam Equitum Christi in Lusitania confirmavit; PP. Carmelitarum verò studiis motus, quin jubente ipsa Virginum ac Dominarum Maxima Scapularis, ut vocant, religiosum usum commendavit, & demum  
Clemen-



Clementis V. Constitutiones cum suis Extra-vagantibus legibus Juris Corpori inferuit. De Imperii sceptro tunc temporis summis certabant viribus Fridericus Pulcher Austriae Archidux & Ludovicus Princeps Bavarus, quorum hic tandem victor Joannis Pontificis hostis capitalissimus est factus; Italiam enim jam Cæsar cum exercitu petiit Gibellinorum furoribus adversus Romanam Sedem, aut veriùs hunc Pontificem jam accensis oleum daturus. Ab aris proin remotus Cæsar Pontificem ipsum judicare, & reum mortis pronuntiare non erubuit. Tres authores aut adjuutores potissimi fuere, Jandunus nempe Perusianus, Marsilius Paduanus, & Wilhelmus Okamus, qui ore & calamo contra Romanam Sedem inflammabant Imperatorem adeò, ut condemnati Pontificis in locum substituerit Petrum Corvaram ex FF. Minorum Ordine Sacerdotem, Nicolaum V. dictum, qui tamen post annos geminos errorem suum bis terque publicè confessus fuit; projiciens demum etiam sese ante Pontificis pedes, filii prodigi verba identidem repetiit: *Pater, peccavi in cælum & coram te &c.* Sublato hoc schismate turbas in Ecclesia maximè Gallicana suscitabant Gerardus Cottus & alii hæretici, qui ex D. Justino, D. Irenæo, & Tertulliano, sese demonstrasse gloriabantur; *ante carnis resurrectionem in cælo Beatis perfectam DEI visionem haudquaquam concedi.* Hanc pravam sententiam dum non continuò condemnavit Joannes, mox inter hæreticos à Ludovico Imperatore, aut veriùs ab hujus adulatoribus est palàm numeratus; qui tamen Pontifex in vita & morte fuerat abundè testatus, se in rebus omnibus cum Ecclesia Catholica constanter sensisse; cui Ecclesiae incrementum etiam in Oriente maximum additurus collegit per annos Sedis 18, decies septies aureorum centena millia, quibus ipse Successori relicto coeli thesauros majores adeptus est an. 1334.

## CXCVI. Benedictus XI. dictus XII. Tolosanus.

**I**ACOBUS Furnerius primò vocatus, fabri, aut, ut aliis placet, molitoris filius, morum, doctrinæ, ac virtutum splendore instar clarissimi syderis inter Patres Cistercienses fulsit. Præ reliquis virtutibus eminebat summa ejusdem animi demissio, qua se pigrum animal dicere consueverat. Unde etiam Cardinales uni Furnerio Pontifici eligendo

*R. P. Kolb Series Pont. Pars III.*

Kk

gendo



gendo intentos interrogavit, *num asinum in Ecclesia Caput electuri forent?* electus tamen vel ob hoc etiam Supremus Antistes Ludovicum Imperatorem Ecclesie conciliare summò studio laboravit, cui tamen studio majoribus obstiterè viribus Reges Gallie, Siciliae, Hungariae, Bohemiae atque Poloniae cum multis in Germania viris Principibus; quin & ipse Ludovicus pessimorum Consiliariorum suorum artibus retractus alteram anathematis sententiam in se provocavit: vice enim altera dum Pontifex Caesaris amicus esse peroptavit, Caesar Spirae in Electorum Imperii conventu propositis contra Joannem XXII, dictum & Benedictum XII, querelis gravissimis statuit & velut ex tripode loqui intendit: *Romanorum Imperatorem nemini subesse, omnibus praesse, eidem proin competere potestatem eligendi Romanum Pontificem.* Romam Pontifex relicta Avenione repetere serió proponere sibi equidem; verum Cardinalium quorundam & multorum in Gallia virorum potentissimorum consiliis permotus novum palatium sibi suisque Successoribus Avenione extruxit in Italia rebus turbatissimis: Romae tamen licet absens ne deesset paratis auxiliis, praeter alia basilicae Vaticanae tectum refici curavit, missis eum in finem quinquaginta aureorum milibus, Templam complura praeter Academiam Veronensem datis stipendiis largissimis erexit; privilegiis verò illustravit Heidelbergense Gymnasium à Ruperto Electore Palatino nuper erectum. Etsi itaque in omnes foret liberalissimus, nullis tamen precibus eò permoveri potuit, ut sanguinis cognatione sibi junctis quicquam temporalis boni concederet, respondere solitus: *Romanum Pontificem consanguineos non habere. Item: si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero.* Et sanè absque omni graviore macula Benedictum hunc vitam duxisse & finiisse, testati sunt praeter multos testes non pauca miracula. Sed, an. 7. mortuus 1342.

## CXCVII. Clemens VI. Lemovicensis Gallus.

**I**N monasterio D. Benedicti ad Casam DEI dicto quondam Prior, ut vocant, ex Priore Abbas Fiscanensis, ex Abbate Episcopus Arelatenfis, & mox Senonensis Archiepiscopus, ac demum SS. Nerei & Achillei Cardinalis, vir teste Petrarcha sui temporis litteratissimus Philosophus & Theologus praestantissimus facile omnes superabat memoriae  
capa-



capacitate, quam gravi ac periculoso corporis lapsu ac capitis impulsu impetrasse est creditus. Pontifex Avenione promulgatus Carolum IV. Regis Bohemorum filium Romanorum Imperatorem eligi curavit, ut tandem Imperii solio excluderet penitus Ludovicum Bavarum, qui Aquisgrani frustra cum exercitu adventum Caroli præstolabatur, ut futuram Cæsaris electionem impediret: hanc itaque etiam ob causam tertium anathemate proscriptus in morte salutaris poenitentiae, ut referunt multi, plenissimam tandem quievit. Ea ætate inter sese mutuò odio dissidebant Philippus Gallorum & Eduardus Anglorum Reges, quos inter amicitiam conciliare incassum laboravit Clemens; ab iis enim prælium tam grave commissum fuit, ut cæsis 20000. Gallorum ipse Rex Philippus vulneratus, ejus verò frater occisus, nec minùs trucidatus fuerit Joannes Bohemorum Rex, Rege Romanorum Carolo tribus vulneribus sauciato, Neapolitanum tunc quoque regnum turbabatur plurimum; Joanna enim Regina, ut se liberaret suspitione mortis, Andream Regio conjugii, fratri Hungarorum Regis illata, ad Pontificem confugit, cui etiam Avenionem tunc vendidit, pecuniis ibidem acceptis exercitum conscriptura, ut regnum sibi ademptum recuperaret. Italia non minùs vexabatur furis Colæ facinorosi & ex infima plebe hominis, qui partim audaciã, partim oris facundiã tantum autoritatis in Romanos cives sibi conciliavit, ut septem coronis ornatus Pontificem ac Romanorum Imperatorem Romam vocare ad dicendam causam coram se iudice non erubuerit. Pontifex tunc agebat in Gallia, cujus Regibus sub specie utraque more Sacerdotum sacram Synaxim sumendi copiam fecisse scribitur. Jubilæum quoque licet absens instituit Romæ anno quinquagesimo ab eo tempore instituendum deinceps. Egit plurima alia prorsus insignia, inter quæ & istud fuit, quòd D. Ivo nem Jurisperitorum decus & D. Elzearium quondam in Provincia Gallia Comitum adscripserit Beatorum numero, ad quos, ut piè credimus, ascendit & ipse an. 1352. Sed. 10.

### CXCVIII. Innocentius VI. Gallus, Lemovicensis.

OMNIBUS prodesse, nemini obesse percupidus Innocentii sibi nomen adoptavit, cui ex Cardinale & Episcopo Ostiensi in Pontificem electo

Kk 2

quatuor



quatuor conditiones servandas præscribebant Electores sacri, quas tamen ipse Pontifex facile elusit, utpote in extremum Ecclesiæ præjudicium postulatas veriùs, quàm petitas. Bella inter Christianos Principes sublata, ex Occidente in Orientem transferri cupiebat maximè; bellum tamen inter Joannem Gallorum, & Eduardum Anglorum Regem fervebat identidem magis; Joannes enim cum filio Philippo Audace vicus ac captus, toto triennio in custodia Anglica detentus hæsit; donec tandem Aquitaniâ Gallorum ditioni per transactionis fœdus subjectâ Rex ad sua rediit regna, suis à Gallis divinis propemodùm honoribus receptus. Ecclesiæ bona tunc in Italia passim rapuerant complures prædones potentissimi, contra quos Ægidius Alburnuzius Cardinalis Hispanus, partim suorum facinorum egregiorum famâ, partim armorum ac militum tractandorum peritiâ, brevi tempore omnia restituit Ecclesiæ. Is loco Pontificis Romæ Imperii diademate exornavit Carolum IV. solertissimum in reparandis Ecclesiæ damnis Imperatorem. Interea Innocentius summò studiò laboravit, Romanam aulam pravis moribus purgare, trahens exemplò suò minores se Ecclesiæ Prælatos ad imitationem, quos brevi, sed efficaci methodo consuevit alloqui: *suam & Ecclesiasticorum omnium vitam ceteris exemplo esse debere ad imitationem Salvatoris nostri, cujus tota vita ad institutionem humani generis respexisset.* Dum ad scelerum destructionem adeò incubuit Innocentius, haud oblitus est ædificiorum tum sacrorum tum profanorum. Verùm dum Avenionem novis cingere mœnibus paravit & munimentis, ipse inclusus fuit sepulchro haud decempedali an. 1362. Sed. 9.

### CXCIX. Urbanus V. Belloquardensis Gallus.

**D**UM ex ipso Cardinalium Collegio nec universis nec multis unus placuit, nemini displicuit in Pontificem eligere VVilhelmum Grimardum in D. Benedicti Cœnobiis primùm ad D. Germanum, indè verò ad D. Victorem in Gallia Abbatem à sui ævi Scriptoribus rarâ laudum encomiis exornatum. Vix summo in munere confirmatus fuit, in Asiam usque sua extendit desideria, Palæstinæ opem & auxilium potentissimum exoptans, quod tamen negârunt Imperii Principes bellis in Europa continuis fatigati; ex quorum numero amicitia vinculo conjunxit



junxit Carolum IV. Imperatorem, & Ludovicum Hungariæ Regem Caroli generum. Casimirum item Poloniæ & Valdemarum Daniæ Reges Ludovico Hungaro adherentes. In Italia Bernabovem Vice-Comitem Ecclesiæ hostem pertinacissimum, bis Ecclesiæ communionem privatum, armis denique victum, ipsum sibi & Ecclesiæ reddidit. Beguardorum deinde hæresin in Concilio Lugdunensi jam damnatam penitus eradicare contendit. Religiosarum non minùs quarundam familiarum corruptos mores detestatus, sumptuosa convivia, præsertim Novitiis vota religiosa profitentibus onerosa vetuit. Antistites etiam ab Ecclesiis suis sine gravi causa absentes sui officii seriò & severè commonuit. Bononiense adhuc Gymnasium, longis bellorum turbis quassatum, suo vigori restituit; Cassinense verò Cœnobium à Joanne XX. in sedem Episcopalem provecum, pristinae Abbatia statui restituit. Multa alia tum in Italia, tum in Gallia, extructis novis ædificiis exornavit & ordinavit. His laudatissimis facinoribus motus Petrarcha, aliique viri consiliis clarissimi Urbano Pontifici suaserunt, ut relicta tantisper Galliâ Romam minimùm inviseret, rebus per Summorum Pontificum absentiam collapsis consulturus; quorum monitis ac multiplicatis precibus persuasus in Italiam, & denique Romam ubi pervenit, à Romanis Senatoribus demissimè exceptus fuit, offerentibus iisdem urbis claves debita Romano Pontifici subjectionis testes. Vidit tum Roma tria, eaque Suprema toto facilè in orbe capita, Pontificem nimirum, Imperatoresque duos Occidentis Carolum IV. Orientis verò Joannem Palæologum. In unam igitur convenère denuo Romana & Græca Ecclesia; adoratus fuit ab utraque simul *Divinissimus Spiritus à Patre & Filio procedens*. Agnitus est Romanus Episcopus Græcorum etiam Pontifex Supremus. Christi Servatoris nostri Corpus sub specie panis tam fermentati, quam non fermentati, contineri crediderunt omnes additò proposito, quo præsentem & futuram fidem firmarunt. His maximè arduis rebus partim præmisit, partim subjunxit negotia Ecclesiæ summè proficua: tot itaque gestis clarissimus Galliam suam Gallus Urbanus repetiit. In via obviam sibi habuit D. Brigittam, ex cujus ore haud vano intellexit, mortem sibi brevi obventuram, si in Galliam cœptum reditum luberet continuare. Vatem fuisse hanc Virginem quavis Sibyllâ illustriorem eventus comprobavit; tertio enim post adventum suum in Galliam mense mortem sibi non modò obviam, sed præsentissimam habuit an. 1370. Sed. 8.



## CC. Gregorius XI. Lemovicensis, Gallus.

**P**ETRUS Rogerius illustrissimo Comitum Belfortiorum genere natus, Clementis VI. ex sorore Joanna Rogeria nepos quadragesimum ætatis annum agebat, dum festivo trium DD. Magorum die consecratus est Pontifex tanto honori reluctatus diutissimè. Cardinalium numerum cum ad ingentem paucitatem redactum cerneret, viginti tribus auxit & exornavit altimator meritorum æquissimus, non personarum acceptor; inter eosdem tamen Petrum de Luna dictum vates commonuisse scribitur, attenderet sibi, ne Luna ipsius eclipsin Ecclesiæ tristem pateretur. Quam eclipsin sanè tristem fuisse commonstravit schisma inter Bonifacium IX. & Petrum de Luna à Gallis excitatum. Ut Orienti periclitanti succurrerent Occidentis Reges, pacem Gallos inter & Anglos missis Legatis procuravit; per Legatos alios Joannem Palæologum in unione Ecclesiæ confirmavit. Ut verò virorum maximè Ecclesiasticorum mores emendaret, totius Christiani orbis Patriarchis, Archiepiscopis & Episcopis mandata dedit, ut Concilia provincialia congregarent. Episcoporum etiam ab Ecclesiis suis absentiam majori rigore prohibiturus Galliæ quempiam rogavit Episcopum, an non sibi vitio verteret tam longam sua ab Ecclesia Diocesana absentiam? Reposuit mox Summo inferior Episcopus; an non & ipse Romanus Pontifex vitio summo sibi verteret tam longam Pontificum à Romana Sede absentiam? his verbis velut mutuis telis vulneratus uterque sapuit. Pontifici proin huic plurimùm obstricta est Italia, quin universa Ecclesia; etsi enim Gallus foret, Galliam tamen præter vivum adhuc genitorem, fratrem geminum, & alia multa in patria jucundissima reliquit, Rege & universo Gallorum regno resistente minimè retractus, ut Romæ supremum Ecclesiæ Caput more Majorum sedere rursus occiperet, Catharina Senensis Virgo Divino Numine illustrata hunc in Italiam Pontificis reditum litteris multùm urgebat, Petrarcha verò Doctor eximius Gallorum argumenta, pro Sede Avenione continuanda in lucem edita, argumentis fortioribus continuò confutabat. Dum tamen Romæ commoratus fuit Gregorius, partim exortis inter Romanos tumultibus, partim Cardinalibus aliorumque Galliæ additissimorum hominum pravis consiliis



filiis mutatus est adeò, ut patriam suam repetere vix non statuerit animo firmissimè. Verùm repentè obicem posuit mors amica Italis, Gallis inimica, Gregorio autem inter sacrum & saxum hærenti amicissima: post mortem enim etiam ab inimicis maximi est habitus, quos frequentissimos habuit ejus sepulchrum Romæ gloriosum. an. 1378. Sed. 7. mort.

## CCI. Urbanus VI. Neapolitanus.

**Q**UINDECIM Romæ Cardinales debebant hoc tempore, undecim Galli, quatuor Itali; hi cum Romanis aliisque suis maximè popularibus Gallorum in Gallos nimiam affectus propensionem veriti, natione Romanum, aut certè Italum eligi cupiebant in Romanum Pontificem, bonum universi sic postulare asserentes. Galli itaque Romanorum tumultum veriti Urbanum VI. elegerunt Bartholomæum Brignanum dictum, Episcopum quondam Barensem, qui cum electus Pontifex eorum temporum vitia tollere, & inprimis Purpuratorum mores emendare pro viribus laboraret, hi tertio post electionem Pontificis mense Anagninam, & inde Fundos digressi sunt operâ Joannæ Reginae Siculae freti, quæ à Carolo Durazzo Hungarorum Duce penè in eodem loco occisa dicitur, in quo conjux regius Andreas ab eadem occisus, aut occisum fuisse rumor fuit. Interea Robertus Gebennensis Cardinalis à collectis Avenione Cardinalibus Pseudo-Pontifex electus est ibidem sedem suam habiturus, cui Balbus ejus temporis Jurisconsultus famosissimus & Catharina Senensis, nec non Catharina altera D. Brigittæ filia, imò tota Italia, Germaniæque cum vicinis regnis vehementer obstiterè, favente tamen Clementi VII. (sic nominari volebat) tota Gallia aliisque regnis & provinciis. Inter multa præter electionem Pontificis Urbani meru, ut ajebant, extortam displicebat congregatis Avenione Cardinalibus in eodem maximè, quòd intra breve temporis spatium quinquaginta numero viros Ecclesiasticos sacrâ purpurâ ornasset, & ex his Gallicarum partium sex amicos Urbani hostes occidi Genuæ aut permisisset, aut turpius mandasset; alios item Gallorum defensores Cardinalitia dignitate privasset. Placuit tamen plerisque in Urbano, quòd festum Magnæ Virginis, cui à Visitatione nomen est, toti Ecclesiæ celebrandum promulgârit, Jubilæi verò solennia ad annum 33. restrinxerit memorannorum illorum, quos in humana carne Deus Homo in terris transegit. Hæc agens datò venenò

occu



occubuisse fertur, à quo tamen sumendo, futuri præscia, D. Catharina Senens. Pontificem monitis absterruisse memoriæ proditum est. Mortem hanc plurimis gratam magis, quàm vitam longiorem fuisse testata sunt funebria paucorū lacrymis aut luctibus honorata aut notata a. 1389. Sed. 11.

## CCII. Bonifacius IX. Neapolitanus.

**P**ETRUS antea vocatus, nobili Tomacellorum profapiâ oriundus, ab Ælgidio Cardinale Viterbiensi hunc in modum fuit laudatus: *Bonifacius nonus omnium, qui unquam fuerunt Pontificum, ut maximè juvenis, ita & maximè integer, maturus, & gravis. Agebat is ætatis annum circiter trigesimum, quem homines in ætatis flore tantâ sapientiâ, virtute, moderatione præditum, non ut hominem suspiciebant, sed ut Numinis effigiem prædicabant, colebant, admirabantur.* Talem tamen tantumque Pontificem Banderiffi, seu regionum urbis præfecti seditionum novarum Romæ auctores morti daturi fuissent, nisi Ladislaus Apuliæ Rex Romæ tunc commoratus, correptis armis ab injuriis Bonifacium defendisset, qui tutiora secutus Româ Perusium, deinde Assisium, ac paulò post Spoletum, rursusque Assisium se contulit. Pacatis tandem rebus, fructus primi anni de collatis in Ecclesia beneficiis sibi tradi præcepit, ut Turcis atque Tartaris aliisque Christianæ Reipublicæ hostibus ritè occurreretur. Quanti proin Ecclesiæ majus incrementum & pacem æstimaverit, ex eo ostendit etiam, quòd renuntiare Pontificatui suo quamprimùm seriò decreverit, si tamen etiam Clemens Pseudo-Pontifex suo qualicumque jure cederet. Haud cedere volentem Superum, ut reor, beneficiò opportunè vita destituit; in Ecclesia tamen turbas mors nequaquam abstulit; renitente enim ipso Galliæ Rege, Cardinales Galli Avenione collecti Petrum de Luna Aragonem Benedictum XIII, appellatum, novum adversarium opposuerunt Bonifacio. Petrus hic cum D. Vincentio Ferrerio sibi familiarissimo persæpè detestatus fuisse fertur longissimum ejus temporis schisma; verum post adulterinam sui electionem nimium pertinaciter amavit obcæcatus honore proprio, quem in Clemente VII, facile despexit. Atque adeò cum hoc alteroque æmulo suo certavit Bonifacius annis 14, mens. 11, intra quos Divorum Catalogo addidit D. Brigittam Sueciæ Viduam. Hujus Pontificis mentionem honorificam faciunt *Annales Bavarici & Palatini, cujus Ducem & Imperatorem Rupertum contra*

Vice-



Vice-Comites in Italiam cum suis copiis vocavit, quas tamen Galeacius inter Mediolani Vice-Comites Princeps dolis potius, quam armis vicit post reportatam victoriam inglorius magis, quam gloriosus. Exercitum etiam ritè instructum misit Bonifacius contra Bajazethem Turcarum Imperatorem, quem Tamerlanes Tartarorum Dux, à Manuele Palæologo Constantinopolis Imperatore in suppetias vocatus, opportunè vicit ac cepit, captivumque ferrea cavea inclusit, plaudente ad tantæ rei spectaculum orbe Christiano universo circa an. 1404.

### *Reflexiones Historicae supra Seculum XIV.*

**Q**UERELAS à variis Scriptoribus in Romanos hujus Seculi Pontifices confictas, vel certè solidò fundamentò destitutas ne obiter inspicias velim, amice Lector, ut ponderatis dein responsis, quod æquum fuerit, noveris judicare, & ferre sententiam virò dignam.

I. Clemens V, ut absolveret Venetos excommunicationis nodò constrictos, Franciscus Dandalus Legatus genibus adrepere ad Pontificem, & canis instar sub mensa stertere Avenione cogebatur.

II. Nicolaus V, suòmet se suffragiò elegit. Idem an. 1333, ob unionem inter Latinam ac Græcam Ecclesiam stabiliendam Legatos Constantinopolim misit: verùm Episcopi Græci Nicolao rescripserunt in hunc modum: *superbiam tuam tolerare non possumus; avaritiam tuam explere non valemus; diabolus tecum, quia Dominus nobiscum.*

III. Benedictus XII, præter admissos alios notabiles defectus Francisco Petrarchæ obtulit Cardinalitiam dignitatem, ut ab eodem impetraret sororem mira pulchritudine præditam &c. De hoc eodem Pontifice reliquerunt hoc dytichon famosum, aut infame potius:

*Hic situs est Nero, laicis mors, vipera Clero:*

*Devius à vero, cupa repleta mero.*

IV. VVicleffus, Pontificum Romanorum hostis æquissimus & doctissimus, suâ exquisitissimâ potissimùm doctrinâ dedit initium reformationi, à Joanne Huls & Martino Lutero &c, plenius institutæ. Ita Hübner & alii,



## Responsio I. ad I.

**E**TSI excusserim Historicos bene multos, qui Clementis V. gesta typis mandârunt, præter Hübnerum tamen deprehendi nullum, qui affereret, Franciscum Dandalum, aut alium à Venetis missum Legatum genibus adrepfisse ad Clementem Pontificem, & canis instar sub mensa latitasse, ut anathematis vinculo solverentur cives Veneti. Fac vel istamen Hübnerianam fabulam transiisse in Historiam; an idcirco, omiſſis rebus memoratu longè dignioribus, hoc unum non gravis momenti facinus in libro Historico locum occupet? Severiores hercle pœnas, ut superius memoratum est, de Magnatibus, imò Regibus, anathematis sententiâ proscriptis exigebant in Lege Veteri, & in antiquissima Ecclesia Romani Pontifices aut Episcopi, quos tamen ob hoc nemo facile vituperavit, nisi cum locis Hübnerus vituperiò ipse longè dignissimus, si tamen emendationi sponderet locum.

## Responsio II. ad II.

**S**I didicisses, Hübner, discrimen ponere legitimos inter & Pseudo-Pontifices, tunc ipse facile tuò expungeres foliò Nicolaum hunc ordine tuo & nomine V. Hic itaque cum invitis Electoribus legitimis Sedem Pontificiam invaserit, & sibi similes Legatos Constantinopolim miserit, hinc fuit ratio, cur meritò Græcorum Episcopi hunc in modum rescripserint: *superbiam tuam tolerare non possumus; avaritiam tuam explere non valamus; diabolus tecum, quia Dominus nobiscum.* Prudentiores procul dubio fuerunt hi Græci; cum probè callerent, nullo unquam tempore duos sedere Pontifices posse in eadem Sede; indè est, cur longè diversas ad Joannem legitimum Pontificem dederint litteras humilitate ac humanitate refertissimas. Fac tamen fingas tibi Nicolaum V. juxta Canones creatum fuisse Romanum Pontificem, ad quem nihilominus tuis vel suis verbis paululùm antè recitatis Pontifici responderint Græci; perinde nequam Pontificis, sed potiùs Græcorum superbia tuum proderet errorem, quo maluisti Pontificem Romanorum, quam Græcos imperito lectori exosos reddere.

## Responsio III. ad III.

**M**IRAMUR meritò vehementer Hübneri & Scriptorum similium in re Historica vel ignorantiam, vel certè injustitiam, quam in malè descri-



describendis Pontificum multorum gestis prodiderunt. Vel enim Hübnerus & ipsi non bene legerunt Pontificum Romanorum facta, vel compertam veritatem conantur suppressere Scriptores perpetuo ob- vel subreptitii. Scribendi hæc auctor mihi præter plurimos est Benedictus XII. Pontifex laudatissimus passim Historicis omnibus, si eos excipias, quibus Historici nomen haudquâquam competit. Amabo, ne tædeat lustrare probati calami Historicos, quales sunt D. Antoninus, Petrus Boerius etiam Jurisconsultus celeberrimus, C. Ægidius Viterbiensis, & quivis alii non aperti Pontificum calumniatores; tum enim verò patebit, quantâ concordia fuerint in dilaudando Benedicto XII. Omissis pluribus, unius aut alterius authoris huc transfero testes litteras, ut Lectori fidem faciant. Boerius ita habet: *Benedictus (cui & Bonifacii & Benedicti nomina congruunt, quia in ipso vim, quam gerunt, profecto sortita sunt) Benedictus igitur hic nomine, vim Bonifacii vocabuli semper stultit opere exercere; fuit enim vitâ castus, statu humilis, scientiâ plenus, moribus, non genere nobilis, voce blandus, aspectu bonis amabilis, malis terribilis; Magnates non verens, pauperes refovens, doctos provehens, corrupta depollens, viros idoneos sublimans, indignos reprimens. In judiciis insuper factisque suis mirabilis, quoniam non secundum carnem & sanguinem, sed in equitate & justitia ambulavit. Meruit itaque thronum duodecimum possidere verè Benedictus in terris, pariter & esse convictor in cælis; nam bonis laboribus fructus retribuitur gloriosus.* C. Ægidius Viterbiensis hæc scripsit: *nihil Benedicto in servanda justitia durius, nihil in communi consuetudine mansuetius, nihil in miseris juvandis incitatus, Senatoriam potestatem administrari jussit Ecclesiæ auspiciis, Evangelij lectione & observatione delectabatur unicè: pacis & tranquillitatis, quoad vixit, ex Principis Superi jussu studiosissimus fuit. Nemo Benedictum ex obliquis actibus in crimen vocare potuit, tam solers, vigilans, circumspectus, pius, justus rectique tenax omnibus apparuit.*

His duobus Platinam tertium jungo, qui præter multa encomia his verbis Benedictum XII. laudavit: *Semel toto sui Pontificatus tempore sex Presbyteros Cardinales creavit viros egregios, non de sua stirpe, ut nunc fit, sed undequaque ad tantam dignitatem vocatos. Tanta præ-*



tere à constantia fuit, ut dimoveri à recto vel vi, vel precario, vel pollicitationibus nunquam potuerit: bonos enim diligebat, & vicissim malos ac sceleratos aperte odio habebat. In morte autem optimi Pontificis & doctissimi omnes ferè collacrymârunt. Hos itaque aliosque magni nominis authores, Hübner, adductis in medium argumentis fortioribus, confuta, vel tuos severè castigat omulos, ex quibus, si abstuleris falsitates singulas ac universas, tuam parvitatem mirabitur oculus multitudine ac magnitudine librorum tuorum priùs magnoperè deceptus.

### Responsio VI. ad VI.

**S**AT magnis laudibus ad sidera usque extollunt equidem Hübnerus, Academici Coburgenses, & Lutherani Scriptores alii Joannem Wicleffum, ut superiùs licuit intelligere; si tamen & mores & doctrinam Wicleffi profundius inspexissent, & veritati suffragium ferre didicissent, raderet, nisi vehementer me fallam, utrosque sui facti, mallentque mecum Wicleffum hæreticum dicere, quàm reformatorem colere. Ut ordine procedamus, attendere libeat primò ad doctrinam Wicleffi dogmaticam; secundò perpendamus, quantus fuerit in comparatione Doctorum, per tria eaque viciniora Wicleffo Secula, existentium; tertio inspiciemus, quibus præditus fuerit moribus ac virtutibus.

### Dogmata Wicleffi.

1. **S**ubstantia panis materialis, & similiter substantia vini materialis remanent in Sacramento Altaris.
2. Accidentia panis non manent sine subjecto in eodem Sacramento.
3. Christus non est in eodem Sacramento identicè & realiter propria presentia corporali.
4. Si Episcopus vel Sacerdos existat in peccato mortali, non ordinat, non consecrat, non conficit, non baptizat.
5. Non est fundatum in Evangelio, quòd Christus Missam ordinaverit.
6. DEUS debet obedire diabolo.
7. Si homo fuerit debite contritus, omnis Confessio exterior est superflua & inutilis.
8. Si Papa sit præscitus & malus, & per consequens membrum diaboli, non habet potestatem super fideles sibi ab aliquo datam, nisi fortè à Cæsare.



9. Post Urbanam VI. non est aliquis recipiendus in Papam, sed vivendum est more Græcorum sub legibus propriis.

10. Contra S. Scripturam est, quod viri Ecclesiastici habeant possessiones.

11. Nullus Prælatus debet aliquem excommunicare, nisi prius sciat eum excommunicatum à DEO; & qui sic excommunicat, fit ex hoc hereticus vel excommunicatus.

12. Prælatus excommunicans Clericum, qui appellavit ad Regem vel ad Concilium regni, eo ipso traditor est Regis & Regni.

13. Illi, qui omittunt predicare sive audire verbum DEI, propter excommunicationem hominum, sunt excommunicati, & in DEI iudicio traditores Christi habebuntur.

14. Licet alicui Diacono vel Presbytero predicare verbum DEI absque auctoritate Sedis, sive Episcopi Catholici.

15. Nullus est Dominus civilis, nullus est Prælatus, nullus est Episcopus, dum est in peccato mortali.

16. Domini temporales possunt ad arbitrium suum auferre bona temporalia ab Ecclesia, possessionatis habitualiter delinquentibus, id est, ex habitu, non solum acta delinquentibus.

17. Populares possunt ad suum arbitrium dominos delinquentes corrigere.

18. Decime sunt pura eleemosyna, & possunt Parochiani, propter peccata suorum Prælatorum, ad libitum eas auferre.

19. Speciales Orationes applicata uni personæ per Prælatos vel Religiosos, non plus profunt eidem, quam generales, cæteris paribus.

20. Conferens eleemosynam Fratribus, est excommunicatus eo facto.

21. Si aliquis ingreditur Religionem privatam qualemcunque, tam Possessionatorum quam Mendicantium, redditur ineptior & inhabilior ad observationem mandatorum DEI.

22. Sancti instituentes Religiones privatas, sic instituendo peccaverunt.

23. Religiosi viventes in Religionibus privatis non sunt de Religione Christiana.

24. Fratres tenentur per laborem manuum victum acquirere, & non per mendicitatem.

25. Omnes sunt Simoniaci, qui se obligant orare pro aliis, eis in temporalibus subvenientibus.



26. Oratio praesciti nulli valet.
27. Omnia de necessitate absoluta eveniunt.
28. Confirmatio juvenum, Clericorum Ordinatio, locorum Consecratio reservantur Papae & Episcopis propter cupiditatem lucri temporalis & honoris.
29. Universitates, Studia, Collegia, Graduationes & Magisteria in eisdem sunt vanâ gentilitate introducta, tantum profunt Ecclesiae sicut diabolus.
30. Excommunicatio Papae vel cujuscunque Praelati non est timenda, quia est censura Anti-Christi.
31. Peccant fundantes Claustra; & ingredientes sunt viri diabolici.
32. Ditare Clerum est contra Regulam Christi.
33. Sylvester Papa & Constantinus Imperator errarunt Ecclesiam dotando.
34. Omnes de ordine Mendicantium sunt haeretici, & dantes eis elemosynas sunt excommunicati.
35. Ingredientes Religionem aut aliquem Ordinem, eo ipso inhabiles sunt ad observanda divina Praecepta, & per consequens ad perveniendum ad regnum caelorum, nisi NB. apostata verint ab eisdem.
36. Papa cum omnibus Clericis suis possessionem habentibus NB. sunt haeretici, eò quòd possessiones habent: & consentientes ei, omnes videlicet Domini seculares & ceteri laici.
37. Ecclesia Romana est Synagoga Satanae, nec Papa est proximus & immediatus Vicarius Christi & Apostolorum.
38. Decretales Epistola sunt apocrypha, & seducunt à fide Christi: & Clerici sunt stulti, qui student eas. NB.
39. Imperator & Domini seculares sunt seducti à diabolo, ut Ecclesiam dotarent bonis temporalibus.
40. Electio Papae à Cardinalibus, à diabolo est introducta.
41. Non est de necessitate salutis, credere Romanam Ecclesiam esse supremam inter alias Ecclesias.
42. Fatuum est credere Indulgentiis Papae & Episcoporum.
43. Juramenta illicita sunt, quae fiunt ad corroborandos humanos contractus & commercia civilia.



44. Augustinus, Benedictus & Bernardus damnati sunt, nisi pœnituerint de hoc, quòd habuerunt possessiones, & instituerunt & intraverunt Religiones: & sic à Papa usque ad ultimum Religiosum omnes sunt hæretici.

45. Omnes Religiones indifferenter introductæ sunt à diabolo.

Atque hi errores Wicleffiani secundùm seriem hanc relati, à Concilio Constantiensi fuere condemnati, ut posteritas Wicleffianos errores intelligeret copiosius, & vitaret diligentius.

Jam quantus in comparatione aliorum Doctorum fuerit, attendamus. Sunt libri Joannis Wicleffi nec multi, nec magni. Inter universa ejusdem scripta principem, nisi fallar, locum obtinuerunt Tractatus duo, quos aduersus Religiosos Mendicantes conscripsit; sunt hi tamen aliquæ ejusdem libri omnes copiosissimis referti erroribus: quot enim ac quanti errores ex calamo Wicleffi fluxerint, patet ad oculum ex paulò antè allatis positionibus. Patet item ex eo maximè, quòd nec Joannes Hufs, nec Joannes Calvinus, nec Martinus Lutherus, aut horum affectæ Wicleffi vestigia secuti fuerint, nisi factò discrimine inter permultos errores, quos non amplecti, sed tanquam hæreses declinare, aut certè tanquam errores evitare secum constituerunt. Legat enim, cuicumque integrum fuerit legere traditos à Joanne Hufs, vel Calvino, vel Luthero fidei articulos, & deprehendet, eosdem inter sese & Wicleffum toto, ut ajunt, coelo diffidere. Discrimen amplius notabit Lector attentior, si animò bene perpendat suò, quòd duorum vel in unico dogmate dissensio sit maxima in Fide discrepantia: huc quippe quadrat bellissimè effatum Philolophis juxta ac Theologis notissimum: *bonum ex integra causa, malum ex quolibet defectu.* Haud ambigo, quin de hisce rebus abundè constet Hübnero & Lutherizantibus aliis; & tamen ab his ipsis tanti ducitur Wicleffus, ut vel ob doctrinam suam singularem primus magnæ reformationis auctor dici queat, atque omnibus per complura Secula Doctoribus longissimè præferri mereatur. Agedum igitur, reflectamus mentis oculos ad Seculum XIII. XIV. & XV. perpendamus viros doctissimos, quos & à fronte & à tergo, cominus & eminus cernere potuit Wicleffus; si namque Romana Ecclesia Wicleffo longè superiores, aut certè æquales exhibuerit Doctores, non habebunt Protestantes quicquam, quo deinceps glorientur Wicleffianâ doctrinâ olim tam vanè elati.

Scripto-



## Scriptores Ecclesiastici Seculi XIII.

**S**EDIT Pontifex usque ad annum 1216. Innocentius III. qui duos tomos edidit, in quibus continentur libri doctissimi ultra viginti. Praecesserunt per omnia antecedentia, & secuti sunt Innocentium per subsequentia tria Secula tum Pontifices, tum Purpurati Patres eruditione, scientia, & experientia sanè plerique, aut maximam eorum partem si inspicere lubeat, clarissimi. Fidem dubitanti facile faciet Adm. Rev. D. Canonicus ab Eggs, qui in suis libris, quos *Pontificium Doctum, & Purpuram Doctam* jure meritissimos appellavit, tam Pontificum, quam Cardinalium libros plurimos, Sermones, Homilias, Epistolasque ferè innumeras, magnà solertiâ annotavit.

Scriptit Gyntherus Parisiensis Monachus Historicus, ab Henrico Canisio meritò inter viros doctos numeratus circa an. 1200.

Helinandus Gallus octo supra quadraginta librorum auctor maximi aestimatus à D. Antonio & Vincentio Bellovacensi.

Conradus Urspergensis Abbas ex Ord. Præmonstrat. Germanus, circa an. 1210.

Honorius Augustodunensis librorum Theologicorum & Historicorum multorum auctor, circ. an. 1220.

D. Antonius de Padua Ulyssiponæ natus plurimè miraculis in vita jam clarissimus, ob conciones, variorum hominum conversiones, & libros suos doctissimos *hereticorum malleus*, ab Honorio autem III. Pontifice *Arca Testamenti* vocatus. An. 1231, mortuus, altero mox anno ab obitu suo in numerum Divorum relatus.

D. Raymundus de Pennafort Hispanus Barcinonensis D. Dominici alumnus religiosissimus, miraculorum gloriâ, Jurisprudentiæ & Theologiæ scientiâ maximè conspicuus circ. an. 1230.

Guilielmus Parisiensis Theologus facilè 28, librorum auctor notissimus. circ. an. 1240.

Jacobus à Vitriaco Gallus, Episcopus Tusculanus à Thoma Cantipratenfi & Surio magni aestimatus.

D. Edmundus Cantuariensis Archiepiscopus in Anglia.

Alexander de Ales Anglus Ord. D. Francisci DD. Bonaventuræ & Thomæ Aquinatis Præceptor.

Hugo



Hugo de S. Caro Burgundus Ord. D. Dominici, qui præter libros permultos singulari industria conscripsit Concordantias in SS. Biblia, circ. an. 1250.

Humbertus Viennensis Gallus quintus Generalis Ord. D. Dominici multorum librorum Scriptor eruditissimus.

Vincentius Belluacensis Ord. D. Dominici Auctor quatuor Speculorum, scilicet Doctrinalis, Historialis, Naturalis & Moralis.

Robertus Sorbona Author Collegii Sorbonæ, qui præcipuè scripsit de conscientia & confessione, circ. an. 1260.

B. Albertus M. Lavinganus Suevus Ord. D. Dominici, Episcopus Ratisbonensis, inter Theologos & Philosophos prodigium, mortuus est an. 1280.

Thomas Cantipratensis Ord. D. Dominici, discipulus Alberti M. D. Thomæ Aquinatis condiscipulus, cujus etiam in edendis libris strenuus fuit æmulus.

D. Thomas Aquinas Italus Neapolitanus Ordinis D. Dom. illustris sanguine, illustrior longè sanctitate, doctrina & sapientia inter Theologos & Philosophos Phœbus, auctor septendecim tomorum, mortuus an. 1274. ætatis 50.

D. Bonaventura Ordinis D. Francisci Italus Balneoregiensis, Albanensis Episcopus & Cardinalis, author octo tomorum doctissimus & sanctissimus, mortuus eodem anno, quo D. Thom. tempore Concilii Lugdunensis.

Udalricus de Argentina Ord. D. Dom. M. Alberti discipulus, circa an. 1280.

Ægidius Romanus Ord. D. Augustini, Archiepiscopus Bituricensis, D. Thomæ Aquinatis discipulus, quem Magistrum suum edendis libris strenuè imitatus fuit, circa an. 1290.

Richardus de Media villa Anglus Ord. D. Francisci D. Thomæ æmulator, Raymundus Lullus natus in insula Majorica ob variam eruditionem suam & doctrinam à multis *Doctor illuminatus* dictus.

Henricus Gandavenfis Belga Archidiaconus Fornacensis auctor egregii operis Quodlibetorum, & permultorum aliorum librorum.



## Scriptores Ecclesiastici Seculi XIV.

- J**oannes Duns Scotus, Doctor meritò Subtilis vocatus, auctor fuit per multorum librorum omni scientiarum genere refertorum. Mortuus est an. 1308.
- Augustinus Anconitanus Ord. D. Aug. vir omni doctrinarum genere clarissimus, uti testimonium perhibent multi ejusdem libri in Bibliotheca Vaticana servati.
- Idiota doctissimus & humillimus, qui suum nomen suppressit, ut hominibus author lateret, soli Deo pateret.
- Petrus Aureolus Ord. Minorum Archiepiscopus Aquensis an. 1310.
- Antonius Andreae Aragonius Ord. D. Francisci, Scoti discipulus doctissimus.
- Durandus à S. Portiano Ord. D. Dominici, Episcopus Meldensis, insignis Theologus, qui singulari humilitate Ecclesiae judicio ac sententiae suos subjecit libros.
- Franciscus Mayronis Scotus Ord. D. Francisci, Scoti discipulus celeberrimus, 1320.
- Guilielmus Okam Anglus Ord. Minorum Scoti discipulus ab heterodoxis magni aestimatus, quòd contra Joannem XX. dict. XXII. Pontificem scripserit pro Ludovico Bavaro Imperatore.
- Monaldus Dalmata Ord. Minor. Archiepiscopus Beneventanus, simul Theologus & Jurisperitus, Martyris lauream coronatus à Saracenis.
- Nicolaus Lyranus relicto Judaismo Ordinem Minorum ingressus, vir planè doctissimus.
- Petrus Paludanus Burgundus Ord. D. Dominici, Patriarcha Hierosolymitanus variorum operum auctor.
- Guido Catalaunus Prior Generalis Ord. Carmelitarum, Episcopus Majoricensis scripsit ingens volumen de hæresibus omnibus.
- Petrus Bertrandus Episcopus Aeduensis, qui plurima disputavit & scripsit de Jurisdictionis origine, & præcipuè de Jurisdictione Ecclesiastica.
- Lupoldus Bambergensis vir eruditissimus scripsit librum de Juribus Imperii, in quo multa addidit Juribus ad Historiam Ecclesiasticam pertinentibus,

Joan.



- Joannes Andreas Bononiensis Jurisconsultus doctissimus, scripsit in quinque libros Decretalium &c. 1340.
- Joannes de Baccone Anglus, Ord. Carmelitarum Provincialis, Theologus & Philosophus doctissimus.
- Simon de Cassia Hernicus Ord. D. Augustini, vir summè Religiosus, scripsit quindecim libros de rebus gestis Servatoris nostri JESU Christi, præter alios libros similes complures.
- Henricus Suso Germanus Ord. D. Dominici, vir omni virtutum genere clarissimus, veluti testantur ejusdem etiam libri virtutum doctrinà plenissimi.
- Robertus Holkoth Anglus Ord. D. Dominici auctor in Theologia Scholastica & Ascetica multum probatus. 1350.
- Thomas Argentinensis Germanus Ord. S. Augustini Prior Generalis Theologus & Asceta famosissimus.
- Gregorius Ariminensis Ord. D. Augustini Prior Generalis par Thomæ Argentinensi Doctor.
- Richardus Radulfus, Archiepiscopus Armachanus, scripsit novendecim libros adversus errores Armenorum & aliorum &c. ex quo Joannes VVicleffus multa describens malignè applicavit.
- Franciscus Petrarcha Florentinus plurimorum & diversissimorum operum auctor à nemine non maximi æstimatus. 1360.
- Nicolaus de Gorram Gallus Ord. D. Dominici scripsit in libros tum Veteris tum Novi Testamenti doctissimè.
- Joannes Taulerus Germanus Ord. D. Dominici Orator & Scriptor prorsus insignis.
- Manuel Caleca Græcus doctissimus scripsit librum contra errores Græcorum pro Latinis. 1370.
- Henricus de Hassia Carthusianus in sacra Scriptura versatissimus.
- Joannes Rusbroschius Belga, vir rerum Divinarum contemplationi valde addictus, multum laudatus à Dionysio Carthusiano.
- Marsilius ab Ingen in Academia Heidelbergensi Doctor & Rector doctissimus. 1390.
- Baldus Ubaldus Italus Perusinus Jurisconsultus etiam hodie celeberrimus.



## Scriptores Ecclesiastici XV. Seculi.

- A**NTONIUS de Butrio Bononiensis Juris Pontificii Doctor egregius, 1400.  
 Joannes Capreolus Tolosanus Ord. D. Dominici, D. Thomæ Aquinatis propugnator studiosissimus. 1410.  
 D. Vincentius Ferrerius Valentinus Ord. D. Dominici DD. Apostolorum imitator ferventissimus miraculis etiam clarus.  
 Franciscus Zabarella Patavinus, Florentiæ Archiepiscopus doctissimus.  
 Petrus ab Alliaco Cameracensis Archiepiscopus, doctrina ac dignitate par Zabarellæ.  
 Joannes Gerson Gallus, Cancellarius Parisiensis orbi notissimus. 1420.  
 Thomas Valdensis Anglus Ord. Carmelitarum Provincialis trium tomorum auctor clarissimus, in quibus solidissimè etiam refutavit VVicleffitas & Hussitas.  
 Augustinus de Roma Episcopus Nazarenus Ord. D. Augustini multorum librorum auctor. 1430.  
 Paulus Burgensis, relicta Judæorum sectâ, denique Episcopus Burgensis creatus, scripsit varia opera pro re Catholica.  
 Henricus Kalteisen Ord. D. Dominici in Concilio Basileensi disputavit per tres continuos dies contra Hussitas de libera prædicatione Verbi Dei. 1440.  
 Joannes Ragusæus Ord. D. Dominici in eodem Basileensi Concilio orationem habuit doctissimam per octo dies de Communione sub utraque specie contra Hussitas.  
 D. Bernardinus Senensis Ord. D. Francisci, vir doctrinâ, scientiis & miraculis clarissimus universam Italiam concionibus, totam verò Ecclesiam libris illustriorem reddidit.  
 Joannes de Polemar Archidiaconus Barcinonensis in Concilio Basileensi per tres dies dixit contra Hussitas de civili dominio Clericorum.  
 B. Joannes Capistranus Italus Ord. D. Francisci D. Bernardino amicissimus, libris & laboribus pro Ecclesiæ utilitate in se susceptis celebratissimus, scripsit etiam contra Hussitas.  
 Alphonfus Tostatus Hispanus, Episcopus Abulensis, vir sanctitate & doctrina, quas exemplo & calamo copiosè prodidit, famosissimus.

Flavi-



Flavius Blondus, qui Eugenio IV. à secretis fuit, scripsit Historiam Romanam, in qua Ecclesiasticæ Historiæ pars magna continetur.

Nicolaus Tudescus Siculus, Ord. D. Benedicti, Abbas & dein Archiepiscopus Panormitanus, fuit Juris Canonici peritissimus, author octo tomorum extitit.

D. Antoninus Florentinus, Ord. D. Dominici, & indè Archiepiscopus Florentiæ multorum ac variorum librorum author doctissimus juxta ac sanctissimus, parvo in corpore eximiam gerens animam, mortuus est an.

1459.

Aeneas Sylvius Senensis, denique Pius II. Pontifex Maximus, qui solus doctrinâ suâ, scientiâ, prudentiâ, experienciâ, libris editis omnes Romanorum Pontificum hostes facillè confundit.

D. Laurentius Justinianus Venetus, Canonicus Regularis primùm, dein Venetiis Episcopus, & denique primus ibidem Patriarcha, doctrina ac sanctitate miraculis comprobata maximè insignitus.

Joannes de Turrecremata Hispanus Ord. D. Dominici, Episcopus Sabinus & S. R. E. Cardinalis, Theologus & Jurisperitus eximius.

Bessarion Græcus, Episcopus Nicænus, & denique S. R. E. Cardinalis, editis libris & Legationibus Pontificiis maximè insignis, pro unione Latinæ & Græcæ Ecclesiæ scripsit, præter complures libros, orationem prolixam simul & maximè nervosam.

Georgius Scholarius Græcus doctissimus, qui orationes varias & libros pro Romana scripsit Ecclesia.

Nicolaus de Cusa Germanus, Decanus S. Florini, deinde Episcopus Brinxinensis, ac tandem Cardinalis, scripsit duobus tomis contentos libros permultos.

Dionysius Carthusianus Belga doctrina ac sanctitate maximè conspicuus.

Thomas de Kempis Belga, inter Canonicos D. Augustini Regulam amplexus, permultis libris doctrina ac virtute refertissimis claret.

1460.

Ambrosius Camaldulensis Florentinus, Generalis Abbas sui Ordinis doctrinâ ac prudentiâ eminens.

1470.

Gabriel Biel Germanus, qui Tübingæ in Würtembergia diu docuit & scripsit complures libros.

1480.

Joannes Picus Mirandolæ Comes ingenio & doctrinâ suo tempore Maximus.



Marfilius Ficinus Florentinus insignis Theologus,  
 Joannes Nauclerus, nobilis Suevus, Præpositus Tübingensis,  
 Albertus Krantzius Theologiæ, Juris Canonici Doctor & Professor, nec  
 non Historicus celeberrimus.

Felinus Sandeus Ferrariensis Jurisconsultus celeberrimus,  
 Joannes Trithemius Germanus Ord. Benedicti, Abbas Spanhemienfis &  
 Herbipolensis Theologus & Historicus famosissimus,

Horum omnium & longè plurium aliorum authorum libros inveniet  
 Lector annotatos partim à C. Bellarmino in libro de Scriptoribus Eccle-  
 siasticis, partim in discursibus Coburgensibus &c. ex quibus pronum ac fa-  
 cilè erit colligere, quàm exiguus, & ferè nullus sit Joannes VVicleffus  
 comparatus tot ac tantis viris doctissimis, qui ante ipsum, cum ipso, & post  
 ipsum in lucem ediderunt libros. Nec oblitum, aut ignarum hìc velim  
 quemquam, quòd Typographia hoc primùm Seculo decimo quinto fuerit  
 inventa, annò nimirum 1440. Argentinæ à Joanne Guttengico, uti te-  
 statur Theophilus Raynaudus; vel 1452. Moguntia à Joanne Baptista Fau-  
 stio, uti perhibent alii. Unde apparet, quòd tametsi tum in Canonicorum  
 Collegiis, tum in Academiis, tum in monasteriis, tum in privatis domibus  
 inveniendi fuerint viri doctrinà celeberrimi, paucos tamen eorundem vel  
 libros scripsisse, vel scriptos typis mandasse. Quare neque his ulla ratione  
 comparandus venit VVicleffus inter plurimos gigantes pygmæus. Quod  
 si tamen VVicleffo ob suam doctrinam adeò multum sit tribuendum, ut  
 inter reformatores, si Superis placet, Ecclesiæ vel primum locum occupet,  
 quid tribuendum esse censebimus viris in omni scientiarum genere ver-  
 latissimis iisque ferè innumeris, qui à duobus his nostris ultimis Seculis in  
 universa Ecclesia Romana floruerunt, & copiosissimis libris non modò  
 Europam, sed & reliquas orbis universi plagas impleverunt, quibus pro-  
 fectò nequaquam comparari poterit pars Europæ non adeò spatiosa, in qua  
 reformatores, hoc est, deformatores, si ita loqui Latinis liceat, Ecclesiæ  
 Septentrionem versùs instar noctuarum in tenebris nidulari cœperunt  
 ab uno alteròque Seculo.

Tandem quibus virtutum exemplis ac moribus Ecclesiam reformarit  
 VVicleffus, videbimus modò, Notissimum nobis est Evangelii oraculis,  
 quos mores colere studuerint Pharisei. Verbis virtutem præferebant, o-  
 pere prodebant vitia, sepulchris dealbatis non absimiles. Diverfam à Pha-  
 risæis



rifais tenuit semitam VVicleffus, verbis nimirum praelusit operibus, ore, & opere superbissimus, quam notam characteristicam de hæreticis nobis reliquit D. Hieronymus. Quisquis jam de superbia VVicleffi dubitat, is animò revolvat suo & oculis allatas superiùs propositiones plurimas; in iis sanè ab inferis ascendit grassatus per terras ad Superos usque, sua unius sententia circumscribens & comprehendens mysteria omnia, nullo humanitatis aut humilitatis relicto vestigiò: juxta VVicleffi enim definitivam, ut loquimur, sententiam & oraculum velut ex tripode prolatum cacodæmon Deo imperare potest. En! quanta potestas tribuatur inferis! Ex mente VVicleffi infallibili Romanus Pontifex sua excidit potestate, errarunt Imperatores, erravit, & turpiter hallucinatus est status totus Ecclesiæ tam sacer, quàm civilis; nullius valoris sunt ferè amplius Sacramenta; nullius vigoris sunt qualescunque leges, quoniam ita mandat VVicleffus, & instar Platonis jubet quiescere. Est hæc sanè plusquam Tarquinia superbia. Verbis nuncjungamus VVicleffiana opera per pauca. Erat VVicleffus natione Anglus Parochus Lutlevoræ in diocesi Lincolniensi, Junxit parocciæ suæ denique Præposituram, ut appellant, Cantuariensis Collegii, quam graves ob causas eùm Cantuariensis Episcopus, consentiente Gregorio XI. Pontifice, eidem ademisset, adeò irâ & audaciâ provectus fuit, ut Episcoporum & Summi Pontificis potestatem labefaciare ore & calamo nunquam destiterit, Longiùs inde progressus Marfilii Paduani & Janduni hæreses amplecti coepit, Tandem ex Berengario, VValdensibus & Albigenibus, damnatis ab Ecclesia Romana hæreticis, varias excerptis propositiones damnatissimas, quas ipse aliis suo ex cerebro petitis multiplicavit, & pertinacissimè propugnavit; etsi aliquando ob doctrinam suam in vincula datus palinodiam cecinerit, promittens saniora, promissis tamen nunquam staturus; in sua enim copiosa hæresi ad agonem suum usque perseveravit, die D. Thomæ Cantuariensi sacro paralyti extinctus. Vivum damnavit Synodus Londinensis, mortuum Constantiensis, cujus mandatò cadaver VVicleffianum exhumatum ignique infami traditum, cineres verò in profluentem abjecti; quod viventi utiliùs contigisset. Nunc vel stans, vel sedens delibera, Hübnere, an VVicleffum suam maximè ob doctrinam reformatorem potiùs, quàm deformatorem Ecclesiæ malis dicere. Mihi deliberatum satis est: VVicleffo longè potior est mihi plurimorum Theologia, Jurisprudentiæ, Historiæ, & omnium aliarum vel scientiarum vel artium



artium peritorum superiùs dictorum eruditio summa, scientia incomparabilis, sapientia cœlestis & sanctitas perspicuis, iisque plurimis miraculis corroborata. Potior mihi etiam sit, oportet, gemini Concilii & totius Ecclesiæ authoritas, quàm unius viri ambitiosissimi simulque pertinacissimi, malè viventis ac morientis exemplum.

*Seculum decimum quintum.*

**CCIII. Innocentius VII. Sulmonensis  
Italus.**

**C**OSMUS Milioratus Sulmonæ honestis natus parentibus eam laudem tum ante, tum in ipso Pontificatu, vel ab ipsis Romanorum Pontificum obtreçatoribus, fuit promeritus, ut eorum unus Theodoricus Niemus de Cosmo postea Innocentio VII. verba multis digna calamis reliquerit, quibus ait, Cosmum fuisse *mitem, probum, benignum, castum, non superbum, non avarum, non cupidum, Simonie osorem, & experte in rebus agendis industriæ.* Eligendus & electus in Pontificem Innocentius juramentò se obstrinxit, renuntiaturum se quamprimùm Summæ Sedi, si perinde sua Ecclesiæ pax redderetur, & Petrus de Luna se Pontificem non gereret amplius. Verùm Ladislaus Neapolis Rex metuens sibi à Gallorum copiis, quò minùs suo juri aut dignitati Pontificiæ renuntiaret Innocentius, effecit, cogens eundem, unius Regis privato commodo postponere bonum universi. Is ipse tamen Rex ex amico in hostem Pontificis mutatus ex Ecclesiæ gremio ejici anathema meruit, in cujus gratiam receptus est equidem, sed absque suo merito, imò culpa sua majori Romanorum civium seditioni causam & ansam subministrans vice altera exaustoratus fuit à Pontifice: Romani quippe Proceres à Ladislao suffulti identidem novas excitârunt turbas, quas ut sedaret Innocentius, undecim, atque hos inter quinque Romæ natos creavit Cardinales. Verùm necdum sic sedata tempestate, Ludovicus Pontificis nepos incio ac invito Patruo gravissimam de Romanis civibus sumpsit vindictam undecim eorum necans, Detestatus est hoc facinus

cinus



cinus Innocentius, cujus innocentiam præter alia Romanis civibus probavit plurimarum virtutum decor, quo ornatus diem suum obiit an. 1406, Sed. 2.

## CCIV. Gregorius XII. Venetus.

**P**OSTQUAM Innocentio VII. parentatum fuit, decem cum quatuor Cardinalibus locum electioni novi Pontificis destinatum ingressi, dicto sacramentò in sequentia puncta consensere: primò ut quisquis eorum electus fuisset Pontifex, is ad tollendum schisma juri suo renuntiaret, si etiam Petrus de Luna jure suo cederet. Secundò, ut ante sublatum schisma Pontifex in numerum Cardinalium neminem admitteret. His ritè jurejurando firmatis, & datâ synographâ munitis, Angelus Corarius Patriarcha Constantinopolitanus Latinus & Presbyter Cardinalis, ac eximius SS. Theologiæ Magister, communi omnium suffragio in Supremum Ecclesiæ Præsidem electus fuit, Gregorique XII. nomine insignitus. Vix nomen hoc in orbe Christiano innotuit, plus quàm alias schisma arde- re cœpit, Gregorio tamen Petrum de Luna ad cessionem juris sui per literas primùm, dein per Legatos invitante, atque suum exemplum offerente. Verùm Petro in suo proposito pertinaciter persistente, & conventus locum Savonam Italiæ urbem per importunum Gregorio Pontifici præscribente, per longas moras res protracta fuit. Periculum etiam Gregorio intendit Ladislaus Sicilia Rex, qui cum exercitu Romam ingressus Pontificem in vincula dedisset, nisi se protinus in Arcem S. Angeli recepisset, Cardinalibus fermè omnibus fugâ dilapsis. Româ Pontifex paulo post Viterbium; inde verò Senas, & mox Pisas pervenit: verùm ut Pisanum Concilium à Cardinalibus motu proprio indictum declinaret, Senas repetit; ubi, derelictus ferè à Purpuratis Consiliaris omnibus novos Cardinales creavit multorum doctissimorum virorum permotus tentantis, qui juramenti religione non amplius ligatum Gregorium pronuntiabant. Interea Pisis Concilium à Cardinalibus, invito Gregorio jam congregatum fuit, in quo & ipse, & Benedictus, seu Petrus de Luna locum cedere jussi sunt Petro Philargo in Candia insula nato, quem Alexandrum V. dixerunt. Cessit haudquaquam uterque æmulus, Gregorius fortan jure & meritò; immeritò Benedictus, qui Valentis in Hispania, quo aufugerat, se adhuc Pontificem gerere pergebat vanò titulo gloriosus. Gregorius

*R. P. Kolb Series Pont. Pars III.*

N<sup>o</sup>

vero



verò, Arimini desertam ducens vitam, in Concilio denique Constantiensi universorum votis respondit paratissimus obedire, non imperare. Obedivit itaque annis sex jam non Pontifex, sed Cardinalis, postquam annis duobus imperare magis voluit, quam imperavit. Annus vitæ ultimus Gregorio fuit 1417. quem octoginta, aut ut alii placet, nonaginta annorum senex moriendo ita absolvit, ut an. 1623. corpus ejusdem nulla sui parte læsum fuerit repertum.

### CCV. Alexander V. Cretenfis.

**P**ETRUS Philargus antea nominatus, in pueritia ostiatim dum vicium rogavit, à viro quodam Minorum Ordinis Religiosissimo in Monasterium Cretense admissus venit, ut ibidem primis litterarum elementis imbutus ad aram facientibus minister foret. Ex tantillo ministro scientiarum Magister clarissimus creatus, Oxoniense in Anglia, Parisiense in Gallia, & alia in aliis regnis Athenæa rara eruditione illustravit. In Longobardiam etiam delatus adeò inclaruit, ut hujus viri famâ permotus Insubriæ Dux Joannes Galeacius primos eidem honores in arcano suo senatu obtulerit, Episcopus dein Vicentinis datus, & mox Novariensibus; paulò post etiam Mediolani sacer Antistes præfuit. Ab Innocentio VII, maximi quoque habitus, & ideo purpurâ & Legatione Longobardica insignitus, discordes Insubriæ populos plaudente tota Italia ad concordiam reduxit. In solio Pontificio tandem constitutus, datis ad Imperatorem, Reges, & viros Principes epistolis, diuturnum schisma ab ovo ad malum, ut ajunt, novo examine discussum penitus tollere, sacram verò militiam adversus Turcarum exercitus in Hungaria prope Semendriam Sigismundi Regis victores accendere summò studiò laboravit. Ladislaum igitur Siciliae Regem, Ecclesiasticis in Italia bonis inhiantem, suò regnò exuit, quòd nec Ecclesiæ jus suum reddere, nec sacræ expeditioni succurrere paratum sciret. Lites quoque inter Clericos & Monachos de Administratione Sacramentorum exortas, data nova Constitutione diremit, qua Mendicantium Ordinibus jus suum fuerat confirmatum. Munificentissimus adhæc in quosvis pauperes Francisci pauperis filius hic fuisse legitur, adeò ut nihil sibi penè reliquum servaret Pontifex; unde per jocum dicere fuit auditus crebrò; *se divitem Episcopum fuisse, inopem Cardinalem, Pontificem verò mendicum factum.* Ejus proinde mortem luxerunt maximè mendici; quam hæc



hæc inter ultima morientis verba adstantibus annuntiavit: *pacem meam relinquo vobis, pacem meam do vobis.* an. 1410. Sed. m. 10.

## CCVI, Joannes XXI, dictus XXIII. Neapolitanus.

**B**ALTHASAR Coffa nobilis familiae juvenis tam Pontificio quam Cæsareo Juri Bononiæ dans operam, ex eoque Doctoratus laureâ ornatus Romam petiit; ab amicis verò, quibus valedixit, interrogatus, quò proficisceretur, respondit tum per jocum quidem, sed cum tempore serium: *Romam ad Pontificatum.* Et en! brevè spes consequendi tandem Pontificatum auroræ instar coepit eidem affulgere: à Bonifacio IX, enim in Pontificiam aulam quamprimùm admissus, dein verò Diaconus Cardinalis S. Eustachii, & mox Bononiæ Legatus fuerat creatus. In hoc aut simili officiorum genere multos transigens annos, Bononiam Mediolani Vice-Comitibus jure ademptam Ecclesiæ restituit. Longum etiam schisma execratus, inter præcipuos Pisani Concilii & Alexandri V, ab eodem in Sedem Pontificiam evecti, authores extitit. Tantæ igitur authoritatis cum jam fuisset in promovendo suo Antecessore, facilè sexdecim Cardinalium consensum vix non obscuris artibus sibi in Pontificem deligendo, etiamnum Bononiæ commoratus comparavit; multorum certè suspicionibus vel apertis querelis se obnoxium fecit, quòd vel armis vel auri adminiculo viam sibi ad supremum dignitatis verticem straverit. Supremi itaque Præsulis officio fundurus militiæ ducem potiùs, quam Pontificem egit; relicta enim tantisper tiarâ Pontificiâ sagum & galeam indutus Ladislaum Neapoleos Regem, aut ejus regni invasorem veriùs vicit, Ludovicò Andegavensi in Siciliae solium promotò, Pontificem tamen etiam tunc egit, cum Constantiæ Concilium congregavit, cni & ipse interesse coepit an. 1414. faciens initium à coronatione Sigismundi Cæsaris. Concilio autem huic ansam dabat maximam schisma gravissimum; tres enim Pontifices, aut fortè nullum numeravit tum Ecclesia Romana. Benedictus, Gregorius & Joannes erant, quorum ultimus præstiti juramenti non probè memor, insignia Pontificia haudquaquam deponere paratum se ostenderat, etsi Gregorium aut Benedictum exemplò

Na 2

præ-



præeuntes conspecturus foret. Vim igitur cum sibi parari animadvertet, Friderici Austriae Archiducis auxilium & territorium petiturus, relicta clam Constantiam fugit Schaffhusiam; inde Lauffenburgum, ac denique Brisgoiae Friburgum, ubi per aliquot dies, datis crebro ad Concilium & ab eodem acceptis litteris, commoratus, ac tandem Constantiam reductus fuit; ibidem vero praesente Concilio depositus, & ne novas excitaret turbas, Manhemii aut Heidelbergae in custodiam per aliquod tempus est datus, cum in suo qualicumque Pontificatu perdurasset an. 5. E custodia denique vel elapsus, vel sponte emissus, Florentiam ad Martinum V. Pontificem contendit; cum in Vigilia Corporis Christi, uti vocat Ecclesia, publice ad ejus pedes advolutus haud alium, quam Martinum professus est verum, *unum ac legitimum Pontificem*, a quo proin perbenigne habitus Episcopusque Cardinalis Tusculanus & sacri palatii Decanus est promulgatus. Verum haud longo tempore novo hoc munere ac honore frui Joanni datum fuit; Florentiae enim vel dolore animi, vel morbo in visceribus latente, vel dato veneno extinctus diem suum obiit an. 1419.

## CCVII. Martinus III. dictus V. Romanus.

**C**ONSTANTIAE in palatio super lacum Acronianum extructo à  
23. Cardinalibus electus est in Pontificem Otho de Columna  
Diaconus Cardinalis D. Georgii, die Turonensium Episcopo D.  
Martino sacra, in cujus proin honorem Martini III. sibi nomen indidit,  
Virtutes & dotes varias hujus Pontificis summopere dilaudans Platina ad-  
dit, tantam fuisse omnium de ejus assumptione laetitiam, ut praecredibili  
gaudio suam homines laetitiam linguis explicare primitus vix potuerint,  
Et sane hujus insoliti gaudii testis fuit maximus ipse Sigismundus Impera-  
tor, qui nullo dignitatis suae habito discrimine conclave ingressus, grates  
habuit summas Electoribus Pontificiis universis ac singulis, quod tantum  
virum Reipublicae magna ex parte suppressae tam utilem ac necessarium e-  
legerint. Ante ipsum vero recens electum Pontificem prostratus Cae-  
sar pedes ejusdem veneratione summa fuit exosculatus. Novus itaque  
Pontifex tanta omnium laetitia confirmatus, promovere ac continuare stu-  
duit Constantiense Concilium, in quo aliquando numerati sunt Cardi-  
nales



nales 27. Patriarchæ 6. Archiepiscopi 39. Episcopi 190. Abbates 147. Procuratores Archiepiscopales 16. Episcopales verò 400. Urbem stipare adhæc sunt visi Viri Principes, Comites, Barones ac Nobiles faciliè 16000. Post habitas 45. Sessiones ob gravissimas causas finivit Martinus Concilium, ex cuius unanimi sententia Joannes Hufs sectariorum in Bohemia antesignanus fuit combustus, Italiam igitur repetiit Pontifex, quem brevè secutus fuit Joannes quondam æmulus, tum verò inter Cardinales loco ferè principi collocatus, quòd Martino III. haud imperare, sed obedire strenuè didicerit vir aliàs militari spiritu elatus. Gregorius etiam paulò antè alter æmulus insignem promeritus est laudem, eò quòd remiserit Pontificis insignia Concilii arbitrio penitus relinquenda. Eiusdem proinde acta à Concilio fuerunt probata, & Cardinales ab eo creati dignitatem pristinam receperunt; ipse verò Gregorius Legatus Pontificius perpetuus constitutus pientissimè, sicut vixit, diem vitæ ultimum clausit an. 1417. Disparem longè exitum vitæ sibi ipsi paravit Petrus de Luna seu Benedictus; is enim, etsi à Martino III. Legatis & litteris ad emendationem sui fuisset humanissimè invitatus, annis 30. continuus Romanus Pontifex vivere & mori pertinaciter ambivit, commonens in agone etiam Pseudo - Cardinales duos, ut sibi vitâ defuncto successorem continuo substituerent, qui imperata haud segniùs fecerunt, quàm Petrus imperaverat; in Pontificem enim sibi delegerunt Ægidium Barcinonensem Canonicum, Clementem VIII. ab Hispanis paucis vocatum, qui cum de Pontificatu suo admodum angusto conservando desperaret, Episcopatu suo minore contentissimus vixit. Interea Martinus decreta omnia durante schismate consignata, iis duntaxat exceptis, quæ ad *Fidem & bonos Mores* pertinent, omnino sustulit & antiquavit. Rebus tamen tanquam incertis ac dubiis in Concilio Constantiensi relictis consulturus magis Concilium aliud indixit, cuius congregandi opportunum locum Pavia, sed ob ingruentem mox pestilentiae morbum Senæ offerebant. Verùm etiam Senis congregatò Conciliò longiùs permanere integrum non fuit; Alphonsus enim Arragonum Rex Martino Pontifici, ob denegatum sibi Neapolis Siciliae Regis titulum, in sensus Petri de Luna causam in se suscipere & ansam gravissimis turbis præbere merito timebatur. Quare in sequens septennium Concilium Basileæ cogendum fuit dilatatum. Eum in finem Basileam misit Julianum Cæsarinum Cardinalem, Pontificis loco futurum Concilii Præsidem. In Bohemia tunc maximi



incendii instar excitata hæresis Germaniam maximè affligebat, cui simul & provinciis aliis ut opem ferret Martinus, præter subsidia alia in Rempubli-  
cã Christianã collata Gymnasium Heidelbergense, à Ruperto Pa-  
latinarũ ac Bavarix Duce extructum, laudavit; Lipsiense verò, Merse-  
burgense, & Eliense diplomatibus & gratiis permultis decoravit. Duode-  
cim facilè Universitates, Lycea, aut Gymnasia in diversis Europæ partibus  
vel erexit, vel erecta amplificavit. Plura parantem mors apoplexiæ mor-  
bò accelerata Ecclesiæ Martinum eripuit an, 1431, Sed. 13.

## CCVIII. Eugenius IV. Venetus.

**G**ABRIEL Condolmerius vocatus patre Angelo defuncto viginti  
aureorum millia in pauperum turmas confertissimas distribuit, ut  
relictis Seculi curis cum socio Antonio Corario D. Augustini pe-  
teret monasteria, quibus incrementum daturi Venetiis Canonorum Re-  
gularium Collegio D. Georgii in Alga dicto initium dederunt. Ibidem  
Antonius Corarius Gregorii XII, nepos studio honorandi Pontificem a-  
vunculum suum recens electum percupidus, juncto sibi socio Gabriele  
Romam contendit. Susceptus uterque à Pontifice perhumaniter, ac præ-  
ter spem omnem amplissimis brevè dignitatibus est auctus: Antonium e-  
nim Bononiensi, Gabrielem verò Senensi Ecclesiæ præfecit Episcopum.  
Utrumque deinde, invito licet Patrum Senatu, in numerum Cardinalium  
assumpsit, utrumque suo munere haud perfunctoriè defunctum, Gabrie-  
lis certè operã Martinus V. in Gregorii depositi locum suffectus, hujus sui  
promotoris studiò arduis in rebus fuit usus. Picentinã & Bononiensi Le-  
gatione percelebris factus dum Romam revertitur, Pontifex salutatur  
haudquaquam novò commotus nuntiò: dum enim inter D. Augustini  
Canonicos etiamnum agebat, eremicolam sibi obvium habuit Propheta  
haud dissimilem: is Gabrieli Pontificios honores in multos annos prædi-  
xerat, Pontifex itaque coronatus Sigismundum Romæ Imperatorem Im-  
perii coronã exornavit; Concilium verò Basileense à Martino inchoa-  
tum, urgentibus Imperatore & Rege Gallix, tum ad extirpandam Bohe-  
morum hæresin, tum ad emendandos & in Germania & Gallia mores, ali-  
quo tempore quidem continuavit, ejus verò progressus haudquaquam  
comprobavit: in eadem enim Synodo multa in præjudicium Romani  
Pon.



Pontificis acta meritò fuerunt reprobata. Hanc ob rem Ferrariæ Eugenius, licet invitis permultis Basileæ Patribus, aliam indixit Synodum, Florentiam deinde pestilentia vitandæ causâ translata, cui interfuere etiam cum Imperatore suo Palæologo Græci Episcopi, alique viri Ecclesiastici numerò facile septingenti, qui uno ore omnes sese iungebant Latinis, unico Marco Patriarcha Ephesino excepto, qui antiqui in Oriente schismatis pertinacissimus conservator permansit, secum in ruinam post biennii lapsum Græcorum permultos trahens. Inter hæc Basileense conciliabulum Eugenio Amadeum Sabaudia Ducem, tum verò Eremicolam opposuit Pseudo - Pontificem Felicem V. nuncupatum, qui ab Ænea Sylvio Concilii Legato sua ex eremo evocatus, atque in Concilio Basileensi fuit coronatus; sed & ab eodem Sylvio Aquisgrani, maximè in coronatione Frederici Cæsaris, Eugenio præhabito publicè derelictus, in Concilio demum Lausannæ anno 1449, celebrato omni suo, si quod habuit, juri valedixit, tum primùm universæ probatus Ecclesiæ, cum Pontificem se longè majorem in Nicolao V. fuit veneratus. Annis omnino viginti quinque Basileense conciliabulum perduravit, longo tempore suffultum maximè auxiliis Helvetorum; qui tamen à Gallis faciliè victi Basileam deseruere, dilapsis quaquaversum residuis Prælati, Concilii cujusvis auctoritatem Romani Pontificis sententiæ etiam Dogmaticæ præferentibus. Reges passim ac Imperii Principes partium diversarum studiis addicti, ab Ænea Sylvio denique persuasi Eugenio subscripsere, qui cum annis 16. ferè inter summas adversitates & intestina Italia bella perdurasset, malorum plurimorum mole tandem succubuit an. 1447.

## CCIX. Nicolaus V. Lucensis Italus.

**T**HOMAS Sarzanus patre Medico Serazena Lucensis agri urbe natus, postquam Bononiensis adhuc Antistes & Legatus ad Cæsarem Pontificus, Pontificatus honorem ferè deprecatus fuit, eundem denique communi omnium voce vocatus atque ferè coactus admisit. Noverat Thomam Sarzanum ante alios Æneas Sylvius; unde, *in commentario de rebus Basileæ*, in laudes ipsius his verbis excurrit; *tota urbs ex hujus assumptione letata est. Fuerunt, qui alium*  
*Cæ-*



Cardinalem, à quo majora sperabant, Pontificem factum magis optas-  
sent; at hunc Papam nemo invitus vidit. Nemo ex Cardinalibus  
fuit præter hunc nostrum, quem non aliquod excluserat odium: alii  
Ursinensem, alii Columnensem, alium Galli, alium Catalauni formidabant: sed con-  
scius omnium rerum Paraclitus hunc accepit, hunc præfecit, quem amaturos sciebat  
omnes. Vidit scrutator cordium DEUS in hoc Patre summam humilitatem, hanc  
exaltavit; vidit singularem justitiam, hanc premiavit; vidit præcipuam huma-  
nitatem, hanc amavit; vidit prudentiam grandem, hanc delegit; vidit scien-  
tiam prudentissimam, hanc Ecclesia sua sponsa præfecit; vidit exuberantem e-  
loquentiam, hanc necessariam in Pontifice Maximo judicavit. Neque enim unâ  
vel alterâ doctrinâ pollet, ut quidam ex nostris, qui una & hac minùs nota scien-  
tia superbientes contemnunt exteras. Artibus septem, quas liberales vocant, sic à  
pueritia imbutus est, ut omnia præsentia sint; Philosophos omnes novit; Histori-  
cos, Poëtas, Cosmographos, Oratores, Theologos item; nam & sacris artibus ini-  
ciatus est: Juris Civilis & Pontificii notitiam habet, nec Medicinam ignorat,  
Provincias plurimas peragravit; Principes Christianæ Reipublicæ majores adi-  
vit; in rebus maximis versatus est, & domus & civitatum regimina est expertus,  
Quod si unquam sperare beatam Ecclesiam licuit, sub hoc Pontifice spes ista florebit:  
nunc vulgò dicitur, exclusis vitis virtutes & doctrinas imperium habituras &c.  
Hunc itaque Pontificem non tam ab hominibus, quàm Superis electum,  
pridem revelante DEO cognoverat in somnis ipse Fridericus III. Impera-  
tor à Nicolao sub annum 1451. cum Eleonora Imperatrice Regis Lusita-  
niæ filia Imperii diademate ornatus. Is enim tum Romæ his allocutus est  
verbis Nicolaum: cum Vienna (Legatus) à me recessisti, vidi per quietem me  
Romam accessisse, à te autem corona insigniri; mirabar: somnò correptus non me  
bene coronatum opinabar: cum id non Romanus, sed Bononiensis Antistes fecisset.  
Experrectus somnium sprevi: at cum te Cardinalem & Pontificem creatum intelle-  
xi, futurum credidi, quod somnia veram. Nicolaus igitur tanto vati præ-  
cognitus Pontifex, contra Hussitas in Bohemiam, tum etiam in  
Germaniam, tum in alia regna varias ob causas Legatos & litteras  
misit, summè sollicitus, ut tria maxima mala vel omnino tollerent è  
medio, aut saltem magna ex parte diminuerent. Inter eadem mala pe-  
riculosum Ecclesiæ schisma fuerat, quod denique sublatum vidit, dum A-  
madeum Sabaudia Sacerdotem Principem, ut amoveretur, promo-  
vit;



vit; Cardinales verò & Episcopos Amadei amicos ab Eugenio IV. depositos pristinae dignitati ac officio restituit. Non ita facile malum alterum, Hussitarum nempe in Bohemia hæresis sopita fuit, quæ zizanio tum instar Ecclesiæ vineas latè infecerat. Tristissimum autem malorum omnium accidit Nicolao, dum auditis nuntiis intellexit, à Mahomete II. Turcarum Imperatore Christi ac Christianorum hoste juratissimo ipsam Constantinopolim & Peram expugnatas fuisse; Constantinum XI. Imperatorem inter Christianos Cæsares Constantinopoli ultimum in pugna cecidisse; Cardinalem Ruthenum Legatum Pontificium captum; Romanis Sacris in Orientis Imperio deinceps omni aditu interdictum iri. Ut tantis ritè occurreretur malis, omnem movit lapidem Nicolaus, cujus mandato Æneas Sylvius cum Divo Joanne Capistrano Francofurtum properarunt, ut hortationibus commoti Viri Principes cum Friderico Imperatore foedus inirent adversus Turcarum impetus, contra quos tamen ut pugnarent tardius & minus serio, ansam etiam præbuit Nicolai V. mors bellis in Italia gravissimis accersita an. Sed. 8. Christi 1455.

### CCX. Calistus III. Valentinus Hispanus.

**A**LPHONSUS Borgia nobilibus in Hispania ortus parentibus, annis & scientiis maturus inter Doctores in Academia Ilerdensi etiam ipse Doctorem egit. Ibidem dein in Canonicorum veniens numerum auctore Martino V. Pontifice Valentinis denique Episcopus placuit. Ab Alphonso IV. deinde Aragonum Rege in Germaniam Legatus missus interesse noluit Concilio Basileensi, quoad illud legitimo Pontifici Eugenio IV. in rebus summi momenti adversari intellexit. Huic Legato imprimis debetur, quòd tandem Amadeus seu Clemens V. à conciliabulo Basileensi intrusus Pseudo-Pontifex Supremæ Pontificis potestati se subditum agnoverit. Meruit sanè vel hoc etiam facinore Valentinus Episcopus, ut eidem Vincentius Ferrerius Vates dignitatem Pontificiam prædixerit; qualem quàm non ambiverit, tunc maximè ipsimet Eugenio IV. commonstravit, cum sacram purpuram ab eodem sibi oblatam prius non acceptavit, quàm pacem à Pontifice Regi suo Alphonso impetravit pacis amantior, quàm honoris. Pontificios tamen honores an. ætatis suæ 77. consecutus votò sese obstrinxit, quo Divino Numini promissis se per vitæ suæ residuum haud ulli vel labori vel sumptui parciturum, ut Turca-

*R. P. Kolb Series Pont. Pars III.*

oo

rum



rum Potentiæ supremis totius Europæ viribus occurreretur. Et summis fanè tunc opus fuerat viribus; Mahomet enim Albam Græcam cum ducentis suorum millibus arcta obsidione cingens, ægrè à Joanne Hunniade Hungarorum Duce ac Turcarum victore est repulsi; qui tamen barbari, ob Christianorum Principum maximè in Germania & Italia fœcordiam, novis ex Asia obtentis copiis universam Græciam & Albaniam suo subjecerunt jugo, Scanderbego ejusdem Duce strenuissimo, post egregias per annos viginti & ultrà continuas pugnas atque victorias, tandem etiam devicto. Dum igitur totus fuit in bello parando Calistus, mors telum in ipsam intendit ultimum an. 1458, ætatis 80. Sed. 3. quorum ultimo Divorum cœtui adscripsit DD. Vincentium Ferrerium, Edmundum Angliæ, Ladislaum Hungariæ Regem, & Rosam Virginem Viterbientem.

### CCl. Pius II. Senensis Italus.

**Æ**NEAS Sylvius Piccolomineus domi & ruri, cum genitore suo transiens primæ juventutis tempora, duos de viginti jam annos numerabat, dum Senas delatus ex amicorum consilio primis operam cœpit navare Grammaticæ elementis. Superatis velocitate maxima mansuetioribus litteris, Philosophiæ & jurisprudentiæ atque scientiarum aliarum regulis apprimè instructus permultis Viris Principibus à seeretis fuit; Dominicum enim Capranicum Firmanum Præfulem ac Card. ad Concilium proficiscentem comitatus est Basileam; deinde à consiliis esse cœpit Nicodemo Scaligero Frisingensi in Bavaria Episcopo; post hunc verò Bartholomæo Vice-Comiti Episcopo Novariensi; & mox Nicolao Cardinali Albergati, quin ipsi Romanorum Imperatori Friderico III, à quo Poëtarum lauro publicè fuit redimitus. Tantorum Principum tum itineris sæpè socius, tum eorum crebrò Legatus venit in Germaniam, Bohemiam, Sabaudiam, Galliam, Angliam, Scotiam &c. Redit ex his crebrò in Italiam, Mediolani, Neapoli, & multis aliis in locis nunc Cæsaris, nunc Concilii Basileensis mandata expositurus. Inter tot terrâ marique itinera præter plura vitæ discrimina ter maris fluctibus diu multumque jactatus, vidit tertia vice navigium suum submergi in Scotia, certò certius etiam periturus cum plurimis naufragium passis, nisi votò ad Dei Genitricem Virginem conceptò decem passuum millia nudis pedibus ejus in honorem absolvisset. Mediolani post paucos annos quinque supra septuaginta diebus continuo febris ardore & alterno frigore concussus recuperat.



perata demum valetudine ubi Viennam in Austriam ad Albertum II. Cæsarem pervenit, pestilentiae malo correptus post sex dierum intervallum Cælitum potius, quam Germani cujusdam Medici operâ convaluit. Hominibus itaque à Superis servatus Æneas Basileam rediit, in cujus Concilio variis perfunctus officiis laudem à plurimis sibi datam minimè aestimare coepit eo ex tempore, ex quo relictis ejusdem jam conciliabuli veriùs, quam Concilii partibus totus esse coepit pro Eugenio IV. ad quem à Cæsare Friderico missus Legatus, etsi dissuaderent plurimi probè memores, eorum quæ in Concilio contra Eugenium Æneas fecerat, venit, & priùs, quam Cæsaris causam exposuit, suam optimè egit, dum erratorum veniam petiit, & facilè à Pontifice impetravit. Renuntiatus paulò post Tergestinus, & mox Senensis Episcopus atque Legatus Apostolicus, in conventu Aschaffenburgico Moguntinum Præfulem, aliòsque Principes in obedientia Pontifici præstanda confirmavit, postquam hortante Friderico Cæsare Coloniensem ac Trevirensis Archiepiscopos, ab Eugenio IV. depositos, non amplius invito Pontifice pristino suo officio reddidit. Friderico etiam comes desideratus, dum Romam cum Eleonora Sponsa Cæsaris petiit, ab ore ejusdem has excepit voces: *Ecce, inquit Cæsar, Romam petimus, videor videre mihi, te Cardinalem futurum; neque hic tua fortuna conquiescet, alius evêhêris, Beati Petri solum te manet: cave, ne me contempseris, ubi id honoris consecutus fueris.* Æneas igitur Cæsaris oraculo futurus Pontifex in Conventu Ratisbonensi Imperatoris loco primus dixit sententiam; dein verò in Concilio Francofurtensi oratione duabus horis continuata Imperii statibus Ecclesiæ emolumentum & bellum contra Turcas majori animo suscipiendū enixè comendavit. Inter tam multa & ardua Æneæ negotia mortui sunt Eugenius IV. Nicolaus V. & Calistus III. cui post longas Electionum suffragis electus in Pontificem Sylvius Pii II. nomen sibi selegit. Promulgatus jam Romanus Pontifex, litteras quamprimùm dedit ad Christianos Principes, quos ad arma contra Turcas capeffenda animavit. Quem in finem Concilium Mantuæ convocavit, in quo ex concordia Patrum sententia Decretum edidit, quo appellationem à Pontifice ad Concilium generale factam vel faciendam, tanquam irritam & jure etiam Divino vetitam declaravit. Finito Concilio Basileæ Academiam instituit; Senis verò plures Cardinales creavit, Patriæ suæ valedicens, quam novis ædificiis mirè exornaverat.



verat, in gravem denuo incidit morbum, ex quo convalescens Romam re-  
meavit, ubi Thomam Palæologum, Constantini ultimi Græcorum Impe-  
ratoris fratrem à Turcis suo ex Imperio pulsum, perbenignè excepit. Ro-  
mâ ingentibus æstivis caloribus an. 1461. Tibur urbem abiit, in qua urbe  
Carolo V. Francorum Regi morte lugubri tandem extincto parentavit,  
haud oblitus præstiti ab eodem Ecclesiæ beneficii, dum Helvetos Basileâ  
Carolus Victor dispulit. Romam regressus Carlottam Cypri Reginam suo  
è regno à Turcis pulsam excepit, quæ prolixa oratione suum suorumque  
subditorum exilium Pontifici inter copiosas lacrymas exposuit. Hac cum  
solatio dimissâ D. Andreæ Apostoli caput in templo Vaticano collocavit,  
Catharinam verò Senensem inter Sanctas Virgines coli præcepit. Cor-  
finianum deinde nativitatis suæ oppidum muris cinctum ædificiis auxit, &  
suo de nomine Pientiam dixit. Supervenere tum fortè Mathiæ Hunga-  
rorum Regis Legati Pontificem adversus Turcas auxilium rogaturi; qui-  
bus collaudata eorum in octoginta jam annos constanti operâ promissa  
sunt à Pontifice stipendia pro alendis decem militum millibus. Hungaris  
etiam & universæ Ecclesiæ opitulaturus magis contra Turcarum molitio-  
nes foedus cum Venetis iniit Pius, cujus exemplum mox secutus Mathias  
Rex cum Venetis sociâ arma conjunxit. Hoc foedere lætus Pontifex, ut  
abitu ex Italia exercitui animos majores inspiraret, promisit se veniente  
Philippo Burgundiæ inter Principes Duces pugnaturo ad Italicas oras usque  
cum eodem profecturum. Verùm dum Româ Anconam pervenit, lethali  
corruptus morbo collectis, quos secum duxerat Cardinalibus, Dei, Ec-  
clesiæ & animæ suæ causam commendavit ultimam an. 1464. Sed, 5. In  
agone cum Cardinale Papiensi plura locutus inter alia hæc addidit: *Scio  
me, ex quo semel Sanctissima Dei Matri serivè me devovi, ab epidemia semel, à le-  
thalibus languoribus sæpè, ex manifestis vitæ periculis sæpissimè erepium fuisse, ut  
merito omnem vitæ, dignitatis & rerum mearum successum huic uni post Deum  
debeam.*

## CCXII. Paulus II. Venetus.

**P**ETRUS Barbus ante Pontificatum dictus, ex nobili & pervetusta  
Barborum familia originem traxit. Eugenii IV. ex sorore nepos  
relictis studiis mercaturæ Venetorum more operam dare jam cœ-  
perat; cum acceptis de Eugenii avunculi sui Pontificia electione  
nun-



nuntiis mutato brevi vitæ proposito factis initiatus fuit inter Sacerdotes jam effulgens: elapso enim haud longo tempore datus est Episcopus Cervicensibus simulque Vicentinis, & mox Patavinis. Purpurâ sacrâ paulo post ab Eugenio vestitus, à Nicolao autem ejusdem Successore D. Marci Cardinalis & Archipresbyter D. Petri fuit promulgatus, adfuturus in arduis negotiis & Legationibus Calisto III, quo vitâ functo Mantuam & Anconam profectus est comes Pii II, quem ibidem paulo antè morbus pestilentiae non absimilis rapuit haud parciturus Barbo Cardinali, nisi mortis periculum evasisset, conceptò votò ad Lauretanam Virginem: cui proin pro accepto beneficio gratissimum se probaturus, in ejusdem honorem templum magnificum extruxit. Anconâ Romam reversus communi omnium Patrum sententiâ creatus est Pontifex, postquam ante electionem & ipse & reliqui Cardinales omnes in sequentia rerum capita dicto jurejurando consenserunt.

I. Ut omnes pro viribus caverent, ne bellum adversus Turcarum copias suscipiendum differretur.

II. Ut hunc in finem ante triennii lapsum cogeret Concilium.

III. Ut Cardinalitiae dignitatis major cura haberetur à Pontificibus deinceps eligendis.

IV. Ut Ecclesia bona custodirentur magis, ne diminueretur Ecclesiae Patrimonium.

V. Ut Cardinalium numerum ad XXIV, novus Pontifex restringeret.

VI. Ut neminem in Sacrum Senatum cooptaret, qui annum non excederet trigessimum, isque vel Theologus vel Canonista foret.

VII. Ut lapsos Cardinalium mores ad disciplinam reduceret.

Fuerunt leges adhuc aliae, ut refert Ciaconius, quæ Cardinalium Collegio placebant, nec unquam earum pars displicebat Cardinali Barbo: is enim electus Pontifex juramenti religione se continuo ex parte minimum solvit: Cardinalium quippe sedes elevari magis curavit; multorum etiam proventus dato incremento auxit; tres item ex eorum numero selegit, quibus curæ foret perpetuæ cum Principum maximè Itatorum Oratoribus conferre consilia, de ratione belli contra Turcas promovendi. Hos ipsos aut fortè adhuc alios Cardinales constituit, quibus incumberet, teste Cardinale Papiensi; *convenire, meditari, conferre consilia, discutere utilia, quæ censuissent ad ipsum deferre, Decretò munienda Apostolicò.* Cardinalium adhuc capita tegumento Damasceno aut serico exornari jussit. Inter



hoc tamen ornamenti genus effulgere maximè curavit tiaram Pontificiam, quam coronâ triplici longo tempore, ut ait Antonius Foresti, à Pontificibus non usurpatâ, & unionibus pretiosissimis lucidiorem effecit. Id singulare fuit Paulo II. quòd dies totos & noctes consecraverit perpetuis vigiliis & laboribus non sine fatigatione multorum, & multorum fastidio haud ipse fatigatus, etsi foret cibi ac potûs parcissimi. Ejus temporis magnam partem impendit expeditioni sacræ, de qua cum Scanderbego Albanæ Duce à Turcis post 20. annorum insignem ac pene incredibilem constantiam victo & pulso, atque demum etiam an. ætatis 73. mortuo per frequenter agebat. Memor insuper eorum, quæ Cardinales edito jurejurando sanciverant, viros tunc temporis in Romana Curia scientiis quidem insignes, non omnis tamen etiam gravioris culpæ expertes suis ab officiis removit; eos inter fuisse refert Platina, per celebres Oratores, Historicos, Poëtas, imò & utriusque Jurisconsultos. Quanta verò sit fides hinc adhibenda authoribus hæc dicentibus, suo testimonio probavit idem Platina, eos inter & ipse numeratus, qui Curiâ Romanâ exesse à Paulo sunt jussi. In hunc circo cum inveheretur calamo acerbissimo, in carcerem datus est, in quo bilem auxit in Paulum tum demum exonerandam, cum libertati fuisset restitutus calumniator vinculis longioribus haud indignus. Hactenus juxta omnium sententiam bene servavit Leges omnibus Cardinalibus communes Paulus; verùm, juxta aliquorum opinionem, gravis inconstantia labem admisit, dum ad abrogandas Leges cæteras, licet æquissimas & juramenti vinculo firmatas, impulit Purpuratos Patres, etsi invitissimos, non tamen invictos, si Joannem Carvagialem excipiamus, qui constanter Pontifici respondisse fertur: *quod juvenis non commisi, non committam senex, ut me rectè pœniteat: tibi propter has leges molestus non ero; tantum finito me dignitatis & conscientia meæ rationem habere.* Auctores abrogandarum Legum fuerunt Paulo inter ministros in aula Pontificia domesticos duo Præsules, purpuram magnopere ambientes, Stephanus nempe Mediolanensis, & Theodorus Tarvisinus Episcopus, quibus Cardinalium numerus novis Legibus nimium circumscriptus videbatur. Adeò subinde pravis consiliariorum desideriis succumbunt Principes maximi, quorum ante alios interest non nisi juri & æquitati ministrare. Hæc ferè erant, quæ egit cum domesticis: cum extraneis & quidem viris Principibus rem vix faciliorem habuit Paulus, si Fridericum III, Imperatorem demas, quem voti sui ob



ob recuperandam valetudinem emissi, & tunc exolvendi causâ Romam venientem honore Imperatorio exceperat. In Galliam verò Legatos misit, qui Senatusconsultum de abolenda Sanctione Pragmatica referrent; Legatos etiam Hispanos Romam ex Hispania missos haud in Urbem admisit, priusquam jurârunt, se Alphonso regium titulum haud denegaturos, quicquid frater Regis Henricus contrâ moliretur. Hisce gestis nec nimiam laudem, nec laude vituperium majus à posteris sibi promeruit Paulus, qui an. 1471. subitò correptus apoplexiâ malò præbuit morte suâ copiosam vituperii materiam hæreticis, quibus, cum agitur de Pontificum peccatis, suspicio quævis potior esse consuevit quavis veritate.

### CCXIII. Sixtus IV. Ligur Italus.

**F**RANCISCUS à Ruvere Ordinem Minorum D. Francisci ingressus anno ætatis suæ vigesimo, in Generali Capitulo Genuæ habito adeò peritè disputavit ac peroravit, ut faciliè omnium inter suos doctissimus fuerit habitus. Superatis deinde officiorum gradibus ferè omnibus Cardinalis, & demum septem supra decem Cardinalium suffragiis lectus est Pontifex, qui à paucis jam tunc vituperatus, à pluribus est summoperè laudatus. Vitio maximè vertebant Itali Sixto, quòd universam ferè Italiam bellis vexaverit nimium, Venetos etiam Herculi Estensi Ferrariæ Duci adversarios aditu Ecclesiæ prohibuerit. Laudi verò maximæ datum est, quòd adversus Turcarum molitiones omnem curam intenderit præsertim ab eo tempore, à quo contra infidelium impetus Pontificem verbis efficacissimis animare fuit ausus Bernardus Justinianus Venetorum Legatus, qui latissimum Orientis Imperium, atque in hoc quatuor regna, viginti provincias cum ducentis urbibus in hostium potestatem jamjam pervenisse demonstravit. Quin adversus hostes barbaros ut pugnaret authore Sixto Christianus exercitus, cœlum ipsum luculenter ostendit: ipsorum enim hostium quoque confessione, Crucis signum raro effulgens rubore cum Magna Virgine & Christi Præcurfore Joanne Baptista pugnae adesse est visum. Ejusdem Magnæ Virginis *ab omni labe Conceptioni* favere studuit, postquam tantæ Patronæ favoribus pestilentia morbum vel omnino Romæ extinctum, vel maxima sui parte sublatum sensit. Haudquaquam tamen tanquam Dogma Fidei definiit quicquam, contentus Ecclesiæ præcepisse, ne disputationibus supervacaneis Immaculatam DEI Matris Conceptionem



ptionem impugnarent, simulque omnes ab omni sinistra abstinerent censura, placituri Virgini potissimum; si ejus festum à Sixto IV. institutum luce Decembris octava ritu solenni celebrarent. Eum in finem sacellum Immaculatæ Virgini dedicatum in templo Vaticano ipse erexit. Divorum etiam venerationi augmentum daturus Cœlesti eorum Societati adscriptum declaravit DD. Bonaventuram ac Joannem Bonum, hunc D. Augustini, alterum D. Francisci in Religioso Ordine filium virtutibus ac miraculis exornatissimum. Quin Ordinem etiam alterius D. Francisci de Paula nimirum, & alterum D. Augustini Discalceatorum, ut vocant, ceteris Religiosis Ordinibus annumeravit. Cardinalium insuper numerum triginta quatuor capitibus auxit, ex numero autem mortalium ipse excessit an. 1484. Sed. 13. pauperis Francisci vestem etiam in morte subter vestimentum Pontificium indutus.

### CCXIV. Innocentius VIII, Genuensis.

**I**OANNES Baptista è vetusta Cyborum nobilitate Cybo cognominatus, Tomacellis etiam Neapolitanis sanguine conjunctus patrem natus est Aaronem Cybo, qui Regis Neapolis vices summa cum laude egerat. Juventutem Genuæ litteris ac scientiis exornavit, quibus apprime instructus nuptias deinde cum paris sibi nobilitatis sponsa celebravit. Verùm mortis arbitrio libertatem brevi est denuo consecutus; mortua enim conjuge Sacerdotis quamprimùm, paulò post autem Episcopi statum amplexus Romam petiit, ubi omnium sibi benevolentiam morum suorum suavitate ac rerum omnium eruditione summa adeò sibi conciliavit, ut Sixtus IV. in *Prelatum domesticum atque Datarium*, ut appellant, sibi Baptistam elegerit, quin Cardinalitia dignitate eum ornarit. Variis deinde Legationibus percelebris ab eodem Pontifice Sixto peridoneus est judicatus, ut Fridericum III. Cæsarem & Mathiam Corvinum Hungaria Regem multis jam annis exitiali bello decertantes conciliaret, tum ut conventui Norimbergæ indicto Pontificis nomine præfens adesset, quamquam aliis dein negotiis impeditus Germaniam haud viderit. Anno demum 1484. viginti quinque Patrum suffragiis Pontifex Maximus renuntiatus Innocentii VIII. nomine internosci à Pontificibus voluit, eligens hoc sibi symbolum: *ego in innocentia mea ingressus sum*, Pontifex coronatus munus suum Pontificium tanta omnium laude aggressus



gressus fuit, ut univerſorum amorem ac æſtimationem facile fuerit promeritus, pacis ac concordie encomiis maximè inſignis; Venetos enim à Sixto IV. ab aris interdictionis remotos Eccleſiæ continuò reſtituit; per connubium verò inter Ferdinandi Neapoleos Regis patrualem Ludovicum & neprem ſuam Baptiſtinam celebratum, univerſos Italiae Principes novo pacis foedere conjunxit. Italiae lætitiæ auxit etiam Zizinus Bajazethis II. Turcarum Imperatoris frater Romam ex Rhodo inſula perductus captivus, qui tantæ arrogantie ſuæ teſtimonium palàm omnibus prodidit, ut cum omnis generis ac conditionis viros ad pedes Summi Pontificis advolvi cerneret, ſimulque ipſe, ut parem venerationem Innocentio exhiberet, commonefieret, tamen ne quidem caput inclinaret; quamvis eum haud lateret, à fratre Bajazethe Romano Pontifici præter Hieroſolymæ reſtitutionem proſus regia offerri munera, ut fratri redderet captivum fratrem quantocyus jugulandum. Majorem adhuc lætitiæ materiem Innocentio & univerſæ Italiae dabant nuntii ex Hispania allati, qui Ferdinandi Regis Catholici reportatâ victoriâ Granadam, poſtquam 760. annis ſub Mahometanorum jugo gemuerat, recuperatam; Mauròsque unà cum Judæorum 800000. ex tota Hispania abactos; nec non Chriſtophori Columbi Genuenſis Geographi operâ Europæis hæcenus non cognitam Americam, modò autem detectam nuntiabant. Plus ſpei faciebant Pontifici quatuor exercitus jam rebus neceſſariis inſtructi, nimirum Friderici Imperatoris, Regis Ferdinandi Spani, & ipſius Innocentii ſimulque Regis Gallie eò omnes intentiſſimi, ut Orientis Imperium Mahometis jugo liberatum ſuaviori Chriſti jugo redderent. Verùm ſpem omnem Innocentio mors ademit an. 1492. Sed 7. poſtquam an. 1485. D. Leopoldum Austriæ Marchionem ob vitæ ſummam integritatem & patratorum miraculorum copiam rogantibus Friderico & Maximiliano Imperatoribus Divorum albo infe-

## CCXV. Alexander VI. Valentinus Hispanus.

**R**ODERICUS Borgia, ex vetuſta Lenzoliorum Valentie Familia oriundus, patrem habuit Godefredum Lenzolium equitem Hispanum, matrem verò Iſabellam Borgiam Calixti III. Pontificis ſoro-

R. P. Kolb Series Pont. Pars III.

Pp

rem.



rem. Borgia ab avunculo vocatus, litteris quàm moribus clarior juvenis, audita Calisti III. Pontificis electione haud dubius de consequenda brevi purpura Romam petiit, ubi primùm Archiepiscopus Valentinus; dein verò Cardinalis Diaconus *D. Nicolai in carcere* & S. R. E. Cancellarius est promulgatus. A Sixto autem IV. Episcopus Albanus, & paulò pòst Portuensis institutus, Legatus venit in Hispaniam; quod munus dum ipse plùs æquò ambivit, haud feliciter perfecit, ab omnibus avaritiæ & superbiæ maculâ notatus. Fuerunt, qui ob avaritiam Deo dedisse poenas dixerunt, dum periclitanti Roderico vix vitam conservare licuit ex naufragio, in quo præter turbam reliquam quinque & sexaginta ex ejusdem domesticis homines periêre, quos inter numerati sunt Episcopi tres, Jurisconsulti duodecim, Equestris Ordinis sex. Ex Hispania in Italiam regressus quamvis nec suos nec suorum mores emendâisset, tanta tamen erat uni huic Cardinalium cum ambitione conjuncta potentia, ut licèt præter filiam quatuor numeraret filios inter multa sacrilegia susceptos, moribus etiam nec patre nec matre multùm meliores, tamen dignissimis quibusvis insuper habitis ipse viginti duorum Electorum suffragiis sit nominatus Supremus in orbe Pontifex. Quàm parùm hæc Pontificis electio fuerit probatâ Superis, cœlum luculentis testimoniis comprobavit; ex viginti enim duobis iisdem Electoribus non pauci fuêre, qui vitam non nisi inter sumas rerum angustias in exiliis & carceribus vel datò venenò terminârunt. Non absimilem vitæ exitum naçû sunt ipsi etiam hujus Alexandri filii, parentum sceleribus & suis criminibus haud meliorem mortem & sortem promeriti. Poenas Alexandro infligere visus est vindex Deus etiam, dum Ferdinando Neapolitanorum Rege mortuo, ingentes turbæ fuerunt in Italia præcipuè excitatæ; cùm enim Carolus VIII. Galliæ, & Ferdinandus Catholicus Hispaniæ Rex Neapolim armis repeterent, gravissimi belli tumultibus territus, simùlque à subditis Neapolitanis derelictus Alphonsus, Ferdinandi mortui Regis filius, jus suum in fratrem transferens Monasterii claustra toti Neapoleos regno præhabuit necessitate quidem; melioris tamen etiam vitæ desiderio compulsus, quam annò proximò mors pientissima sine opratissimo coronavit. Interea in ancipiti positus, variisque inconstantia motibus agitatus Alexander nunc Gallis nunc Hispanis favebat, ut sibi suisque nunquam deesset. Eum in finem varia excogitabat officiorum novorum genera atque nomina, ut magnam auri summam non absque Simoniæ scelere reciperet.



peret. Mortuo autem vel in ipso ætatis flore Carolo Gallorum Rege, cum Ludovicus Aureliæ Dux, hujus nominis deinde Rex duodecimus, regnum Neapolitanum & Insubrum ducatum hæreditario jure ad se pertinere contenderet, hujus amicitiam amplexus Alexander cum eodem pepigit foedus, Ferdinando Catholico, Friderico Neapolis Regi, Sfortiæ Mediolanensium Duci, nec non Florentinis ac Venetis summoperè exosum: accerrimè igitur pugnis inter Hispanos & Gallos maximè decertatum fuit, donec denique duce ac victore maximo Gonsalvo Galli victi totum Neapoleos regnum Hispanis cesserunt. Hactenus parùm vel ipsis popularibus suis Hispanis placuit Pontifex Hispanus, cujus tamen sententiam æqui bonique consuluerunt Ferdinandus Catholicus, & Joannes II. Lusitaniæ Rex, dum gravissimam litem inter utrumque sic composuit, ut de obtento India tractu longissimo ac latissimo pars Orientem versùs Joanni, pars verò altera æqualis Occidentem versùs Ferdinando deinceps subderentur. Hæc de Alexandro VI. quem etsi vitia notiores magis, quàm virtutes dederint, non desunt tamen Auctores, qui ejus virtutes per temporum intervalla orbi & urbi exhibitas multis modis dilaudant: haud paucos enim Historicos invenire est hunc ferè in modum loquentes: *in Procerum Romanorum clade (quod incredibile videri possit) nullus in urbe tumultus fuit Alexandri VI. summa auctoritate prohibitus; nulla arma audita: omnia ipse obire, parùm in rebus arduis cuiquam fidere solebat. Idem in otio solutissimus, in metu constantissimus, nunquam negotia voluntate dimisit. Res in multam noctem protrahere somni cibi que parcissimus. Artes liberales se non cohibeat, admirabatur & aestimabat, Juris præsertim scientiam. Salaria Doctoribus, stipendia militibus, mercedem operariis nunquam differre, ne dum auferre visus; ejus rei gratiâ filii sui exercitum obsequentiissimum habuit. In annonæ difficultate, quæ bis eo regnante contigit, ita diligenter urbi providit, ut plebs nullum ferè incommodum senserit. Inerat adhuc Alexandro ingenium sublime, memoria capacissima, eloquentia ad persuadendam maximè idonea, ut nemo clariùs ipso rem proponeret, nemo acriùs defenderet, nemo quò vellet hominum voluntates potentiùs impelleret. Tantis scilicet Alexander instructus erat dotibus, ut si frænum vitæ invenisset, omnium unanimi sententia meritis fuisset orbi imperare universo. Ut tamen ultra annos 11. non imperaret, effecit venenum à pocillatore Pontifici casu porrectum, quod aliis hospitiibus studio erat præparatum.*



*Reflexiones Historicae supra Seculum XV.*

**Q**UO magis appropinquat suo centro pondus ex alto ruens, eò vehementiori motu labitur. Ita Hübnerus, quò proximior est Lutheri temporibus tanquam suo scopo ferè præcipuo, eò pluribus & crassioribus petit calumniis Lutheri obices Romanos Pontifices. Ne itaque nimiùm longus sim in refutandis quibusvis Hübnerianis scommatis, leviora relinquam, graviora autem paucis perstringam. Ait Hübnerus:

- I. Innocentius VII. à Pontificiis Electoribus electus est in Summum Pontificem ea lege, ut si Benedictus XIII. suo juri renunciare pararet, etiam ipse jure suo cederet, haud futurus Pontifex amplius. Verùm pacis hujus deinde admonitus ex monitoribus suis aliquot capite plecti, alios de fenestra præcipitari jussit.
- II. Joannes XXIII. à noctua fuit impeditus, quò minùs Concilium Romæ inchoaret ad tollendum schisma longissimum.
- III. Idem ab aliis arguitur, quòd negarit *Vitam futuram & Carnis Resurrectionem.*
- IV. Martinus V. Joannem Gerson Lutetiæ Cancellarium in exilium expulit Lugdunum, eò quòd invito Pontifice Ecclesiam Romanam valde corruptam intenderit ad frugem reducere.
- V. Sub Felice V. celebratum est Concilium Basileense, in quo statutum fuit, Concilium esse supra Pontificem.
- VI. Eugenius IV. cùm vocatus Basileam non comparuisset coram Concilio, eam ob rem depositus, & hujus loco confirmatus fuit Pontifex Felix V.
- VII. Æneas Sylvius seu Pius II. validis argumentis probavit, Concilium esse supra Pontificem: electus autem ipse Pontifex Mantuæ in Concilio contrarium statuit: unde emanavit dictum istud: *multa Æneas probavit, quæ Pius damnavit.*
- VIII. Paulus II. palàm edixit, omnes litteratos esse hæreticos.
- IX. Alexander VI. quatuor liberos spurios suscepit ex Vanocia scorto Romano &c.

X. Hoc



X. Hôc Seculô studiorum ac litterarum promotores extiterunt Antonius Sabellius, Hermolaus Barbarus, & Joannes Picus Mirandulanus reformationis brevi ad futurae prodromi.

Responsio I. ad I.

QUA fiducia Hübnerus scribere sustineat, ab Innocentio VII. aliquot ex Romanis civibus occisos fuisse, captu perquam difficile est: ex omnium enim Historicorum consensu constat, Ladislaum Neapoleos Regem fallacissimum fraudibus suis id unum curasse solertissimè, ut modò Romanum Pontificem contra Romanum populum obarmaret, modò hunc adversùs Summum suum Præsulem excitaret: quò nefandò studiò illud effecit, ut orta seditione Romæ gravissima cives Romani catervatim ad Innocentium properârint, vim ultimam eidem illaturi, nisi subito furori cedere didicisset. Pontifex itaque tumultum omnem à se amoliturus seditionas turmas ad Ludovicum nepotem suum inter Romanos eximia æstimationis Ducem dimisit, ut exulceratis animis fieret satis. Verùm cum præsentè Ludovico seditio vires sumeret, is in arena à præcipiti ac violento consilio opem quærens armatis suorum militum manibus undecim civium Romanorum partem de fenestris præcipitari, partem in frustra concidi vel jussit vel permisit. Audita civium Romanorum cæde vehementer indoluit, & nepotis sui præcocem iram non minùs, quàm Romanorum seditionem improbavit Pontifex. Ita ferè rem refert Onuphrius Panvinius & cum hoc RR. Historici plerique, qui meritò Platinam reprehendunt, quòd civium Romanorum necem Innocentio magis, quàm Ludovico ejusdem nepoti imputârît. Et quid ni Platinam reprehendant Historici, cum ipse sibi haud obscure contravenisse suis verbis notatus fuerit? ait enim, *Romanos etsi multis incommodis ex obsidione circumventos rogasse tamen, ut Pontifex ex fuga Romam rediret.* Afferit ad hæc: *erat Innocentius, natura comis & blandus, Pontificii simulque Juris Civilis peritus adeò, ut facillè homines tum rationibus, tum suavitate dicendi in sui ipsius sententiam alliceret.* Atqui non ita acceptus civibus Romanis, parùmque comis, blandus, & Jurium peritus fuisset, si per summam injuriam undecim cives indictâ causâ occidisset. Tu verò, Hübnerè, quàm fidelem te Historicum probes, ipse testetur Platina, ex quo tecum tui focii hauserunt virus hîc suum. Platina ortæ seditionis



claram reliquit mentionem, tu facis nullam. Platina Ladislai Regis cum populo Romano societatem adversus Pontificem expressit, tu de Ladislao alium files. Platina Ludovici nepotis carnificinam adduxit, tu de Ludovico nec formas litteram, tibi solus est reus Innocentius, quia reum cupis. O præclarum Historicum, qui ut famam sibi à posteritate conciliet, dum non invenit, fingit infames Pontifices!

### Responsio II. ad II.

**U**T Pontifices Romanos obscuræ volucris auguriò contemptibiles reddat Hübnerus, in suppetias vocavit noctuam, cujus strepitu Joannem XXIII. dictum Pontificem ab inchoando Romæ Concilio absterritum fuisse scribit. Talis itaque volucris plumas ut & ego deprehenderem, perlegi authores tam Veteres quàm Recentiores; eorum tamen apparuit nullus, qui vel de noctua, vel Concilio Romæ jamjam inchoando verbum faceret. Solus Platina hæc habet; *cùm in conventu Pisano constitutum esset, ut ad certum tempus Concilium haberetur, ne alibi transferretur, celebraturum se id Romæ prædixit Pontifex.* At de Concilio Romæ congregato alium silet; quin neminem fugit, Concilium Constantiæ mox initium accepisse. Noctua hæc igitur vel Hübneri, vel similis volucris pullus est, qui fugere consuevit lucis radios, amantior tenebrarum; nullius enim auctoris testimoniò fretus, nec ulla rationis luce radians sub die apparet; lateat igitur aeternum in Hübneriano nido, nigræ gallinæ domicilio noctua hæc.

### Responsio III. ad III.

**M**Agis terrere quavis noctua debuisset Joannem XXIII. error hic notissimus, si tamen à via veritatis adeò aberravit, ut *vitam alteram & carnis redivivæ æterna gaudia* negarit. Demus tantisper, ita graviter hallucinatum fuisse Joannem, quid tum sequetur? an idcirco erravit Pontifex Romanus? an erravit tanquam Caput universæ Ecclesiæ? neutrum vincet adversarius, imò contrarium nolens volens fatebitur: notissimum enim vel ipsis ruricolis est, Concilii Constantiensis tempore Gregorium XII. Benedictum XIII. & Joannem XXIII. de Pontificis dignitate conservanda acriter decertasse. Divinare proin etiam hodie licet, sed non facile deprehendere, quis tum ex tribus æmulis fuerit Romanus Pontifex. Non deerunt hic, qui nullum fuisse scribant, cum Sedem Pontificis  
tunc



tunc viduam agnoscant. Errârit itaque, per me licet, tam graviter Joannes XXIII. non idcirco erravit Romanus Pontifex: aut si hic errâisset, an erravit ut *Caput Ecclesiæ*? an errorem hunc suum tanquam *Dogma Fidei* agnovit, aut Ecclesiæ tenendum proposuit? Fac, testes omni exceptione majores sistas, & confitebor tibi, Joannem Pontificem incertum potuisse errare, atque in errorem voluisse inducere totam Ecclesiam, quæ tamen suum in Joanne necdum agnovit Pontificem; imò ut certò non esset Pontifex, Joannem incerto suo jure spoliatum ac privatum dedit. Plura Lectori hac de re suggeret C. Bellarminus lib. IV. de Rom. Pont. c. 14. cujus ego ultima verba hic refero: *Deinde in sessione (Constantiæ) duodecima recitata sententia definitiva Concilii adversus Joannem Papam, & breviter recensentur causæ damnationis & depositionis ejus; nulla autem mentio erroris aut hæresis sit, quod certè est argumentum evidens, non potuisse probari, quòd Joanni Papæ fuerat objectum circa hæreses: si enim id probari potuisset, debuisset primo loco recenseri inter causas damnationis, cum nulla sit justior causa judicandi Pontificem, quàm nota hæreses; imò nulla sit alia causa, ob quam judicari ritè queat.*

Responsio IV. ad IV.

**U**Trùm Parisiis Lugdunum venerit *exul* Joannes Gerson; an venerit, eò quòd de emendatione Romanæ Ecclesiæ liberiùs, quàm Pontifici audire allubebat, verba fecerit; an denique hanc ipsam ob causam à Martino V. in exilium missus venerit, quis est, qui non jure formidet ac dubitet? solus Hübnerus cum paucis fortè sociis rem habet exploratissimam, nulla in re hæret dubius. Audiamus igitur Brietium Historicum de Gersonis obitu fol. 746, ita differentem: *mortuus est quoque ætatis an. 66. Lugduni, quò secesserat in voluntarium exilium, propter odium Philippi Burgundi, de excussis in Synodo Constantiensi Joannis Parvi articulis Joannes Gerson, magnum Academiæ Parisiensis lumen, ejus quondam Cancellarius. Eò autem secesserat, ut Joannis fratris sui Cælestini consuetudine uteretur &c.* Etsi itaque Gersonis dicta & scripta Romanis Pontificibus minùs probata fuerint, velut indicare videtur idem Brietius; quòd tamen à Martino V. in exilium pulsus Lugdunum venerit, & quidem ob allatam causam, apertè satis inficia-



ficiatur idem author. Tu verò, Hübnerè, Martinum V. Pontificem, quem orbis propemodùm universus summis laudibus constanter profectus est, ommissis omnibus ejusdem præclare gestis, universo orbi exosum reddere conaris. Platina profectò in dilaudandis Pontificibus haudquaquam nimius, uti refert Ciaconius, postquam quatuor permagna folia Martini encomiis implevit, hac denique coronide laudes ejus absolvit: *hic autem vir in omni vita integer, Pontificatus sui annò quartò - decimò Romæ apoplexiâ moritur - ætatis annò sexagesimò tertio, sepeliturque ejus mandato in basilica Constantiniana comitante populo Romano, comitante Clero non aliter flente, quàm si Ecclesia DEI, si urbs Roma unico atque optimo parente orbata fuisset.*

### Responsio V. ad V.

**Q**UALE Concilium fuit Basileæ, talis Pontifex fuerat Felix V, neuter nimirum sacris Canonibus conformis, præcipuè si finem conciliabuli spectare lubeat, in quo abscedentibus ultrò Episcopis pene remanserunt soli Pseudo-Sacerdotes, qui, quod lubebat, statuebant libertatis suæ studiosi magis, quàm disciplinæ Ecclesiasticæ: penitus oblii etiam morem veterum Conciliorum, in quibus nemini licuit sententiam dicere, nisi fuerit par aut major Episcopò, aut certè ab his missus Legatus. Mirum proinde nemini videbitur, si intelligat, à conciliabulo Basileensi statutum fuisse, ut Concilium deinceps esset supra Summum Pontificem Felicem nempe V. qui probè noverat, à quo acceptos ferret honores Pseudo-Pontificios. Sed de his plura dabunt responsa proxima.

### Responsio VI. ad VI.

**I**PSE satis proditum cupis Hübnerè, quale Concilium denique Basileæ celebrarit, dum ais, vocatum à Concilio haudquaquam comparuisse Eugenium IV. hunc proin depositum, & ipsius loco Felicem V. confirmatum fuisse Pontificem. Agere nimirum coeperunt judicem illi, qui necdum didicerunt sustinere officium advocati, ut suas vel aliorum tuerentur partes audiente judice. Stuporis res plena meritò est visa Romanæ Ecclesiæ, quæ nunquam hæcenus inaudit, Pontificem à Concilio legitimo fuisse citatum: Caput à membris, Pastorem ab ovibus, aut verius à lupis, qui sub ovinis pellibus Basileæ latebant, & ovile Divini Pastoris

ris



ris in hædorum stabulum convertere, hoc est, pervertere laborabant Huf-  
fitarum haud obscuri fautores. Atque his iudicibus dum non subiecit se  
Eugenius Pontifex, laudatur summoperè ab Hübnero Felix Pseudo-Pon-  
tifex, mercenarius Conciliabuli Basileensis.

## Responsio VII. ad VII.

**S**I maluisset omnino silere de Pio II. Hübnerus, veluti filuit de plerisque  
Pontificibus optimè meritis, tunc facile à quovis adverso telo sese ex-  
pedivisset; sed cum in vituperium trahat, quod summæ laudi vertendum  
erat, hinc non uno tantum telo nobis modò petendus patet. Historici  
personam sustinere audet Hübnerus, & tamen de laudatissimo Pontifice,  
qualem Pius II. unanimi omnium sententiâ se probavit, aliud ferè non  
scribit, quàm hæc modicissima; *Multa Æneas probavit, quæ Pius II. conde-  
mnavit.* Notissimus mihi Hübneri genius & sensus est, intendit nimi-  
rum dicere; *honores mutant mores, & sæpè totum hominem.* Nisi scilicet Æ-  
neas Sylvius fuisset consecutus Pontificios honores, nunquam in Concilio  
Mantuano decrevisset iis prorsus contraria, quæ in Concilio Basileensi  
suò etiam suffragiò primùm probavit. Itane Hübnerè, tu firmiter per-  
suades tibi, & tecum tui loci? amabo, ne te nimium des præcipitem, fac,  
mecum penitiùs rimeris Æneæ Sylvii ætates singulas, & tunc absque scrupu-  
lo, si sapias, mutabis animi tui sententiam. An. 1405. mundo natus est Æ-  
neas; an. ætatis 18. primùm litteris cœpit navare operam; an. ætatis itidem  
suæ 26. Christi 1431. cum Cardinale Capranico Basileam petiit, cui sicut  
& aliis magni nominis viris à secretis per annos octo, usque nimirum ad  
annum 1439. fuit, quo tempore Amadeus Sabaudia Dux à conciliabulo  
Basileensi Eugenio IV. jam octo annorum Pontifici est oppositus, haud-  
quaquam dissentiente Sylvio. Annis quatuor aut quinque etsi Patrum pars  
maxima deserto Felice seu Amadeo adhæssisset Eugenio, sua tamen in per-  
tinacia substitit Basileæ conciliabulum usque ad annum 1443. aut 44. At  
haudquaquam ita substitit Æneas; is enim an. 1441. Friderici III. Cæsa-  
ris vestigia ita secutus fuit, ut inter duas litigantium Patrum partes viam me-  
diam eamque tutissimam elegerit nec Eugenio, nec Felici cum incerto Cæ-  
sare adhærens. Annos natus 40. Christi 1445. à Friderico missus Lega-  
tus ad Eugenium Romam pervenit cunctis stupentibus, quòd non cuncta-  
retur accedere ad Pontificem, quem juvenis Æneas multorum maximè



motus exemplis Basileæ verbis, scriptis & factis Amadeo Pseudo-Pontifici postposuisset. Tum verò ipse coràm mutatae mentis indicem ostendit plaudente Roma univerfa. Audi ipfius Cæsarei Oratoris Æneæ verba ad Eugenium prolata: Prius, inquit, Sanctissime Pater, quàm Cæsaris mandata referam, de me ipfo pauca dicam. Scio multa de me tuis auribus inculcata esse, neque bona, neque digna relatu, sed neque mentiti sunt, qui me tibi detulerunt: plurima ego, dum Basileæ fui, dixi, scripsi, & feci, quæ infra dignitatem tuam videri poterant, non inficior: at non tam tibi nocere, quàm Dei Ecclesiæ prodesse mens mea fuit. Erravi, quis neget? sed neque cum paucis neque cum parvis hominibus: Julianum Sancti Angeli Cardinalem, Nicolaum Archiepiscopum Panormitanum, Ludovicum Pontanum, tuæ Sedis Notarium sum secutus, qui Juris Oculi & veritatis Magistri videbantur. Quid Univerfitates, & alia orbis Gymnasia referam, quorum pleraque adversum te sentiebant? quis cum tantis hominibus non errasset? verùm ego, ubi errorem deprehendi Basileensem, fateor, non statim ad te convolavi, quod plerique fecerunt, sed verius, ne ab errore in errorem prolaberer; sæpè in Scyllam incidunt cupientes vitare Charybdim, ad eos me contuli, qui neutales habebantur, ut ab altero duorum extremorum ad alterum non sine consultatione ac mora transirem. Mansi ergo apud Cæsarem tribus annis, ubi dum magis ac magis contentiones audio, quæ inter Basileensem, & tuos Legatos fuerunt, nihil mihi dubii relictum est, quin te penes sit veritas. Atque hinc factum est, ut cupienti Cæsari ad tuam me Clementiam viam facere non invitus parcerim; sic enim me in tuam gratiam redire posse sum ratus. Nunc apud te sum; & quia ignorans peccavi, pro tua Clementia mihi ut ignoscas oro. Cui Eugenius Pontifex: Scimus te, inquit, cum multis deliquisse, sed errorem fatenti non possumus non ignoscere: Ecclesia namque pia Mater neganti debitum, nunquam remittit; fatenti nunquam retinet. Tu jam veritatem tenes, cave, ne relinquas eam, atque bonis operibus divinam gratiam quaerito: eo in loco jam degis, ubi & veritatem tueri possis, & Ecclesiæ prodesse. Nos injuriarum posthac præteritarum oblii, te bene ambulantem & amabimus, & paterno sinu fovebimus. Hunc in modum anno ætatis suæ 54. electus fuit in Pontificem: annis igitur facilè 16. aut pluribus ante Pontificatum totus contra Felicem pro Eugenio stetit. Quæ itaque Æneas antea probârat, eadem Æneas condemnaverat: nihil in ipfo sibi vendicavit Pii Pontificis nomen, nihil novum officium, nihil nova dignitas, nihil novi honores, totum tribuit sibi com-  
perâ



perta veritas, iustitiæ virtus & Romanorum Pontificum legitimè electorum Divina vocatio, ac summa per Dei gratiam morum integritas. Fac fingas & hictibi, Hübner, Æneam Sylvium usque ad electionis suæ diem perstitisse ea in sententia, quæ erat Conciliabuli Basileensis, mutasse verò animum, postquam electus est Pontifex; utrumne hanc ob causam Pium II. cuiusdam erroris vel argues, vel condemnabis, ut Æneam absolvas? quasi verò Lutherus, Calvinus, Joannes Huls & Wicleffus &c. non longè diversa mentis & sententiæ fuerint ante mutationem, aut, si malis dicere, reformationem suam. Si itaque sincerè, ut par est, nobiscum agas, velut nos tecum, fatebimur ambo cum omnibus passim Historicis, Pium II. talem ac tantum fuisse Pontificem, in quo grandem sibi positum obicem offendunt quicumque demum Romanæ Ecclesiæ adversarii; ab infimo enim ad supremum dignitatis gradum ita ille ascendit, ut summi ac infimi, quod ultra in Pio II. desiderarent, vix invenerint, ejusdem singulari eruditione, doctrinâ, scientiâ, experienciâ, prudentiâ, providentiâ & summâ morum integritate penitus convicti.

### Responsio VIII. ad VIII.

**T**AMETSI Paulum II. nonnulli auctores apertè fati reprehendant, iis tamen plena nequaquam fides est adhibenda; unus enim Platina aut certè Platinae socii fuerunt, qui Paulum hunc posteritati contemptibilem reddiderunt. Ecqua fide hos dignos censebimus? fuit nempe, ut passim perhibent Historici, amantior Paulus virtutum, quàm litterarum; hanc ob causam cum in aula Pontificia viros permultos scientiis quidem sed & vitiis magis, quàm virtutibus insignes deprehendisset, eos procul abesse iussit aulâ Pontificiâ, ringentibus cunctis, ad quos manumissio pertingebat. Quisquis his meis dictis adhibere fidem abnuit, lustret vel perfunctoriè solum Platinae de Paulo II. folia perpauca, & continuò audiet lector, latrare eum canis instar mordacis adversus Dominum suum insurgentis. Eò audaciæ suomet certè testimoniò testatur Platina sese devenisse, ut libello publicò eoque acerbissimò Pontificem Paulum infamârit,



Virorum Principum iram & arma vindicia eidem minitatus fuerit, ad Concilium adversus Pontificem appellationem tantillus homuncio intendit. Ne mireris itaque, Hübner, si in Platina legas, Paulum respondisse: *omnia jura in scrinio pectoris sui recondita esse; Item, omnes litteratos esse hæreticos.* Ut nimirum Pauli Pontificis mentem assequaris, ponderandæ tibi sunt rerum tum præsentium permultæ circumstantiæ. Pontificem accusare Supremum, majorem ac superiorem ipso Pontifice judicem velle inquirere, ad hunc *sibi* majorem Pontifice judicem deferre Pontificem, dum irâ frendens ac demens minitabatur Platina, respondit Paulus: *omnia jura in scrinio pectoris sui recondita esse*, significans furioso homini, nemini judicum jus majus posse competere, quàm sibi Pontifici ac Supremo judici: litteratos verò omnes hæreticos, aut hæreticis certè non ab similes esse eos, quibus parvi momenti est virtutis pretium, nullum sceleris odium. Et procul dubio constuas docuit experientia, viros permultos scientiis licèt exultos, virtutibus tamen destitutos in via lubrica ita incessisse, ut facili lapsu in hæresin deflexerint. Adhæc multorum populorum loquendi modus id pridem obtinuit, ut quoties eorum quispiam irâ effervescit, toties eos dicere hæreticos consueverit, quos sibi admodum molestos esse compererit. Simili ferè modo Lutherani eos solent inclamare Papistas, quos Catholicis vel modicè tantùm addictos suspicantur, vel non omnino contrarios experiuntur. Si hæres, num vera sint isthæc omnia, ne molestum sit tibi pluribus inspicere auctores Historicos non suspectos. Imò hac super re Platinam non malè præoccupata mente consule, & absque difficultate tibi veritas obviabit: dicet enim tibi inter alia hæc Platina: *Paulus in omnibus rebus videri voluit acutus & doctus.* Si namque Paulus in aliis ita oderat doctrinam, quo pacto in se & Cardinalibus suis doctrinam tantoperè æstimavit? qua ratione in omnibus videri voluit *acutus & doctus*? en quomodo hæc & similia cohæreant! Perge obsecro legere Platinam, & facilè deprehendes authorem in fine libri sui omnia corruptentem. Pessimè profectò egit is causam suam, dum inter copiosas calumnias suam finiit Historiam Pontificiam; loco nempe libri sui ultimo malè descripsit Pauli II, Pontificis vitam, imò non Pauli, sed suam.

Respon-



## Responsio IX. ad IX.

Cùm auctorum alii sint, qui Alexandrum inter melioris notæ Pontifices numerent, uti Abraham Bzovius, & Petrus Justinianus nobilis Venetus cum Stephano Forcatulo Gallo; alii verò, qui nigrò prorsus calculò denigrent, uti sunt Panvinius, Petrus Bembo &c. alii demum, qui nec inter Pontifices optimos nec pessimos censendum existiment; hinc viam mediam fore tutissimam auctores judicârunt multi, inter quos Joannes Mariana lib. 27. c. 2. ita scribit: *multa, inquit, de Alexandri vitæ famâ, quæ nulli parci, tum scriptò prodita sunt, an vero, an ex invidia, non facillè dixerim. Omnia conficta temerè fuisse non arbitror.* Dum itaque Pontificum censores non Pontificii Alexandrum VI. sibi ob oculos ponunt, optaverim ego, ut simul Historicos hoc nomine dignos suum in conspectum admittant, bene gnari, eos malle veritati cedere, quàm cum paucis adulato-ribus de crimine Pontificem omnino absolvere plurium ore reum. Nec tamen existiment hîc qualescunque Romanorum Pontificum hostes, aperiri sibi campum, in quo ipsis jam liceat velut victoribus triumphum canere: meminerint enim in primis, Alexandrum VI. minimè Dei spiritu vocatum occupasse Sedem Divini Pastoris; baculum & peram petiit, postulavit & ambivit, & idcirco saccum aurò plenum Simoniacis mercatoribus obtulit, diversus omnino à ducentis & pluribus Summis Episcopis, qui cum honores fugissent maximè, ipsos honor Pontificius non fugit. Meminerint non minùs, multa crimina Alexandro Pontifici ab obtreçtatoribus objici, quæ Pontifex non admisit. Ut res planior evadat, paululùm ad examen vocabimus totam Alexandri ætatem. Diem natalem habuit in Hispania anno Domini 1431, tumulo illatus est anno 1503, annos univèrsim moriens numeravit 72. postquam sedit Pontifex annis 11 annum igitur primum supra sexagesimum ætatis suæ vel agebat vel jam impleverat, dum Præsul Romanus est promulgatus; scelera proin plura, quæ admisit, nemo in annos Pontificios rejiciat, præcipuè verò illa, ex quibus prodièrunt sacrilegæ proles quatuor; cum harum singulæ dudùm antea pubertatem adeptæ sint, ut omnium fert Historicorum consensus. Probè notanda hæc tibi putes, Hübnerè, qui peccatorem Alexandrum maluisse ita describere, ac si carnis vitiis totus immersus fuisset, dum fuit Pontifex, nisi crimina filiorum jam ætate provectorum ita tibi placuissent, ut



simul patrem & noxios filios omnium oculis proponeres. Etsi igitur multa admiserit scelera Borgia & juvenis & Cardinalis, non eadem tamen commisit & senex & Pontifex. Verum macæfisi animi Hübner! Lutherum tuum nunc in medium producam, ut cum Alexandro VI. de innocentia certet. Ille profectò palmam feret, & quod in Alexandro tam ardentè desideras, in Luthero tuo consequèris prosperè. Natus est Lutherus Eislebii an. 1483. An. 1503. Erfurdii Philosophiæ Magister creatus eodem nempe anno fuit, quo vitam finiit Alexander VI. An. 1516. apertos errores docere non dubitavit. An. 1517. contra Patres Dominicanos palàm ad populum dicere, eosdem apertæ Simonix arguere, varias theses ipsis oppositas mordicùs defendere, Indulgentiarum valorem extenuare, novas identidem, easque apertè erroneas doctrinas in vulgus spargere, contra ipsum Moguntix Archiepiscopum insurgere, Pontificum Romanorum potestatem oppugnare, Jus Pontificium in foro publico concremare, Pontificem Anti-Christum appellare, Romanæ Fidei nuntium remittere, Saxonix Electori suo Protectori assentari in rebus cunctis & adulari, reddituum Ecclesiasticorum jus tribuere, Ecclesiæ Caput dicere, morum libertatem passim relaxare, votis religiosis ac habitu contemptis monialem sibi duplicatò sacrilegiò jungere, cum eadem in annos multos perpetuis sacrilegiis sese polluere, sacrilegas proles suscipere, usque ad annum ætatis 63. Christi 1546. pertinaciter in erroribus suis persistere &c. Si fortè nimius tibi videar, Hübner, in recensendis Lutheri maculis, edoceri à te cupio excessum meum authyperbolem. Profectò ex tuis libellis, quæ attuli hætenus, collegi ferè omnia, in hoc uno à te diversus, quòd illud ego vitium Lutheri appellaverim, quod tu virtutem nominas. Et ob hoc ipsum vehementer obstupear hic ego religionem tuam in tomulis tuis centies expressam, qua Pontificum Romanorum quorundam modò Simoniam, modò ambitionem, modò impudicitiam, modò doctrinam tuò judiciò hæreticam &c. tanquam extrema abominaris vitia, & tamen in Luthero atque hujus sectatoribus hæc ipsa vitia non modò tanquam crimina non agnoscis, sed virtutum selectissimarum loco haberi desideras. Si jam ambigas, num Alexander VI. num Lutherus scelere insignior fuerit, consule ipsos Lutheri libros, pondera insuper authores, qui utriusque gesta typis mandârunt; tum verò quovis sinistro affectu seposito te tibi met judicem sistito. Hoc si præstiteris, parùm, imò minimè, laudabis mecum equidem Alexandrum,



drum, sed minùs extolles etiam Lutherum magnæ reformationis vel auctorem vel adiutorem principem.

Responsio X. ad X.

**V**ERBORUM constantiam in Hübnerianis tomulis tum aliàs sæpe, tum de ultimis etiam hujus Seculi Pontificibus, quis est, qui non perspiciat? eodem nempe Seculo & penè eodem folio uberrimè traducit Alexandrum VI. tanquam Præsulem Veneri maximè deditum, dum tamen paulò antè asseveravit, *Antonium Sabellicum, Hermolaum Barbarum & Joannem Picum Mirandulanum, utpote viros doctissimos, exitisse reformationis brevè adfuture prodromos.* Si penitiùs inspexisses, Hübnerè, horum singulorum mores aut doctrinam, dictæ reformationis haudquaquam dixisses prodromos. Ego eosdem tibi non ex auctore Pontificio, sed tibi Scriptore ferè similimo notissimos dabo, ut major tuorum apud te sit autoritas. Inspice igitur discursus Academicos Coburgenses, quos quinquies jam typis repetitos esse gloriatur Godefredus Ludvvig Director & Professor Coburgensis. Is postquam fol. 424. Hermolaum Barbarum tanquam virum valdè doctum dilaudavit, claudit laudes ejusdem his penè verbis: *in colloquio cum Sathana instituto scire desideravit, in quo consisteret Aristotelica entelechia, seu Actus & Perfectio.* Fol. 427. dum enumerat Antonii Coccii Sabellici libros copiosos, finem enumerationi suæ hunc imponit: *mortuus est Sabellicus lue Venerea, & reliquit ex una suarum concubinarum filium spurium.* En tibi auctorem non Pontificium! en reformationis tuæ præclaros prodromos, quorum prior cum Sathana, alter cum meretricibus commercia habuère! Picum tandem Mirandulanum inter religionis tuæ vel novatores vel reformatores cur numeres, haud dispicio: hic enim cùm tempore Innocentii VIII. circa annum 1486. editò librò nongentas theses ex omni scientiarum genere stupente Romæ universâ doctissimè propugnâisset, tredecim ex iisdem propositiones deprehendère ac notavère Inquisitores; quas tamen Picus ea ratione explicavit & exposuit, ut à sana doctrina diversum nihil continere vel ipsò iudice Innocentiò fuerint judicatæ. Cæterùm harum author Mirandulanus in rebus omnibus sese constanter subjecit menti Romanæ Ecclesiæ, paratissimus id tenere semper, quod ipsa docet ac docuit. Mores suos doctrinæ conformavit, præsertim in ultima vitæ suæ periodo, cùm procul à curis Seculi & deliciis animæ suæ ac salutis æternæ curam

in



in se susceperit ferè unicam à solitudinis, pœnitentiæ, & virtutum plurimarum fructibus messem exspectans, quàm sanè copiosam collegisse anno ætatis suæ 32, ex Scaligero & alijs auctoribus tradit Antonius Foresti Historicus Italus.

*Seculum decimum sextum.*

**CCXVI. Pius III. Senensis Italus.**

**M**ORTUO Alexandro VI. tumultus ingens Romam universam turbaverat; Cæsar enim Borgia, Alexandri filius, thesauris Ecclesiæ direptis Vaticanum cum duodecim suorum militum millibus circumcinctum tenebat, simulque Hadriani molem præsidii muniverat, Electores Pontificios eò adacturus, ut non nisi acceptissimum sibi eligerent Pontificem. Ut tamen in malo proposito non persisteret, evictæ tum Gallia, tum Hispaniæ cum Romani populi Oratoribus, qui Borgiam oratione sua adeò permoverunt, ut Urbe egressus liberam Cardinalibus eligendi potestatem concesserit. E consilio fuerat Oratorum petitis quamprimum gratificari; armatus enim Gallorum exercitus à Georgio Ambrosiano Cardinale Rhotomagensi è Campania Romana vocatus haud difficulter armis impetrasset, quod ne precibus à Borgia negaretur, timebatur. Post longam igitur contentionem libera omnino electione renuntiatus denique fuit Pontifex Franciscus Piccolomineus Pii II, ex sorore nepos Pius III. deinceps appellatus. Avunculo suo sese constanter exhibuit gratissimum, & acceptorum beneficiorum memorem; ab eodem enim acceperat, ut omnibus disciplinis & præsertim Jurisprudentiâ excultus jam anno ætatis suæ decimo septimo Senensibus Archiepiscopus designatus, & paulò post in Purpuratorum Senatorum numerum fuerit cooptatus. Annis deinde & consiliis maturus sub Paulo II, & Sixto IV. Legationibus variis, in Germania maximè apud Fridericum Imperatorem, defunctus fuerat, quibus se omnibus idoneum probârat, ut imperaret omnibus Pontifex Supremus. Ipse etiam Cæsar Borgia de novi Pontificis electione maximè anxius intellecto Piccolominei nomine adeò se permutatum ostendit, ut Ecclesiæ suæ thesauros haud agrè restituerit, quamquam  
Urli-



Urfinorum armis occupatum, & custodiarum aspectu permotum fuisse auctores scribant, ut invitus fecerit, quod sua sponte perfecisse videri malebat. Interea Pius III. quamprimum omnes vires eo intenderat, ut Romanæ Curiaë & Urbis mores ad disciplinam meliorem reduceret. Cùm simul memoriâ teneret maximè, ante Pontificis electionem à congregatis Patribus decretum fuisse, ut electus Pontifex intra biennii spatium orbis universi Episcopos ad Generale Concilium convocaret, is in primo Patrum conventu palàm pronuntiavit, nolle se tantum temporis expectare, ne congregando Concilio obex poneretur amplius. Verùm præclara hæc statuta mors perimportuna disturbavit venenato ulcere vitam eripiens Pontifici, quem die à Pontificatûs sui initio supra vigesimum sexto omnes boni si non lacrymâ, saltem magno animi dolore ad tumulum usque profecuti sunt an. 1503.

## CCXVII. Julius II. Genuensis Ligur.

**I**ULIANUS ante Pontificatum dictus patrem habuit Raphaëlem Roborem Sixti IV. Pontificis fratrem Germanum nobili stirpe ortum. Litteris quibusvis & virtutibus excultum Sixtus IV. patruus ex Episcopo Carpentoraënsi Presbyterum Cardinalem; dein verò Episcopum Albanum, & mox Sabinum; demum verò Ostiensem ac Majorem Pœnitentiarium creavit. Eo munere tum ob singularem eruditionem, tum ob compertam in rebus omnibus agendi dexteritatem, tum etiam ob continuum laborem, quem extruendis Romæ ædificiis magnificis impenderat, & Sixto IV. & Innocentio VIII. pergratum se præbuit. At sub Alexandro VI. fortunam asperam perpeffus, ne plura pateretur, in Galliam aufugit, ubi per decennium commoratus Ludovici XII. regiam humanitatem fuit expertus. Alexandro VI. & mox Pio III. vitâ functis, dum ex Gallia in Italiam rediit, tanto in Julianum studio Electorum suffragia sunt conversa, ut penè priùs, quàm conclave ingrederetur, jam 37. Cardinalium calculis lectus fuerit Pontifex, ringente ad hujusce rei nuntium Cæsare Borgia, cui Julium II. triplici corona redimitum cernere visum est extremum exitium. Hunc tamen ante alios sibi Pontificem optare debuerat Borgia; Julius enim etfi illatas sibi ab Alexandro VI. & hujus filii in-

*R. P. Kolb Series Pont. Pars III.*

Rr

jurias



jurias ignorare non potuerit, pertulit tamen eo animo, ac si eas omnino ignoraret nullis precibus nec rationibus persuasus, ut Cæsari Borgiæ vita longiori indigno vitam adimi pateretur vindictæ omnis immemor. Ecclesiæ tamen bona à Cæsare direpta ita restituit, ut brevi incrementum sumpserint. Hanc in rem vi & armis opus fuerat, ut inter primos hostes Veneti sub jugum mitterentur, contra quos Julius II. Maximilianus I. Imperator, Ludovicus XII. Galliæ, & Ferdinandus Catholicus Hispaniæ Reges iniêrunt foedus, haud longo tempore tot inter diversa capita duraturum: Veneti enim positis armis & infestis animis Pontifici, aut veriùs ejusdem armato exercitui supplices facti, & ob hoc in gratiam recepti, simulq; anathematis vinculo soluti, suas in partes trahebant Pontificem simul & Ferdinandum Regem, futuros simul pariter hostes eorum, quibuscum paulò antè contra Venetos amicitiam firmaverant. Contra inexpectatos hos hostes, veluti pro focus & aris pugnaturi & Cæsar & Rex Gallus Pisanum conciliabulum, invito Pontifice, armata manu protegebant, quibus ut in tempore occurreret, Concilium Lateranense indixit Julius. Interea Hispani, post varias hostilitates, Pontificiis mixti militibus acerrimo cum Gallis propè Ravennam commissò præliò victoriam quidem amiserunt, victoribus tamen multo sanguine coemptam. Quin Gallorum vires eâ victoriâ ita attritæ sunt, ut junctâ Venetorum & Helvetorum operâ totam brevi Italiam reliquerint, non jam victoriâ ovantes, sed fugâ ac timore penè exanimati. Intellectâ Gallorum fugâ Insubres etiam Maximiliano Sfortiæ Ludovici Mori filio sese subdiderunt, excussò Francorum jugò. Insubrum exempla secutæ in Italia urbes permultæ, aut Pontifici, aut Cæsari parvère. Atque hæc omnia cum Helvetiarum præcipuè copiarum viribus fuissent patrata, ex beneficio Julii II. Pontificis Helveti *Italiae libertatis assertores* dici cœperunt. Inter hæc Veneti Veronæ Vincentiæq; imperium Cæsari, cui tamen ex pacto hæc urbes debebantur, cedere obstinatissimè recusarunt. Igitur Pontifex, Venetorum pertinacia vehementer commotus, alterum cum Cæsare foedus pepigit totis viribus recrudescentes hostes prostraturus. Verùm etiam Veneti paucitatis suæ haud obliti mox societatem iniêrunt cum Ludovico Francorum Rege, qui itaque novos contra Julium adhibitis Cardinalium in Gallia commorantium consiliis tumultus excitabat, Abbatem Cluniacensem, ut Sacerdotem Summum dicerent, legitimo Pontifici opponens. Cum Gallorum Rege arma conjunxerat

rat



rat tunc Joannes Albretanus Navarrae Rex, qui Pontificis minis & monitis contemptis denique exauctoratus est penitus, Navarreo regno in Ferdinandum Catholicum translato. Tentati etiam fuere sapius Veneti à Pontifice consiliis & armis, ut Gallorum amicitiae nuntium remitterent; sed cum in proposito suo vel constantes, vel pertinaces expertus fuisset, partim animi dolore, partim senectutis infirmitate debilitari indies magis visus est, ac demum extingui anno à Partu Virginis 1513. Sed. 9. Fuit Pontifex Julius II, ob gestorum bellorum multitudinem notissimus; *Clarissimum* fuisse dixissent omnes, si inter profanos belli Duces locum occupasset. Ab ipsis igitur Catholicorum permultis, & maximè à non-Catholicis inter armatos militum Ordines potiùs, quàm sacros Praesulum choros fuit collocatus, an galea, an infula decorus magis, discutiant illi, qui dubitare coeperunt.

### CCXVIII. Leo X. Florentinus.

**I**OANNEM Mediceum quondam vocatum de gente Medicea etiam nunc inter Hetruscos Principi prognatum fuisse norunt ii maximè, qui Virorum Principum profapias attendere, & scuta gentilitia observare studuerunt. A teneris annis filium suum Laurentius Princeps doctissimus juxtà ac prudentissimus optimis moribus ac disciplinis imbui curavit, conductis hunc in finem variis iisque versatissimis praeceptoribus. Eum igitur adolescentem in genitoris gratiam Rex etiam Gallorum Ludovicus beneficiis regis honoraverat. Quatuor supra decem annos aetatis suae vix numerabat, cum ab Innocentio VIII, sacra purpura condecoratus fuit. Annum trigessimum septimum agebat, dum aetate minùs provectorum Cardinalium maximè studiis in Pontificem electus fuerat, senioribus patribus mutua ambitione dissidentibus. Electi recens Pontificis Leonis X, proclamatorem egit coram universo populo Cardinalis Alphonsus Petruccius, ingenti applausu & laetis congratulantium vocibus exceptus. Is tamen, eodem Leone jubente, in carcere jugulatus fuit ob conjunctionem ipso duce cum Cardinalibus aliis adversus juvenem, ut aiebant, Pontificem conflam. Tria rerum capita coronatus Pontifex exequi secum statuerat, dissidentes nimirum Christianorum Principum animos amicitiae vinculo conjungere; successum dare secundissimum Concilio Lateranensi à Julio Antecessore nuper coepto; & bellum sacrum promoverè



adversus Saracenos, Primum capitum horum executus est ex parte faltem velocissimè juxtà ac felicissimè; Rex enim Gallorum Ludovicus XII. reje-ctò conciliabulò Pisanò Cardinales ejusdem conciliabuli partim auctores, partim adjuutores totà Gallià exesse jussit, Maximiliani Imperatoris gloriosa vestigia secutus, qui sedente adhuc Julio II. suos Legatos ad collectos in Laterano Patres miserat. Mors indè cùm Ludovicum Regem rapuisset patrem, Franciscus filius, patris exemplò permotus, Leoni contra Selimum Turcarum Imperatorem 4000. peditum & 6000. equitum cum rebus omnibus necessariis suppeditavit paratissimus, ut dicere solebat, cum filiis adversus Ecclesiæ hostes ire & pugnare, si vel necessitas, vel par necessitati utilitas suaderet. Non ita votis responderunt in Germania Principes ac Principum Legati Augustæ Vindelicorum congregati; iidem enim decimam & vigesimam bonorum temporalium partem negabant Pontifici, paratiores contra Italiæ Clerum, quàm contra hostem barbarum pugnare. Annus agebatur supra millesimum quingentesimus decimus septimus, quo Lutherus Jubilæi à Leone promulgati primò astimator, sed mox osor acerrimus zizania seminare in Saxonia coepit superbiâ atque invidiâ contra Patres Dominicanos, uti vocamus, imò universam Romæ Ecclesiam pugnante, & per Germaniam multis in locis triumphante. Conscriptit idcirco contra Lutherum Henricus VIII. Rex Angliæ librum, qui auctori suo ita jubente Leone X. peperit *Defensoris Ecclesiæ* gloriosum nomen, notâ inconstantia maximæ & majori plurimorum scelerum infamiâ brevè extingendum. Eadem ferè ætate mortuo Maximiliano Cæsare ab Imperii Electoribus Imperator electus fuit Carolus V. perpetuus Francisci Gallorum Regis hostis & victor, cum quo Pontifex foedus quamprimùm iniit, totà Italiâ propulsurus Franciscum Regem Francisco Sfortiæ Mediolanensem Duci infestum. Conjunctis itaque Itolorum ac Germanorum copiis brevi tempore Mediolanum totaque Insubria pulsâ Gallis restituta fuit; Ducatus nimirum Mediolanensis denuo paruit Francisco Sfortiæ, Parma verò & Placentia Ecclesiæ. Geminas has urbes Ecclesiæ redditas intueri ardentissimis in votis Leoni erat; auditus est enim non rarò dicere, si Placentiam & Parmam Ecclesiæ subjectam denuo vidisset, mortem sibi minimè molestam fore. Nec dixit fortiùs, quàm egit; dum enim accepto de Gallorum clade & restitutâ Parmâ ac Placentiâ nuntio in villa Manliana cenam sumere parabat, subitò artuum omnium



omnium rigore concuti cœpit; secuta dein febris & ingravescens identidem morbus mortem Leoni mori paratissimo acceleravit an. ætatis 47. Pontificatus 8. Christi 1521. Præclara hujus Pontificis gesta ornarunt etiam DD. Casimirus Poloniæ Princeps regius, & Franciscus de Paula Calaber Divorum catalogo ab eo inserti; unus item & triginta Cardinales ab eodem Pontifice creati, ut eorum non pauci interessent membra, aut Præsides Concilio Tridentum tunc convocando. Locum etiam apud eundem vendicaverunt sibi tum artium, tum scientiarum æstimatores plurimi ac præcipuè Poëtæ, quos inter eminebat maximè Camillus Quernus Neapolitanus; is licet in menses singulos 8. duntaxat aureos pro alimentis à Leone acciperet, sexcenta tamen versuum millia intra unius mensis compendium se composuisse gloriatus est. Inter Poëtarum proin carmina & orbis totius laudes tumulo illatus fuit Leo X. Pontifex D. Petri annis dignissimus.

### CCXIX. Hadrianus VI. Germanus.

**U**LTRAJECTI ex patre Florentio Aulæorum textore natus annò 1459. ob parentum inopiam domo patria relicta Lovanium venit, ut inter alumnos Collegii Portiorum, uti vocabant, necessaria alimenta haberet, sed & liberales artes perdisceret ibidem, gradum deinde facturus ad severiores litteras. Intra paucorum annorum curriculum tales actantos fecit progressus, ut tam in Dialectica, Mathefi & Philosophia, quàm Theologia universa primam constanter laudem tulerit, & supremam lauream adeptus fuerit, haud inferiorem tam in Jure Pontificio, quàm Cæsareo promeritus. Emensò scientiarum harum stadio favente Margaritha Maximiliani Cæsaris filia, quæ tum Belgis parentis loco imperabat, parochiale beneficium consecutus animarum curam in se suscepit; dein Theologiæ Doctor publicus ac in templo Lovanii maximo Canonorum Decanus; mox verò Austriæ Archiduci Carolo Præceptor delectus, in Hispaniam ab eodem suo quondam discipulo jam Imperatore ac Rege Hispaniæ missus advenit, ubi à Ferdinando Caroli fratre Episcopus Tortosæ constitutus est, ut tam Carolo quàm Ferdinando à consiliis perpetuò foret, quin Regis nomine cuncta disponderet. A Leone demum X. Cardinalium numero adscriptus à triginta Purpuratis Patribus, etsi longissimè absens ac remotus, in Romanum Pon-



tificem fuit designatus an. 1522. Accepto de sui electione nuntio, ex Hispania quamprimùm transeundum fuit in Italiam, in qua continuò Malatestam Arimino repulit Urbinatium & Ferrariæ Ducum copiis adjutus, Simile subsidium Rhodo insulæ à Turcis obsessæ votis omnibus exoptabat; quæ tamen die Nato Servatori sacra immani barbarorum jugo caput subdere cogebatur an. 1522. Rebus aliis ut maturè provideret, Consiliarios in Germania natos sibi que notos præ aliis adhibebat; horum igitur vigiliis interceptæ fuere Soderini Cardinalis literæ, quibus Franciscum Galliæ Regem ad innovandum in Sicilia bellum hortabatur, ut Cæsareæ cohortes ab Insulæ abstractæ ad tuendum Siculorum regnum traherentur. Hac Soderini perfidia, ut par erat, valde commotus Pontifex proditorem in vincula dari jussit, Italorum consiliis in dies fidens minùs. Multorum quoque avaritiæ obstiturus, quædam Romæ officia haudquaquam necessaria sustulit. Hæc aliæque fuere, quibus tum sibi, tum Germanis Romæ degentibus, invidiam conciliaverat adeò, ut passim Germanum Pontificem cum suis Belgis morosæ tarditatis incusarent, parùm memores, Fabium Maximum Italum cunctando rem Romanam restituisse. His adversis accessere permultæ in Germania præsertim turbæ; nam præter Lutherum & Calvinum aliòsque novatores Sacramentarii & Anabaptistæ appellati Romanæ Ecclesiæ vim inferebant maximam. Ut itaque Turcis in Europam magis penetrantibus, nec non Heterodoxis per Germaniam grassantibus à viris Principibus obex poneretur, nullum non movit lapidem; Cardinales enim Legatos, Franciscum nempe Charegatum Norimbergam ad Imperii Status, Thomam verò Cajetanum cum pecuniis in Hungariam dimisit. Concilio adhæc initium facere, si per vires ac vitam liceret, decrevit. Verùm dum inter spem & metum Sacræ Reipublicæ emolumento consulere perseveravit, morbo mortis prodromo tentari ita cœpit, ut agonem sibi proximum instare animadverteret. Quàm hilari igitur animo & vitam temporalem, & summos in terris honores nuspian sibi desideratos relinqueret, ut palàm orbi faceret, hoc ipse sibi scripsit Epitaphium Viatoribus ac Lectoribus cunctis de Hadriano mortuo vivum testimonium: *Hadrianus VI. hæc situs est, qui nihil sibi infelicius in vita, quàm quòd imperaret, duxit.* Imperavit autem Pontifex anno solùm 1. 8. mens. mortuus an. 1523.



## CCXX. Clemens VII. Florentinus.

**I**ULIUS ante Pontificatum nominatus, ac de Mediceorum genere natus, Leonem X. patruelem suum impensè coluit; eundem enim inter prospera & adversa constanter secutus, ab eodem ad supremam dignitatem promotus primùm Archiepiscopus Florentinus; deinde Cardinalis; & denique S. R. E. Cancellarius est constitutus. Legatus præterea Pontificus, durante inter Cæsarem Maximilianum & Leonem X. adversus Gallos fœdere, Parmam atque Placentiam Ecclesiæ restituit. Fuere hæc præter recentem eamque felicissimam Leonis X. recordationem, quæ Julio viam ad supremæ dignitatis apicem sternebant; plurimùm tamen obtinente Pompejo Cardinale Columna æmulo, quòd gratia Cæsaris sese pollere apprimè nosceret. Post duorum tamen mensium contentionem, cedente Pompejo, à triginta septem Cardinalibus Pontifex electus Julius annum à nato Servatore 1523. numerabat, quo Pontifex novus, Clementis VII. nomine orbi universo promulgandus, Jubilæi beneficium Ecclesiæ an. 1525. significavit, ab operibus poenitentiae sperans fructus uberrimos. Eadem ferè ætate accepit nuntium, in Germania, Duce Münzero Lutheri affecta, ægestres speciosò libertatis titulò allectos Nobilitati universæ & Romanæ Ecclesiæ vim extremam intulisse. Fuit is nuntius malorum ingentium prodromus, quæ Italiae imminebant; causam nimirum bello Italiae lucuosissimo præbebat Gallorum prope Papiam clades, & Francisci Regis captivitas, nec non Mediolanum à victore Cæsare Carolo, Francisco Sfortia Duci ademptum. Inter summas rerum angustias persuadebant Clementi Consilarii Pontificii, rem optimam factu videri, si præpotenti & victoriis elato Cæsari via ad complures victorias occluderetur. Eum in finem Pontifex cum Anglorum Rege, Venetis, & Florentiæ Duce, & tandem etiam cum Francisco Rege libertati restituto, fœdus iniit Cæsari summopere exosum, Columnenses igitur & hos inter maximè Pompejus Cardinalis, perpetuus Clementis & hostis & æmulus, amicus verò Cæsaris vim primam Romæ inferre, Pontificem simulatæ pacis specie decipere haud metuens, Vaticanum ipsum prædator sacrilegus cum armato milite ingreditur Clemente VII. in fugam abactò. Consertæ dein complures pugnae fuere nunc Pontificias inter & Columnenses, imò Clementis inter & Cæsaris cohortes, donec denique exhausto ærario Pontifex bello pacem præoptare, & à Cæsare impetrare, è consilio fore existimavit. Idibus Martiis itaque pax de-



denuò Clementi ac Carolo placuit. Eam in rem Lanojus Cæsaris loco Neapoli imperans cum copiis Borbonium ex Gallia ad Imperatoris partes transfugam inhibere jussus est, ne vim ullam inferret Pontifici; Borbonius verò jam fidem fallere assuetus cum armato exercitu, quem variis promissis & spe spoliatorum animaverat, Romam armata manu adoritur primus inter commilitones admotas mœnibus scalas conscendens. Sed sclopeti glande dejectus, suorumque gregariorum pedibus obtritus gloriam, quam de capta Roma exspectarat, ignominiosa morte ipsemet extinxit, Crebrius equidem Romam ab hostibus captam norunt Majores nostri, nunquam tamen furorem aut terrorem tantum expertam fuisse testantur, quàm à furentibus novatoribus, novis Ecclesiæ Romanæ desertoribus Lutheranis, qui mixti prædatoribus aliis Romanum Clerum ac populum extremis modis vexaverunt. Ipse profecto Pontifex & aliquot Cardinales omnis consilii expertes in arcem S. Angeli sese subito recipere coacti fuerunt, ubi omni comœatu destituti eo denique pacto vitam conservarunt, ut cuncta quæ Cæsar imperasset, se facturos pollicerentur. Interea Carolus Imperator in Hispania commoratus acceptis de lugubri Romæ & Romanæ Ecclesiæ statu nuntiis, obortis præ mœnore lacrymis altum ingemuisse fertur; atque licet eidem in spem amplissimorum suorum regnorum tunc natus fuisset Philippus filius, omnis tamen publicæ lætitiæ indicia prohibuit; publicas è contrario preces indictas omnibus voluit, quibus ipse se constanter præsentem exhibuit nudis incedens pedibus, reliquo populo pœnitentiæ exemplum monstraturus. Manu adhæc propria exaravit epistolam, qua suam hac in parte innocentiam Cæsar Pontifici, quin orbi universo testatam cupivit. Supervenere ea tempestate ex Anglia nuntii permulti, qui narrabant Henricum VIII, Regem post viginti annorum connubium repudiare coepisse Catharinam conjugem Hispanam Caroli Cæsaris materteram. Ansa repudii erant nuptiæ inter fratrem Regis Arthurum brevi mortuum interque Catharinam jam contractæ; aut veriùs repudii causa fuerunt illiciti Regis amores in Annam Bolenam accensi. Accessere huic in Angliæ regno mala permulta alia Ecclesiæ Romanæ tristia. Ad tantas igitur in tota Ecclesia turbas tollendas Carolus Imperator, Rex Gallus, aliique tum Reges tum Viri Principes Concilium institui petebant, quorum votis responsurus Clemens creatus triginta duobus Cardinalibus Concilium cogere jamjam instituit. Verùm plura desiderii, quàm opere præstare hic licuit Pontifici, morbis animi & tandem



dem morte confecto Sed, an. 10. Christi 1534. Laudes Clementi VII, ante alios dixerunt quatuor Religiosorum Ordines ab eodem probati atque laudati. Eorum primum Capucinorum, alterum Theatinorum, tertium Somascorum, & ultimum Barnabitarum nuncupavit.

## CCXXI. Paulus III. Romanus.

**C**ENTUM fluxerunt anni, à quibus Romani cives à Romanorum familiis nullum amplius venerati sunt Romanum Præsulem, fastidiò suò sanè maximò. Finito tandem sterili Seculo anni ubertatis oborti sunt denuò Romæ; Alexander enim Farnesius nobilis Romanus, postquam per annos omnino quadraginta in sacro Purpuratorum Patrum Senatu constantissimam virtutem, & singularem prorsus in rebus omnibus prudentiam cunctis probaverat, rara prorsus omnium Electorum consensione primò extra electionis locum, dein verò in conclavi Cardinalium triginta quinque suffragiis fuit nominatus Pontifex. Id præsertim in Farnesio mirabantur omnes, quòd didicisset ita ad partium diversarum studia non propendere, ut nec Germani, nec Itali, nec Galli, nec ulla natio sibi soli addictum crederent, omnes tamen dicerent suum Farnesium. Creatus Romanus Pontifex Romanorum privilegia continuo confirmavit & auxit, dein verò ad remotiora regna conversus, Cæsarem Carolum V. constanter sibi addictissimum conservavit, etsi nec Francisci Gallorum Regis desereret partes inter utrumque: Cæsarem nempe & Regem perpetuos æmulos exoptans pacem, aut certè longiores inducias. Ter aut quater, dum fuit Pontifex, cum Imperatore de rebus Ecclesiæ & Imperii egit, atque colloquium ipse instituit, aliàs verò nunquam non per Legatos præsens esse Cæsari studuit: vix enim Ecclesiæ imperare coepit, Imperatori Carolo Tunensis regni victori gloriosissimo obviam misit duos Cardinales relatam victoriam gratulantes. Romæ sudinde convenère Suprema urbis & orbis Capita Paulus & Carolus, ubi mutuis precibus inter se se contendere; Pontifex enim Gallis pacem à Cæsare concedendam petiit, Cæsar à Pontifice initium Concilio Tridenti congregando flagitavit. Nihil à Cæsare Pontificis precibus, multum à Pontifice concessum fuit Cæsaris votis: Concilium enim paulò post promulgatum, sed tamen in Germania plurimum turbatum fuit tum ob bella perpetua, tum etiam ob disputationes publicas Ratisbonæ institutas, Heterodoxis eas ex-

*R. P. Kolb Series Pont. Pars III.*

Ss

optan-



oprantibus, ut publicè clamoribus contenderent, hoc est, veritati nihil concederent suo unice fidentes capiti, haudquaquam solliciti *de Supremo* in Fidei Controversiis *Judice*. Protestantium itaque, uti fuerunt vocati, pertinaciâ eò usque in angustias se redactum sensit Cæsar, ut invitus licet Augustæ Vindelicorum nimium quantum permiserit eorundem arbitrio, sub verbo *interim* triumphante noxia libertate Religionis parùm religiosæ; quo Cæsar factò jura sua ac potestatem violari Pontifex querebatur uno hoc capite offensus ab eodem. Niza in Provincia Galliæ urbs summo honori sibi duxit an. 1538. Paulum Pontificem, Carolum Cæsarem & Franciscum Regem præsentem venerari. Illuc convenerunt rogante Pontifice Imperator & Rex, ut gravissimis tandem bellis Germanos Hispanis junctos inter & Gallos finem imponerent. Verùm agitatæ consiliis variis, cum neuter alteri cedere aut vellet, aut posset, ut tamen quidquam Pauli Pontificis daretur precibus, bellumque adversus Turcarum copias instituendum non retardaretur, decennales inducias inire utrique placuit. Lapsis indè aliquot annis nimirum, 1541. Lucæ, & 1543. Buxeti Placentini agri oppido diebus integris cum Cæsare egit Pontifex, ut innumeris Ecclesiæ malis pressæ succurrerent; in Germania enim & Anglia maximè novatores indies magis invalescebant, Henrico Rege post carnis scelera in hæreles labente, Germaniæ verò viris præpotentibus Lutheri sectam propugnantis. Illicium, causa & occasio his potentissimum erat conficta ut plurimum ab inimicis Pontificum scelera; eorundem in rebus momenti summi amplissima potestas; pravorum Sacerdotum multorum nimia morum licentia; ignorantia per Germaniam crassa, majori autem ex parte propria ipsorum Virorum Principum tum Ecclesiasticorum tum secularium inveterata seductio, & ex hac secuta bonorum Ecclesiæ ad seculares, Reges, & Duces sacrilega translatio, eorundem item in res tam sacras quàm profanas imaginaria jurisdictio. Henricus certè VIII. excusò omnis honestatis frænò se Caput Supremum Anglicanæ Ecclesiæ dixit ac dici præcepit, exemplò ad Germaniæ Regulos brevè transmissò, quibus par Pontificiæ potestati impediendi vis adeò arrisit, ut nisi propter homines & Ecclesiam Romanam nomina odissent, se ipsos Papam aut Supremum Pontificem procul dubio appellassent. Tot ac tantis igitur Ecclesiæ hostibus ut contraveniret Paulus, Concilio Tridenti propagando constanter studuit, ac Carolum Imperatorem inter & Franciscum Galliarum Regem pacis foedera nunquam non optavit utrique



utrique perpetuò gratissimus. Cardinales universim septuaginta & unum creavit, quos inter numerati fuerunt undecim filii Regum aut Principum. Publicas preces passim universæ Ecclesiæ indixit; viros doctissimos summo opere fovit, laudavit atque promovit; ea de causa Societatem JESU etiam ab Ignatio Lojola, *digito Dei monstrante*, ut ipse agebat, inventam confirmavit, ejusdem viros socios in omnem orbis partem amplissimis privilegiis ornatos à se dimisit, ut non modò per Angliam aut Germaniam sectariis resisterent, sed ultra oceanum D. Petri naviculam proveherent in Asiam, Africam & Americam projecturi anchoram. Hæc potissima sunt, quibus per annos ætatis suæ duos supra 80. Pontificatus verò 15. se orbi notissimum & accepissimum fecit, adeoque mortuus est annò 1549. Pontifex omni laude per omnem vitæ suæ periodum dignissimus, nisi aliquando juvenili calori nimium indulisset in viam carnis turpiter deflectens juvenis; quem lapsum tamen humanæ fragilitatis, non verò obfirmatæ in malitia voluntatis fuisse vel coguntur fateri Heterodoxi, hoc unum ferè in Paulo III, vituperantes, quod tamen in se aut suis partibus nunquam vituperabunt, aut certè vix vitabunt.

## CCXXII. Julius III. Romanus.

**E**X patre Vincentio de Monte Romæ Jurisconsulto natus Joannes Maria crescente ætate Perusii ac Senis singularem eloquentiam ac exactam Juris notitiam operâ Antonii de Monte Cardinalis S. Præxedis sibi comparavit. His animi dotibus jam celeberrimus factus, in Lateranensis Concilii sessione V. ad Julium II. collectosque Patres dixit ea sui commendatione, ut tum Pontificis, tum Cardinalium ac Episcoporum plurimorum amorem sibi mirè conciliaverit; à Julio enim II. paulò post Archiepiscopus Sipontinus creatus raram etiam hinc de se omnibus præbuit æstimationem. A Paulo III. Bononiæ Prolegatus ac Cameræ Apostolicæ Auditor constitutus suis meritis Cardinalitiam dignitatem fuit consecutus. Post plurimos in Curia Romana summa integritate exantlatos labores Galliam Cispadanam, Flaminiam, Æmiliam & novissimè Bononiam Legatus gubernavit. Concilio Tridenti demum indicto Pauli III. loco præses præfuit eo in sublimi munere pares sibi numerans Cardinales Cervinum & Reginaldum Polum. Mortuo Pontifice Paulo III. novem supra quadraginta Cardinales in tertium usque mensem in electionis loco



commorati, longâque discordiâ divisi in tres partes abiêrunt, aliis Cæsari, rursùm aliis Galliæ Regi, & denique aliis Farnesianaë familiæ, plusquam par erat, addicis. Tandem tamen longioris moræ pertæsi summo omnium consensu in Joannem Mariam, deinceps Julium III. appellatum suffragia contulêre, probè gnari, præter ingentia merita id singulare in Joanne Maria fuisse, quòd cum sub Clemente VII. Roma caperetur, plurima ingenti animi constantia perpeffus fuerit à furiosis Romanis, ut Ecclesiæ thesauros proderet. Coronatus Pontifex Julius III. ut insisteret Antecessorum suorum vestigiis Jubilæi morem ac cæremonias observavit. Viros item Principes, ac inprimis Carolum V. sibi conciliaturus eorundem Legatos, ante hos verò peramicè suscepit Archiepiscopos Romani Imperii Electores, Moguntinum nempe, Trevirensẽ & Coloniensem. Fuêre hi omnes præsentès Concilio, quod hortante Carolo Imperatore Pontifex Bononiâ Tridentum transferri curavit, Germanis ea translatione maximè satisfacturus. Verùm inveteratò jam in Germania malò contemptâque penitus Pontificis ac Concilii autoritate, totæ regiones ac provinciæ Lutherò, Calvino aut Zvinglio pertinaciter adhærebant, quorum libri in Italiam jam clanculum delati, ne locum haberent reliquum, severis præceptis cavuit sedulò Julius. Spem ampliorem de Angliæ Romanæ Ecclesiæ penitus restituenda conceperat; mortuo enim Henrico VIII. & mox ejusdem filio Eduardo Regibus in regno successit filia Maria, nubens Philippo II. Hispaniæ Regi, quibus ambobus Religione Romana nihil fuit antiquius. Verùm quàm infirmæ ac inanes sæpè sint res ac spes mortalium, tristissimus brevè eventus commonstravit; Julium enim III. an. 5. Sed. Pontificiæ, Christi 1555, humanis rebus ereptum, secuta est moriens an. regni 5 Maria Regina; Elisabetha verò educata ex carcere ac in thronum evecta annis 47. Angliæ imperavit, suo pro arbitrio sibi suisque præcepta formans, ac Religionem fingens foemina, quæ sua vivendi ac imperandi methodo multis visâ est transtulisse in Historiam, quam de Pontificibus Romanis horum hostes confinxerunt copiosam fabulam. Cæterùm ut lapsæ in errores Germaniæ modis omnibus succurreret Julius Pontifex, paulò antè suum obitum Romæ Collegium erexit peropportunum Germanæ juventuti seminarium, ex quo nimirum per secutura Secula prodirent viri omnis eruditionis & virtutis genere exculti, ac proinde quibusvis novatorum assultibus retundendis instructissimi atque paratissimi.



## CCXXIII. Marcellus II. Politianus Thuscus.

**M**ARCELLUS Cervinus de Spannochiis à prima ætate dictus, patrem fuerat nactus Richardum Marchiæ Anconitanæ thesaurarium. Parentis aliorumque virorum litteris clarissimorum industriâ scitè imbutus patriam urbem Politianam reperit, mortuo genitore geminis sororibus prospecturus, quarum altera Cynthia nomine Cardinalem Bellarminum mater enixa est filium. Inde Romam perveniens & Paulo III. Pontifici in omnibus probatus, ab eodem nepoti suo Alexandro Francisco moderator fuit datus. Lapso tempore aliis in Curia Romana iisque gravissimis negotiis adhibitus usque adeò dignum ac necessarium se præstitit, ut primò ad Franciscum Galliæ Regem, dein verò ad Cæsarem missus venèrit Pontificis Legatus & Farnesii Cardinalis socius. Infulâ adhæc primùm Neocastrensi, & mox Rhegiensi ornatus ad Concilium Tridentinum Pontificis nomine venit futurus ibidem Præses. Seden- te Julio II. cum Lauretanam ædem Magnæ Virgini supplex factus inviseret, atque ad aram faciens Deo litaret, subitò avis columbæ simillima litanti adfuit libro legentis infidens, & ad finem usque sacrificii perseverans, nulla vi nec abigenda, nulla nec vi abacta. Romam reversus Julio III. Pontifice defuncto unum omnium Electorum studium in Marcellum consensit, ut ante alios præffet omnibus Supremus Pontifex. Talis igitur cum populo Romano promulgaretur, exonerari prohibuit tormenta aliâque lætitiæ indicia; *Psalmodym ad cælos usque penetrantem, veluti dicebat, longè præhabendam esse festivis ignibus atque clamoribus.* Creatus Pontifex cum ab Oratore Hispano rogaretur, ut juveni nobilissimo commissi homicidii reo veniam daret, respondit, *indignum prorsus esse Pontifice, Pontificatum ab homicidii absoluteione auspicari.* Cardinali Tridentino Christophoro Madrutio Bononiensis Legati munus ambienti fortiter obstuit, quòd apprimè nôsset, eum Cæsaris partibus plus æquò studere; omnibus enim omnia fieri ipse cupiebat partium diversarum studia detestatus maximè. Ut itaque unitis animis ac studiis omnibus Cæsar & Reges Catholici Turcarum armis sese opponerent, tum per se, tum per suos Legatos agere seriò instituit Marcellus. Id etiam crebris sermonibus usurpare so-



lebat: se nunquam permissurum, ut quibus credita esset animarum administratio, à suis abessent Episcopatibus & Ecclesiis, nec Politicæ Jurisdictionis munia tractarent, quando in Ecclesiastica disciplina indignum, & Antistiticum muneri ac sanctitati turpissimum videretur. Integritatem itaque morum in Viris Ecclesiasticis præsertim requirens in numerum Episcoporum aut Cardinalium nullum admittere decreverat, nisi vel experientia, vel testimoniis probatissimorum testium suffultum. Plurima alia, eaque commendatione dignissima, patravit ante suum Pontificatum, plurima alia insignia in Pontificatu suo patrare sibi proposuit: verum tam præclara subito intercludit desideria mors vel venenò propinata, vel potius naturæ infirmitate accita an. 1555. die Pontificatus 22. quo paucillo temporis spatio sanguine sibi junctis omnem aditum interdixit mundo & carni totus mori cupiens, dum maximè vivere coepit, aut veriùs vivere perseveravit.

### CCXXIV. Paulus IV. Neapolitanus.

**I**OANNES Caraffa inter Neapolis Proceres in se & nepotibus suis etiam hodie clarissimus ex Victoria Camponesca paris sibi nobilitatis conjugè suscepit filium Joannem Petrum Caraffa. Puer admodum forori Mariæ inter Moniales dein celeberrimè educandus dum committitur, in pueritia juvenem, in juventute virum, in ætate virili senem non moribus tetricum, sed consiliò, doctrinà, experiencià, prudentià ac sapientià præstantissimum exhibuit omnibus; præcis quippe, iisque Sanctissimis patribus, à suis observatoribus etsi nondum ætate provectus semper fuit comparatus. Ad tantam autem sui perfectionem hac ratione pervenit: Romam profectus in contubernio Oliverii Caraffæ Cardinalis propinqui sui exhibitis Urbi de se documentis eximiis à Julio II. Episcopus Theatinus fuit creatus. Ab eodem Pontifice paulo post Neapolim missus Ferdinandum Hispaniæ Regem Apostolicæ Sedis nomine veneratus est. Disponente dein Leone X. nuntius in Angliam ad colligendum D. Petri numum, uti vocare solebant, pervenit toto triennio ibidem comoratus. Ex Anglia in Hispaniam navigans Catholico Regi à consiliis simulque sacelli regii Magnus Scællanus fuit, quo in munere sub Carolo etiam V. Imperatore pariterque Rege usque ad Hadriani VI. tempora perseveravit. Ab Hadriano VI. ex Hispania Romam vocatus variisque probatus officiis Episco-



Episcopatum Brundusinum à Cæsare Carolo oblatum recusavit, eò quòd vitam solitariam longè præferre per annos minimum aliquot secum firmiter statuisset. Eam ob rem novam Canonicorum Regularium Congregationem instituit. Urbe à Germanis capta perpeffus ærumnas maximas Veronam primùm & mox Venetias discessit, ubi annos aliquot inter Viros Religiosos transegit ab iisdem *sancti* nomine passim appellatus. A Paulo III. bis datis litteris repetitus, Romæq; sacrâ purpurâ ornatus, ob serpentes indies magis hæreses sacræ Inquisitionis suasor unâ cum Cardinalibus aliis justissimæ severitatis exempla ededit. Ab eodem Paulo III. ex Presbytero Cardinale Episcopus primùm Albanus, deinde verò Sabinus, & mox Archiepiscopus Neapolitanus selectus, post Pauli obitum sub Julio III. Tusculanam & novissimè Ostiensem Ecclesiam regendam in se suscepit. Mortuo demum Marcello II. Electorum suffragiis an. ætatis suæ 79. electus est Pontifex Pauli IV. nomen assumens. Novi itaque Pontificis cognitum rigorem dum pertimescere magis cœpit populus Romanus, summam ejus demiratus est clementiam. Rigorem è contrario experti sunt Romæ Hebræi, quos arctiori conclusit termino, audûs eorum tributis, prohibens etiam legi à Christianis eorundem librum Talmud: præscribens item Judæis pileos flavo colore tinctos, ut à reliquo faciliè discernerentur populo. Justissimum Pauli IV. gladium (ita vulgò passim nominabant) damnârunt ante alios iniquissimi hæretici, contra quos confectio prohibitorum librorum catalogò Sacræ inquisitionis tribunal firmavit. Hujus omnium primus Præses extitit Michael Gislerius Alexandria Cardinalis futurus Pontifex Pius V. Ut Hispanos Neapolitano regno procul arceret, bellum unâ cum Gallorum Rege Henrico II. contra Philippum II. Hispaniæ Regem dum gessit, ab eodem unâ cum belli socio Rege Gallorû victus, à victore faciliè veniam ac pacem impetravit. Carolo V. Imperii coronam in fratrem Ferdinandum transferenti, atq; D. Justi eremum in Hispania petenti acriter restitit, tumultuosissimorum temporum causatus ærumnas, & tum Ecclesiæ, tum Imperii Romani difficultates maximas. Cæterùm suos inter domesticos tres suorum nepotum aluit, quorum operâ usus est in negotiis passim omnibus, sed parùm ad vota sua: iidem enim avaritiâ suâ impulsî populum Romanum nimis oneribus gravabant duplicatis custodiis accusatores quosvis arcetes, ne causa sua iniquissima deferretur ad Pontificem. Contra nepotes itaque Pauli strenuè certavit hujus pariter nepotis



ptis æquissima, quæ tentatis frustra remediis permultis litteras tandem dedit famulo Pontificio, ut easdem supra Pontificis librum quotidianis precibus destinatum poneret. Litteræ hæ erant indices totius culpæ à nepotibus commissæ, quæ postquam rigoroso examini fuerat subjecta, latè quamprimùm sententiâ tribus nepotibus cum univèrsa familia exilium attulit, frustra rogantibus mitiorem pœnam Viris Principibus. Sancivit dein etiam, ut hebdomadibus singulis novemdecim Cardinalibus unà cum minoribus iudicibus sorditorum quorumvis querelas exciperent, ut nemini contra Pontificiam Sedem relinqueretur conquerendi locus. Hac potissimum ratione sedatis in aula turbis ita pronuntiare auditus fuit Paulus: *nunc incipit primus annus Pontificatus nostri.* Vix tamen inchoatus est annus hic primus, mox priora mala excepit tristis malorum nuntius rursum ex Anglia allatus, qui ex Anglorum regno quosvis Romanæ Sedi addictos jam expulsos esse nuntiabat. A tot tantisque igitur curis securo ut mori liceret, optavit enixè quietem & mortem beatissimam, quam excepit hisce vocibus: *letatus sum in his, quæ dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus.* Annos vixit 83, sedit 4. mortuus est 1559. Cùm in mortui cadaver sævire non liceret facinorosis hominibus, Pauli statua è Pario marmore excisa, per Urbem triduo toto fuit raptata; caput etiam à trunco præcisum croceò Hebræi pileò contexerunt, novò crimine novas pœnas deposcente.

## CCXXV. Pius IV. Mediolanensis.

**G**ENERE Mediceus Joannes Angelus nobilissimos Mediolani parentes fortitus, cùm disciplinis ab ineunte ætate optimis imbui coepisset, Papiam ac Bononiam delatus absolutis Philosophiæ ac Jurisprudentiæ studiis Doctoratus insignibus fuit condecoratus. In patriam inde reversus Jurisperitis plurimum convixit. Romam an. ætatis suæ 28. profectus, sed & Mediolanum brevi reversus, post varia rerum discrimina Romam repetiit, ubi à Clemente VII. inter Protonotarios, quos *Participantes* vocant, numeratus est. A Paulo III. quem adhuc Cardinalem Angelus devincire sibi apprimè noverat, Archiepiscopus Ragusinus simulque Cardinalis creatus, temporis successu summa cum laude Asculanis, Tiphernatibus, Fanensibus, Anconitanis & Parmensibus præfuit. Arbitrum suum laudârunt etiam Bononiæ ac Ferrariæ cives, quorum



rum gravissimas lites diremit. Ter Ecclesiastici exercitus Quæstor constitutus bis in Pannoniam, & semel in Germaniam contra Lutheranos cum Carolo Imperatore advenit. Ardente dein per Italiam belli face variis Legationibus perfunctus Romæ sub Julio III. Paulo IV. senatoriis muneribus & litteratorum Virorum consortiis operam navavit, propter raram mansuetudinem, & in pauperes munificentiam nemini non gratissimus. Paulo denique IV. è vivis erepto coelestis, ut opinio est, columbæ auguriò Pontifex præsignatus, post diuturnam quatuor mensium moram ac Electorum discordiam 42. Cardinalium suffragiis Supremum Ecclesiæ Caput est datus. Tres Pio IV. dies felicissimos gnavi rerum observatores notârunt, primam scilicet Christo à mortuis resurgenti, qua ipse natus; alteram Christo nascenti, qua Pontifex electus; tertiam Christo tribus Magis apparenti sacratissimam, qua coronatus est Pius Pontifex. Ante novi Pontificis electionem duo summi momenti capita Pontifici creando observanda proposita fuere; alterum abdicationem Caroli V. Imperatoris, alterum Concilii Tridentini interruptionem spectabat. Utrumque igitur Pius Pontificatus sui initio expediverat. Imperatoris quippe abdicationem ratam habebat à Paulo IV. hic maximè diversus; Concilii item progressum urgebat, obices quosvis removens. Tum verò orante populo Romano nepotum Pauli IV. causam examini denuo subjectam severâ admodum sententiâ terminavit; Carolus enim Caraffa Cardinalis in arce S. Angeli carnificis manu est jugulatus; Joannes verò Montorii Comes, Dux Palliani frater Caroli cum Allifano Comite, & Leonardo Cardineo propinquis suis in publico carcere securi sunt percussi. Reliquis hujus culpæ sibi consciis, minus tamen reis, mitior poena fuit injuncta. Graviora crimina, de quibus ad iudices delati, testibusque convicium fuerant, hæc ferè memorantur fuisse, primò, quòd Pontificem Paulum IV. falsis nuntiis & consiliis deceptum ad bellum maximè Neapolitanum incendissent. Secundò, quòd viros insignes contra jus fasque vexassent. Tertio, quòd cædes privatim ac publice commisissent. Quarto, quòd litteras efformassent, quibus perniciosum Reipublicæ bellum inter Pontificem, Galliæ & Hispaniæ Reges conflatum esset &c. Edito hoc ad terrorem multorum in aula præsertim Pontificia exemplo nepotes ipse suos ad sese evocatos dignitatibus tamen variis ac honoribus excepit; inter eos fuere Carolus Boromæus, & Marcus Altempsius à Pio IV. creati Cardinales. Enituit utriusque & autoritas & virtus



virtus eximia in Concilio Tridentino, quod post elapsum biennii spatium adoptatum finem hic Pontifex perduxit, postquam per annos 18. variis obstaculis non raro interruptum perduravit. Sermones autem & colloquia eodem in Concilio fuerunt per viginti quinque sessiones de omnibus Fidei Romanæ Dogmatibus. 2. De novatoribus in Germania maxime invalescentibus. 3. De reformatione Sacerdotum. 4. De Sacramento Pœnitentiæ & Eucharistiæ &c. Finito Concilio Romam novis exornare ædificiis cœpit Pontifex; eum in finem cum nimis tributis videretur premere populum, conjuratio à multis vel nimium gravatis, vel perduellibus veriùs facta est, quorum auctor versipellis ab Angelo se monitum esse spargebat, ut Pium interficeret haud sanè piè. Inter hæc nuntiatum est Pontifici an. 1564. octavo Kalendas Augusti, Ferdinandum I. Caroli V. fratrem Imperatorem fatis concessisse, de quo Cæsare in Cardinalium confessu hæc ferè verba fecisse ajunt brevè etiam moriturum Pontificem: *Ferdinandus omnibus optimi Imperatoris editis signis summa lenitate, nullo animi angore, sacramentis morientium ritè expiatus & munitus, quasi agnus innocens in meliorem vitam demigravit.* Secutus Ferdinandum post anni unius decursum Pius IV. Societatem JESU ad Japones usque penetrantem summo operè laudavit, cui proin Romæ ampliorem sedem concessurus Collegii Romani author fuit. Non ita pridem ante obitum persuasit Cardinalibus, ut rhedis molliori scœminarum sexui relicis viatores ipsi equos conscenderent; nobiles item ante alios duellò abstinerent, illustrem sanguinem ad nobiles longè pugnas conservaturi. Luctatus est ipse demum Pontifex cum morte, luctam constanter spectante D. Carolo Boromæo, è cujus manibus DEUM Eucharisticum, ex ore verò assistentis pia admodum ac sacra excepit verba, hasce denique inter voces extinctus: *nunc dimittis servum tuum, Domine, secundum verbum tuum in pace.* Mortuus est an. 1565. ætat. 66. Pont. 5. Pium IV. diutiùs vivere cum multis optabant Equites Melitenses, qui contra Mustapham Turcarum tyrannum insulam Melitam constantissimè propugnabant auxiliis à Pio IV. missis constanter animati.

## CCXXVI. D. Pius V. Mediolanensis.

**E**X antiqua & nobili Gisleriorum familia olim Bononiæ Senatoria natus annò 1504. die 17. Januarii, nomen Antonii, Michaëlis verò ætatis



ætatis anno decimo quarto accepit, dum in sacram D. Dominici familiam tyro adscriptus fuit. Quantis passibus ad viam perfectionis à prima adolescentia sua contenderit, atque in eadem crescente ætate profecerit, elegante oratione explanavit M. Antonius Muretus Orator clarissimus. Absoluto tyrociniis curriculo Philosophiæ ac Theologiæ studiis eo profectu operam navavit, ut variis in scholis & sacris ædibus nunc discipulis prælegerit, nunc ad confertissimum auditorem verba fecerit, verni præsertim jejunii tempore ubique fructu sanè maximo. Inquisitoris dein munus obiens plurimos ab hæresi immunes conservavit. A Paulo Nepefinus ac Sutrinus Episcopus creatus *Boni Pastoris* nomen implevit. Eapropter ab eodem Pontifice sacrâ purpurâ donatus. Suadente Pio IV. ad Ecclesiam montis Regalis transiens diœcesin eam perlustrando plurimos abusus sustulit: Romam vero deinde reversus inter negotia plurima eaque gravissima, dum juxta æquitatis normam, & Apostolicæ libertatis regulam peregit omnia, omne tulit punctum. Post Pii IV. obitum auctoribus Alexandro Farnesio, Carolo Boromæo, ac Sirico Altempsio Cardinalibus unanimi quinquaginta duorum Electorum Pontificiorum calculo electus Pontifex divino potius, quàm humano nutu ad tantum munus se vocari luculenter advertit, dum inter preces ardentissimas DEUM rogavit, ut non nisi dignissimum in Ecclesiæ Caput eligi permetteret. Pii V. nomen assumpsit Pontifex, ut memor sui nominis haud immemor fieret sui muneris, quod amicorum precibus denique non sine piis lacrymis admisit, exorta subito inter bonos summâ lætitiâ, inter malos æquali tristitiâ; quem iniquissimorum mortalium mœrorem cum Pius intellexisset, dixisse fertur: *confidimus DEO, nos divina ejus ope ita Pontificatum administraturos, ut majorem populus Romanus ex obitu nostro mœrorem, quàm ex nostra exaltatione metum perceperit.* Vaticinio simile hoc dictum fuisse eventus demonstravit. In D. Petri Sede collocatus Pius impiorum quorumvis vitia variis edictis proscripsit, Episcoporum & minorum in Ecclesia Pastorum maximè detestatus scandala. Judiciorum item summam postulavit æquitatem; eam ob rem nepotum Pauli IV. causam pluribus tertio examinandam proposuit; tertioque judicatam priorum judicum severam nimiam sententiam damnavit; Caraffarum idcirco familiæ patrocinatorum, morte punitorum funeribus sacrum, eumque publicum honorem exhiberi jussit scutis eorum gentilitiis palam productis; Syndicum verò ejusdem causæ examinatore principem ac criminis judicem in furcâ agi præcepit.



Virginei adhæc candoris & conjugalis pudicitiaæ æstimator eximius meretricias mulierculas singulari mandato ab Urbe, imò Pontificia ditione tota expulit; nec non Hebræorum arctiores limites sedulò custodiri severè præcepit, novo diplomate firmans editam à Paulo IV. ea de re constitutionem. Tres tamen urbes in ditione Ecclesiæ reliquas Judæis inquilinis concessit, Romam nimirum, Avenionem & Anconam, quarum incolas per sæpè fuit hortatus, ut ipsi ad Christum conversi Hebræis eandem conversionem persuaderent. Rarò igitur exemplò multos ipse conversurus, Eliam quemdam inter Judæos celeberrimum cum ritè credere docuisset, atque inter Gisleriorum gentem adoptâisset, Eliæ conversio Hebræis reliquis adè non displicuit, ut præter ejusdem Eliæ universam familiam eodem anno trecenti Hebræorum sacrâ baptismatis undâ fuerint lustrati. Ut Pii Pontificis Maximi in convertendis infidelibus ac hæreticis strenuè sequerentur exempla Religiosorum Ordines omnes, hos peculiari ratione animavit ac fovit, eorundem alios ipse vel reformans, vel erigens, vel certè promovens. Per familiariter itaque præter alios Religiosorum Statuum Præsides usus fuerat D. Francisco Borgia, quo rogante geminas Cardinalium Congregationes instituit, quarum altera *heresium extirpandarum*, altera *Fidei propaganda* rationes pertractaret. Quanto animi ardore Orthodoxam Fidem conservare ac promovere studuerit, inter viros Principes experta etiam fuit Joanna Navarra Regina, cui Pontifex constanter instabat primò quidem precibus, dein verò hisce minis; nisi Calviniana dogmata toto regno suo proscriberet, fore, ut ad regni ejusdem partem occupandam Hispaniæ Rex quamprimùm invitaretur. Ob Galliam itaque ab omni nequiori doctrina immunem conservandam, & Turcas procul Europæ finibus propulsandos ingentem auri argentique summam expendit. Tantis expensis suis respondit fructus; missis enim à Pontifice in Franciam Duce Sfortia sex peditum ac equitum ferè duobus millibus, iisque cum Gallorum exercitu conjunctis Carolus IX. Rex victoriam longè maximam de Hugonotis retulit, eorum Duce Condæo unâ cum multis millibus cæso. Præter alia ad gerenda contra Mahumetanos bella classis à Pontifice & Hispanis ac confœderatis Venetis erat instructa, cui cum suprema potestate præfuit Joannes Austriacus, qui post quatuor horarum gravissimum certamen tantam prope Echinadas insulas reportavit victoriam, ut vix similem de Turcis relatam majorum nostrum annales memorent. Vidit eminens &  
lon-



longissimè distans Deo monstrante victoriam hanc Pius pro pugnantibus ad Superos Moysis instar manus extendens; eam proin victoriam cum universo Christianorum exercitu gratus adscripsit post Deum Magnæ Virgini, in cuius honorem diem festum instituit, *Maria de Victoria* appellatum. Sex menses post ultimam hanc victoriam abierant, dum abiit etiam ad victrices Coelites Pius an. 1572. morte sanctissima extinctus, postquam quadraginta dies solidos cum morbis conflictatus fuit, inter acerbissimos dolores has crebrò voces ingeminans; *Domine, auge dolores, dummodò augeas & patientiam.* Pium hunc vivum Pontificem omnes boni, mortuum verò vel ipsius vaticiniò convicci multis elogiis ornârunt etiam improbi. Inter Scriptores vix quemquam invenies, qui non in copiosas Pii V. laudes excurrerit; Victorellus quippe authorum classem numerosam exhibet, quæ tota est in dilaudando Pio Pontifice. Et quis sit demum, qui talem tantumq; Pontificem laudibus ad coelos usque non extollat? Dei enim Divorumq; gloriam maximam constantissimè ob oculos habuit, dum in rebus omnibus non suum, sed Divini Numinis honorem verbis & factis immarcessibili corona dignissimis nunquam non quæsit. Inter eadem facta sibi locum jure vindicat, quòd disceptationes de Immaculata Deiparæ Virginis Conceptione inutiles prohibuerit; D. Thomam Aquinatem inter Ecclesiæ Doctores numerârunt; offensas passim ac injurias gravissimas sibi ab inimicis illatas promptissimè remisit; duos facillè aureorum milliones in pauperes erogârunt; Maximiliano II. Cæsari in Hungaria adversus Turcas bella gerenti nonnongenta aureorum millia miserit; centum insuper millia in annos singulos durante eo bello pollicitus fuerit, & quoad per vitam licuit, promissis steterit, etsi post obitum Pii V. ultra decies centena aureorum millia in arario Pontificio inventæ fuerint; & clarissimis denique in vita & morte miraculis fulserit. Tantis igitur signis ac benefactis id consecutus est, ut à Clemente XI. Pontifice Maximo in Divorum Pontificum numerum an. 1712. fuerit relatus Pius V. Pontifex totius Ecclesiæ veneratione longè dignissimus.

## CCXXVII. Gregorius XIII. Bononiensis.

**H**UGO Boncompagnus primo nomine nuncupatus nobiles Bononiæ natales nactus est an. 1502. indole perquam amabili, simulque ad artes & scientias peridonea à DEO donatus, emensò man-



suetiori litterarum studio totum utriusque Juris se prudentiæ impendit. Diligentiam Hugonis longè superavit ejusdem profectus; etsi enim juvenis admodum, Juris tamen interpretes in Bononiensi Athenæo constitutus, inter auditores sanguine, virtute ac dignitate præstantissimos, Cardinales etiam numeravit. Ab ore tanti interpretis profectò pendebant Alexander Farnesius, Christophorus Madrutius, Otto Truchsessius, Reginaldus Polus, & Carolus Boromæus, omnes sacrâ purpurâ insigniti Præfules. Exquisita igitur doctrina sua ac virtute, sed simul tantorum quondam spectatorum & auditorum favore ad excelsas in Curia Romana dignitates evectus Legationibus, infulis ac demum obtentâ purpurâ ita inclaruit, ut Pio V. mortuo quinquaginta duorum Cardinalium calculis altero mox ab incepta electione die Successor fuerit datus Gregorii XIII. nomine clarissimus, gratulante sibi orbe Christiano universo tantum Pontificem; fuere enim cum Imperatore Maximiliano II. Galliæ, Hispaniæ, quin & Ægypti & Æthiopiæ, aliorumque regnorum Reges, ac per Europam præsertim plurimum summò locò Viri, qui missis Legatis Pontificem Gregorium fixis pedibus venerati sunt, suum gaudium ob prosperam electionem palam testati. Horum Regum ac Principum tam multos mutuo amicitiae foedere contra Turcarum præcipuè impetus missis ipse vicissim Oratoribus conjunxit, ut eorundem sat amplum referant catalogum Historici. Unus ex universis, ut prætendebat, civili præpeditus bello, ut iniret etiam commune hoc foedus, nulla ratione permoveri potuit; quæ res Turcarum potentiam multum profuit, & Pontificis animum mirè afflixit. Cæsare ac Regibus Catholicis contra armatos Ecclesiæ hostes Mahumetas potissimum pugnantibus, Gregorius Episcoporum omnium Dux Supremus sacra arma contra Romanæ Ecclesiæ hostes convertit, quos solidâ doctrinâ & virtute potiùs, quàm armatis ferrò manibus expugnari docuit; hinc viginti tria seminaria erudiendæ juventuti peridonea per diversas Europæ partes erexit, in quæ vicies centena aureorum millia insumpsit. Ex horum numero sex sola Roma numerat; nimirum Romanum, Germanicum, Britannicum, Neophytorum, Græcorum, & Maronitarum, quæ Patrum Societatis JESU curæ ac fidei, ad obicem hæresi ponendum, subjecit. Similem ob finem per totam Italiam disposuit ac collocavit septem Antistites; extra Italiam verò misit in Dalmatiam Augustinum Valerium; in Alpes Rhetiæ atque Helveriae Carolum Boromæum; in Germaniam, Poloniam

atque



atque Hispaniam permultos Pontificios Nuntios, ut optimorum pastorum instar ab ovibus hædos hæreticos segregarent. Haud multum diversa ratione Lusitaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Sueciæ, Angliæ, Scotiæ ac Hyberniæ, imò orbi propemodum universo succurrit, quod inter alios testari potuere Augustæ ac Ratisbonæ congregati in Germania Proceres; horum enim conventui fortiter restitit, illorum verò multos in Sedis Apostolicæ officio continuit, Gebhardo Truchsessio Lutheranis adhærente, & eapropter è sede Coloniensis Ecclesiæ dejecto. Inter viros doctos magni æstimabat Historicos, sed fidei probitate duntaxat conspicuos: unde Michaëlem Medinam, ac Petrum Fontidonium animavit, ut Centuriatorum Magdeburgensium errores refellerent. Dum virtutum nunc singularum, nunc universarum studium pro viribus nemini non commendavit, castæ integritatis amorem omnibus constanter commendatissimum haberi voluit. Tantæ enim virtutis incensus ardore decies centena millia in solas cum paupertate luctantes Virgines & alios indigos expendit, ut vel in Virginum monasteriis, vel honestis matrimoniis collocatæ periculi expertes viverent. Pauca hæc sunt, si cum iis compararentur, quæ Roma vel sola vidit; ipsam enim variis templis, monasteriis, seminariis, oratoriis, palatiis, nosocomiis, horreis, pontibus, viis, carceribus supra quàm dici potest, auxit & exornavit. Per magnam igitur auri summam, cum gratitudinis causâ Romani cives Gregorio obtulissent, grates offerentibus rependit, aurum verò haudquam admisit, cum dicitur; *boni Principis esse, aurum dare, non accipere.* Et profectò aurum dedit, non accepit, à Romanis, dum vectigal iis ipse nullum imposuit, imposita verò multa sustulit. Inter alia penè innumera disposuit, ut in celebriores Canonorum coetus susciperentur minimum aliquot Theologiæ peritissimi; Parochorum autem redditus centum aureis minores esse vetuit. Cautum præterea esse voluit, ne Romanorum Rex eligeretur, nisi servato Majorum more & ordine, Calendarium etiam temporum injuriâ, aut veriùs Astronomorum incuriâ vitiatum, ipse emendatum reddidit, tandem ipsis etiam Romanorum hostibus probatum. Corpus, ut vocamus, Juris denique in lucem denuò edi curavit magna ex parte correctum. Plurima alia egit Gregorius XIII. per annos sui Pontificatûs ferè tredecim, quibus nulla corporis ægritudine à curis & laboribus perpetuis est impeditus; mortuus est denique annò ætatis suæ 84. Christi 1585. Pontifex famæ & vitæ immortalis.



## CCXXVIII. Sixtus V. Picenus Italus.

**P**ERETTUS de Montalto & Mariana de Camerino honestæ, sed & pauperis conditionis parentes Sixtum tum Felicem nomine anno 1521. sibi natum filium virtutis potiùs, quàm litterarum elementis imbuere parvulum studuerunt. Duodecimum agens annum inter D. Francisci alumnos, quos Conventuales dicimus, susceptus Felicis nomen retinuit passim à sociis *frater Felix* vocatus. Crescentibus annis scientiarum ac virtutum splendore clarissimus postquam supremam in sacra Theologia lauream fuit consecutus, eandem facultatem in Romano Lyceo Doctor publicè exposuit: transiens verò ex Theologica cathedra ad sacras in templis excedras ad confertissimum populum dicendo multas easq; præcipuas Italiæ urbes mirum in modum illustravit. Famâ itaque per Italiam ferè totam celeberrimus à Pio V. Vicarius Generalis sui Ordinis, tum verò Episcopus Agathensis, & Presbyter Cardinalis fuit creatus. Episcopis deinde compluribus, nec non Tridentinæ Synodo, librorum item prohibitorum ac Rituum Congregationibus Præses datus adeò clarum ingenii, eruditionis, prudentiæ, sapientiæ, zeli, integritatis, & planè virtutum omnium specimen præbuit, ut illato in tumultum Gregorio XIII. quadraginta duorum Cardinalium sententiis Pontifex Maximus fuerit promulgatus. Summa igitur in Sede confirmatus Sixtus V. continuò ad se convocari iussit variorum tribunalium Romæ iudices, quos præsentem ira allocutus esse fertur; *ditione nostra in maligno positâ non veni pacem mittere, sed gladium.* Nec dixit iactantiùs, quàm egit fortiùs; venit enim mittere gladium iustitiæ, qua sicariorum, grassatorum, perduellium ac otiosorum hominum cohortes Ecclesiastica ditione penitus exterminavit. Severæ iustitiæ patrocinatus præter morem suorum Antecessorum die coronationis suæ carceres aperiri vetuit; imò Pontificatus sui exordia non ignobilium quatuor virorum suppliciò notari voluit. Biduò exinde elapsò primæ Nobilitatis Spoletanum civem capite plecti mandavit, quòd strinxisset gladium contra iustitiæ ministrum; ubi etiam octo Cardinales pro reo supplices ne quidem in conspectum admisit. In adulteros pœnâ capitis latâ, contra Cardinalis Altempsii consanguineum de adulterio accusatum capitis sententiam pronuntiare iussit, permultis aliis adulteris æqualem pœnam subeuntibus. Fraudes ac dolos sumòperè detestatus fuit in quibus-



quibusvis officiis; unde Albani Syndicum, qui nepotem suum inter nau-  
ci ac flocci homines dolosè non numeraverat, frustra mitiora rogante Le-  
gato Hispano, in platea publica flagellatum dimisit. Prædonum, fici-  
riorum ac grassatorum demessa & ad palos affixa capita, cùm rogarent  
Conservatores Romani, ut permitteret eadem procul amoveri, ne tetrum  
diutiùs odorem ederent, id fieri renuens respondit: *se vobis malè olent ca-  
pita defunctorum, qui neminem offendunt, nobis certè pessimè olent virorum ca-  
pita, quæ violant libertatem gentium.* Ære alieno sponte gravatos magna-  
tes ad debitorum expunctionem celerem ea lege excitavit; præcepit nem-  
pe, ut creditores suarum rationum libros ad se quamprimùm deferri cu-  
rarent; velle enim Pontificem pro nobilibus & præpotentibus ipsum sa-  
tisfacere. Vix præceptum hoc urbi innotuit, eadem nocte viri nobiles ac  
divites ferè omnes sua exsolverunt debita, ne Sixtum creditorem nanci-  
scentur. Nec Pontificis hujus virtus intra Italiæ limites constitit; in or-  
bem enim universum prodiens aut solis instar probis affulsit, aut par fulguri  
improbos percelluit. Japonum namque Oratores, qui sub vitæ exitum  
Gregorii XIII. in urbem advenerant, regiis muneribus ornatos in Japo-  
niam remisit; Navarra Regem verò Henricum Borbonium & Condæum  
Principem, quòd Hugonotis apertè contra Catholicos faverent, anathe-  
mate percussit. Oratorem adhæc Regis Gallia, quòd Rex Nuntium Pon-  
tificium à Sixto V. missum non reciperet, Urbe tota, quin & ditione Ec-  
clesiastica excedere jussit. Defuncto Stephano Bathorio Poloniae Rege,  
cùm Poloni excitata seditione Maximilianum Austriae Archiducem Polo-  
norum sceptri avidum cepissent, missò quamprimùm Hypolito Cardina-  
le Aldobrandino Legato de Latere, libertatem Maximiliano & regno  
pacem æquissimis conditionibus conciliavit. Ita dum præfuit, plurimum  
profuit Ecclesiæ universæ præsertim verò Romæ, quam monumentis, ædi-  
ficiis nobilissimis, viis & aquæ ducibus instaurare & exornare visus est. In-  
ter ædificia locum ac nomen obtinere domus novæ, quas pro ducen-  
tis Helvetis ad Pontificis custodiam excubantibus extruxit. Pro diver-  
sitate etiam causarum ac negotiorum quindecim diversas Congregationes  
constituit, ita tamen, ut majores momenti causas ad supremum referrent  
judicem. Decreto insuper sancivit, ne plures quàm septuaginta  
simul Cardinales toto in Collegio numerarentur. Tandem S. Scri-  
pturæ Codices juxta veriora ac vetustiora Hebræorum Græcorumque ex-



emplaria emendatos in lucem edidit similem honorem exhibens septuaginta duorum Interpretum libris. Etsi verò ingentes sumptus fecerit per quinque sui Pontificatus annos Sixtus V. post ejusdem tamen obitum septem aureorum milliones in arario Pontificio fuerunt inventi. Non omissenda hic veniunt Divorum festa à Sixto V. instituta, inter quæ primam mentionem meretur Gloriosissimæ Virginis Præsentatio; cui accesserunt dies Divi Francisco de Paula, Antonio de Padua, Januario Episcopo & Sociis Martyribus, Nicolao Tolentinati, Petro Martyri, Placido, Eutychio & Victorino Flavixq; forori atque Bonaventuræ sacra, quem postremum inter Ecclesiæ Doctores numeravit. Horum igitur Divorum, ut par est credere, favore ac patrocinio inter Cœlites receptus fuit an. 1590, etsi Scriptores non Pontificii ad inferos usque detrusum esse memorent.

### CCXXIX. Urbanus VII. Romanus.

**I**OANNES Baptista Castaneus ex Patritiorum Genuensium nobili ac pervetusto stemmate oriundus primam aspexit lucem an. 1521. Nobilium more à pueritia sua educatus duorum Cardinalium avunculorum suorum, Dominici scilicet Jacobatii & Hieronymi Veralli, amore ac favore vel inter Romanos Nobiles eminebat. Româ Patavium ac Bononiam translatus Jurisperitiâ aliisque sublimioribus disciplinis nobiles doctores exornavit Cardinalis dein Veralli adjutoriô promotus in Consistorio Advocati munere perfunctus summoperè commendari ac promoveri fuit meritus; inter eos enim tunc numeratus est, qui majoris momenti causas Pontifici referunt. Julio III. Pontifici maximè probatus eodem jubente in Galliam abiit, Hieronymo Cardinali avunculo suo Legato Apostolico junctus socius. Hujus ipsius sui avunculi libera resignatione Rossanensis Ecclesiæ Metropolitanus constitutus, ac Tridentum vocatus in æstimatione Pauli IV. tantus fuit, ut Pontifex datis ad suos Legatos litteris monuerit, nihil sine Archiepiscopi Rossanensis consilio decernerent. Exinde Hugoni Boncompagno Cardinali, futuro tum Pontifici Gregorio XIII. dicto comes additus ad Philippum II. Hispaniæ Regem & Venetos venit; Hugonis proin prudentiæ ac industriæ magna ex parte adscribendum fuit foedus inter Pium V. Philippum Regem, & Venetorum Rempublicam initum, & foedus hoc secuta victoria Turcis mœstissima. Ex Hispania translatus ad Belgas inter ipsos & Hispaniæ Regem amicitiam restituit pacis Angelus



gelus vocatus. Maximi idcirco æstimatus à Pio V. Gregorio XIII. & Sixto V. Pontificibus, ut sibi supremo in officio succederet, vel ipsis fuit exoptatissimum: Sixtus certè jocò sat seriò Successorem suum his ferè verbis prædixit: *Romanis pyra fastidiunt; danda ergo ipsis pro pyris sunt castaneæ*, se ipsum per pyra, Urbanum verò VIII. per castaneas designans. Vaticinium hoc fuisse tempus ostendit, quo quinquaginta trium Cardinalium concordi sententia Joannes Romanus Præsul electus fuit, Urbani VII. nomine vocatus. Audito hoc novi Pontificis nomine, ingens in Urbe exortum gaudium faustissima quæque de explorata Castaneæ clementia & innata bonitate ominabatur. Verum breve hoc gaudium subito luctus longior occupavit; diebus enim duntaxat duobus supra decem Urbanus vixit Pontifex, haud coronatus in terris corona triplici, ut coronaretur in cælis corona multiplici, quam meritus est ob hoc etiam, quòd coronam Pontificiam sibi nunquam optarit, totus verò Pontificiorum Electorum Senatus ante alios ipsi conferendam esse judicavit ob virtutes permultas, easque verè Pontificias.

### CCXXX. Gregorius XIV. Mediolanensis.

**E**X secto genitricis suæ jam mortuæ utero agrè servatus prodiit in lucem Nicolaus Sfondratus totius orbis lucidissimum sydus. Pater nato filio superstes fuit Franciscus Sfondratus antiquâ profapiâ & Juris utriusque peritiâ vir clarissimus. Patris vestigia adolescens secutus Perusii ac Patavii severiorum studiorum emensus curriculum, Doctoris in utroque Jure lauream adeptus fuit; Mediolanum dein reversus, relicta senatoria dignitate, Clericorum more vitam instituit. In ea vivendi methodo, D. Caroli Boromæi doctrinâ & exemplis inflammatus, profecit plurimum doctrina ac exemplis virtutum & ipse jam celeberrimus, ob quas Cremonensis Ecclesiæ Antistes à Pio IV. confirmatus, & inde Tridentum translatus inter Concilii Præsides per triennii spatium sententiam dixit, Romam à Gregorio XIII. ad sacram purpuram vocatus, & varia munia in Romana Curia obire jussus, in omnibus ideam Præsulis optimi reliquit. Egenos ac pauperes præcipuè fovere ac erigere studuit, quos excipere hospitio, de via fessos epulis recreare, pecuniis palàm & clanculum datis solari, sub peregrino habitu ædes sacras & pauperum domos lustrare nullo stipatus famulatio solebat. Meruere hæc aliæque virtutum de-



cora triplicem sanè coronam, quam ex unanimi tandem Patrum consensu Gregorio jam XIV. Pontifici Maximo imposuit Andreas Archidux Austriacus S. R. E. Cardinalis & Episcopus Constantiensis. Coronatus Pontifex in omnes cœpit, aut veriùs perseveravit esse munificentissimus; Cardinalium enim quorundam indigentiaè donò liberalissimò subvenit; magnam auri summam adversùs Hugonottas in Gallia certantibus misit; adempta à Sixto V. Romanis civibus privilegia nonnulla restituit; duos Sfondratos sibi sanguine junctos sacrà purpurâ ornavit; Cardinalibus verò Regularibus, qui nigri coloris hætenus utebantur pileis, rubri coloris usum concessit. His potissimùm factis dum Pontificatum suum exornare cœpit, jam finiit 10. duntaxat mensium & totidem dierum Pontifex. Brevi moriturus ad sese vocavit Cardinalium Collegium, quos inter mortua jam voce rogavit, ut viventi adhuc sibi Successorem subst tuerent, ne ob dilatam longiùs electionem Pontificiam Ecclesia grave damnum, ut aliàs sæpè, pateretur. Voti tamen sui haud damnatus relictiis mortalium curis inter acerbissimos novem dierum dolores animam suam optimè curavit immortalis gloria dignissimam. Mortuus est an. 1591.

### CCXXXI. Innocentius IX. Bononiensis.

**I**OANNES Antonius Facchinettus ex parentibus divitiarum ac nobilitatis splendore clarissimis natus est, adolescens ingenium adeptus ad quamvis litteraturam maximè idoneum; humanioribus namque literis supra omnes eòtaneos suos instructus confectò severiorum studiorum cursu ex utroque jure lauream inter raras congratulantium voces & applausus fuit consecutus. Per varios deinde officiorum gradus ad excellentiora munera ascendens à Pio IV. Episcopus Neocastrensis creatus Tridentinae Synodo interfuit doctrinae singularis, zeli & religionis admiranda edens specimina. Soluta Tridenti Synodo Venetiis Apostolicus Legatus per sexennium commoratus, celebratissimum foedus auctore Pio V. Pontifice inter ipsum & Cæsarem, Hispania Regem & Venetos iniit, ex quo nobilissima ad Echinadas insulas victoria est consecuta. Venetiis à Gregorio XIII. Romam vocatus Patriarchæ Hierosolymitani nomine potius, quàm munere fungens Presbyter Cardinalis maximi momenti negotia in Purpuratorum Patrum Senatu summa cum laude perfecit. Propterea à Gregorio XIV. cujus viventis adhuc vices sæpe gesserat longè gratissimas, ut sibi in officio succederet, exoptatus est. Exquisitissima igitur Facchi-



Facchinetti scientia, summa experientia & virtus maxima effecere, ut mortuo Gregorio XIV. unanimis collectorum Cardinalium Senatus, die comitorum statim altera, Pontificia dignitate iudicaret dignissimum Innocentium IX. deinceps appellatum. Andreas Archi-Dux Austriae, Episcopus Constantiae, S. R. E. Cardinalis & Archi-Diaconus imposuit coronam Innocentio Pontificiam, quem honorem predicere visa fuit ipse Gregorii XIV. mitra Pontificia, qua prostrato ad pedes Pontificis Facchinetto Cardinali ita delapsa fuit in caput, ut supra id erecta staret, velut de industria aut studio imposita. Coronatus Pontifex in Cardinalium Senatu coram exposuit, qua potissimum ratione Ecclesiae universae, praesertim vero Italiae, Galliae & Japoniae summa rerum necessitate laborantibus vellet quamprimum succurrere. Et hercle spes omnium erat maxima, Innocentium, si vires & vita paterentur, fuisse effecturum toti orbi salutaria. Sed optima quaeque sibi proponentem DEUS ita disposuit, ut fuerit mortuus altero jam regiminis mense an. 1591.

## CCXXXII. Clemens VIII. Florentinus.

**H**IPPOLYTO Aldobrandino octenni adhuc puero Pontifex Paulus IV. Pontificatum praedixisse fertur, praesente Aldobrandini parente Jurium Doctore clarissimo. Ferrariae ac Bononiae navata literis, praesertim vero Juri Pontificio ac Caesareo opera egregia in simillimum patri suo Doctorem evasit, qui eruditionis dein majoris & experientiae causa in Germaniam, Galliam ac Hispaniam pervenit. In Italiam rediens genitoris sui quondam munus in se suscipiens in Pontificio Consistorio, ut appellant, inter Advocatos eminuit. A Pio V. inter Rotae Romanae auditores cooptatus, cum Cardinale Alexandrino Legato Apostolico in Galliam, Hispaniam, ac Lusitaniam missus, gravissimorum negotiorum onus subiit. Romam denuo redux a Sixto V. Datarius primò, mox vero Presbyter Cardinalis, ac denique supremus Poenitentiarius creatus, Legatione in se suscepta pervenit in Poloniam, cui restituit pacem Austriacos inter ac Polonos turbatam, dum Maximilianum Austriae Archi-Ducem a Polonis captum in libertatem asseruit. Vice tertia è remotis regionibus Romam reversus, Innocentio IX. è vivis erepto, & ipse unanimi Patrum consensu Pontifex electus est, universorum quamprimum vota & preces exposcens, ut tantum munus, non nisi invito impositum, per Superum favores pos-



fet sustinere. Octavo ab electione sua die coronatus ac confirmatus Pontifex Clemens VIII, rara prorsus virtutum specimina palam ostendere perrexit; per novem enim continuos dies templa omnia Romæ visitavit; Saturnalia festa & Bacchi gaudia, Jubilæi præsertim tempore, prohibuit. In Sanctissimæ Trinitatis hospitio sua liberalitate erecto peregrinorum sæpè pedes altera tantum manu abluit, manu altera chiragræ doloribus impedita, quos fixo Pontificis manus osculo C, Philippus Neriùs penitus absterfisse perhibetur. Immiscuit sese peregrinis illis Calvinii affecta quidam curiositate sua primùm inductus, sed brevè tantæ demissionis exemplò commotus manus dedit Pontifici, dum hic manu pedes tenuit. Inter memoratas virtutes locum etiam sibi vendicat, quòd in hebdomada sancta majoris Pœnitentiarii tribunal occupans, multorum pœnitentium confessiones exceperit. E Reipublicæ Christianæ malorum numero latis legibus prohibito duellum & ipse severissimè prohibuit, adjectis pœnis gravissimis cuiusvis Legum prævaricatori sustinendis. Judæos sensim iterum in Italia invalescentes ditione Ecclesiæ universa eliminavit, Romam, Anconam & Avenionem exceptis. Singularem curam ac amorem exhibuit Religiosis Ordinibus, in quorum favorem ac reformationem complura decreta edidit. Cæteris Religiosos ipse suam præsentiam dignatus, saluberrima sæpè monita obviis quibusvis ac circa se in terram prostratis impertivit. Disputationes de auxiliis à PP. D. Dominici & Societatis JESU institutas ipse Præses audivit. Oratorii Romani Patres, ac inter hos Principem C. Baronium hortatus est, ut Ecclesiæ universæ Annales fidei calamo conscriberent; eum in finem jam cœptum opus Pontificia liberalitate prosequi, ac urgere nunquam destitit. Mirum dictum est, quàm multa tum sacra, tum profana ædificia erexit, aut restauravit. Omissis minoribus majora paucis commemoro. In Laterano sacellum à Gregorio XIII, instauratum longè augustius ipse reddidit. Sacrarium ad Canonicorum usus extructum picturis elegantissimis exornavit. Tria Seminaria in tribus D. Basilii monasteriis in Italia instituit. Collegium item Romæ celeberrimum fundavit à suo nomine Clémentinum dictum, cujus curam Clericis Regularibus Congregationis Somaeschæ commisit, ut juvenes Illyricos literarum ac virtutum elementis ritè informarent. Erectis adhuc diversis Capellaniis, ut appellare solent, & restauratis Oratoriis basilicam Vaticanam mirè exornavit, imò & ædes Vaticani Pontificias universas novo decore illustriores reddidit,

dans







manorum tum defectibus, tum excessibus, tum in Fide manifestis erroribus Lutherum vel Calvinum & horum propugnatores antiquissimam veræ Religionis lucem Germaniæ præsertim nostræ reparâsse, totius orbis emolumentô maximô, Urbis verò extremô exitiô. Audiamus igitur Romanorum Pontificum hoc Seculo annotata vitia; sed & residuæ Lutheri virtutes nostros non prætereant oculos, ut contraria juxta se posita magis elucescant. Hübnerus hunc in modum suam hujus Seculi Historiam profequitur:

- I. Julius II. fuit blasphemus adversus Deum, quòd Superi Gallis faverent contra exercitum Pontificium.
- II. Idem claves D. Petri abjecit in Tyberim, & arripuit gladium D. Pauli Pontifex militaris.
- III. Leo X. Sacra Biblia vocavit librum fabulis refertum.
- IV. Idem plùs æquò persecutus est Lutherum; hunc idcirco Fridericus Saxoniae Elector meritò defendendum suscepit.
- V. Hadrianus VI. palàm testatus est, nihil sibi in vita accidisse tristius, quàm quòd electus sit Pontifex.
- VI. Idem adhuc privatus Doctor reprobavit Indulgentias; sed creatus Pontifex eas probavit, ajens: *cùm essem parvulus, sapiebam ut parvulus &c.*
- VII. Clemens VII. fuit meretricis filius.
- VIII. Idem moriens dubitavit de tribus Fidei articulis, nimirum 1. an existat DEUS? 2. an animæ rationales sint immortales? 3. an sit futura vita post mortem altera?
- IX. Paulus III. habuit sororem Juliam, quæ fuit concubina Alexandri VI.
- X. Idem Paulus, dum erat Cardinalis, genuit filium naturalem Petrum Aloysium, qui factus fuit Princeps Ducatum trium, scilicet Parmensis, Piacensis & de Castro.
- XI. Julius III. simiarum suarum præfectum in Cardinalem elegit.
- XII. Marcellus II. palàm pronuntiavit, non apparere sibi, quomodo illi, qui supremum Pontificatûs fastigium tenerent, salutis suæ satis consulere possent.
- XIII. Sixtus V. ob pactum cum dæmone initum dicitur ab eodem occisus, si tamen non sit occisus ab Hispanis. *Ita Hübner.*

Respon-



Responsio I. ad I. & II. ac universim ad puncta Hübneri  
singula.

**A**D peccata singula in re Historica ab auctore suo identidem repetita repetendum est responsum, quo crebrius dictum fuerat, auctoritatem in Historia valere plurimum. Hübnerus verò dum agere cupit hujus Seculi XVI, Historiographum, tredecim peccata Pontificum Romanorum, ut ipse ait, admodum ponderosa objicit Romanæ Ecclesiæ; auctoritatis tamen omnis penitus oblitus est, ut fidem certiore impetraret sibi ab iis, qui inter sacra & profana, inter veritatem & fabulam, inter Scripturam sacram & narrationem Historicam non didicere distinguere; contentissimus, quòd laudatur à plebe, & Lutheri doctrinam vulgari populo persuasam custodiat, ac sartam tectam conseruet. Ut rem capias, Hübnerè & tuo altiùs imprimas cerebro, pingito supra tal u' am rasam, vel ari insculpta hæc tredecim capita publico in foro affigito, ut vulgus simul & rarior doctorum cohors legat. Vulgus quacunq; demum opinione prima à teneris annis hausta præoccupatum vel apertè & pervicaciter negabit, vel è contrario affirmabit credulitate levi convictum. Verùm non sic doctorum fors electa tam levis se cordis esse commonstrabit; quæret enim absque mora; quis auctor hujus tabulæ? qua ratione, aut quo auctorum pondere mercatur fidem? quo loco? quo tempore? quos inter auditores aut spectatores hæc dicta aut facta fuere? an cohærent, aut concordant sibi omnia? Applica sis hæc mea monita libellis tuis, Hübnerè! quare ex temetipso, qua ratione, aut qua auctoritate ostendam & firmabo, e. g. Julium II. Pontificem fuisse blasphemum? Perge sic descendere, & ex te quærere punctum II, III, IV. & sequentia ferè singula; ad quæ nisi ipse tibi quamprimùm respondere noveris, quis, quæso, te coeno tuo immersum collo tenus poterit extrahere? ego tui misertus ut adjuvarem te, & tabulam porrigerem naufrago, inspexi haud perfunctoriè, præter tuos tomulos, authores haud paucos tam Pontificum amicos quàm inimicos, volvendo tamen & lectitando deprehendere quicquam haud potui. Grande igitur naufragium te passum video; derelinquendum ergo te existimo, ne quicquam de tuo putore adhæreat mihi. Quinimo in altum modò provehar & meam firmabo ratem, ut te secuturis telis configam & submergam penitus.



## Responsio III. ad III.

**S**EDIT Leo X, Pontifex eodem tempore, quo Lutherus aliique in Germania nostra tumultuarii Doctores bellum indixerunt Romano Pontifici Leoni: arma sibi sumpserunt, aut cuderunt, veterum more fabrorum Heterodoxorum, ex sacris Bibliis. Non multis ab eodem tempore annis primum inventa fuit typographia; eò usque igitur non nisi Amanuensium calamis, aut modo alio non multum absimili, prodiit in lucem Scriptura sacra calami erroribus, & multò magis pravorum hominum tum Latinorum, tum Græcorum, tum Hebræorum &c. malitiâ plurimum sæpè corrupta, præsertim ubi versione vulgatæ accessere versiones aliæ variis linguis & idiomatis adaptatæ. Multiplicatis jam scribarum erroribus augmentum grande dederunt passim plurimi à novatoribus conducti typographi, in Europa præsertim: ante Lutherum enim & Calvinum extitere hæreses permultæ, quæ vel omnino Scripturam rejecerunt, vel non nisi eliminatis quibusdam libris fidem Scripturæ tribuendam esse censuerunt, vel genio suo & doctrinæ accommodarunt corruptis vel elisis textibus plurimis. Hæc aut similia Biblia si Leo Pontifex pronuntiavit esse fabulis referta, an malè pronuntiavit? Si jam ex Nigrino Scriptore Lutherano, nec inter suos noto, diversa à meis dictis quispiam afferat, is meminerit, eidem satisfactum esse jam pridem à Christophoro Ott. in Roma Gloriosa annot. 3. de Leone X, ubi ostendit, quàm nullo teste aut testimonio Nigrinus Leonem X, sacrorum Bibliorum violatorem nominaverit. Latet fors te, amice Lector, quo animo in sacra Biblia Lutherus fuerit? respondebo tibi hic paucis. Expunxit ex librorum catalogo

*Testamenti Veteris.*

I. Librum Tobie.

II. Judith.

III. Sapientie.

IV. Ecclesiastici.

V. Machabeorum.

VI. Baruch.

VII. Additamenta ad librum Estheris &amp; Danielis.

*Testamenti Novi.*

I. Epistolam D. Pauli ad Hebræos.

II. Epistolam D. Jacobi.

III. Epistolam D. Juda.

IV. Apocalypsin D. Joannis.

Scribit



Scribit adhuc C. Bellarminus lib. II. de Verbo Dei c. 11. in versione Novi Testamenti à Luthero scripta notari fere errores mille; atque adeò Lutheri versionem jure merito reprehendunt valde ipsimet Tigurini, Münsterus, Bucerus &c. Imò Lutherus ipse fatetur, se crebrius errasse, eò quòd Rabinorum glossis nimium crediderit. Vide hac de re P. Vitum Pichler Controvers. 2. art. 1 §. 3. Qualis denique mens, ac sensus fuerit Lutheri de sacris Bibliis, ostendet uberrime Joannes Pistorius in Anatomia Lutheri, Vetterus in *Casso* suo Lutæro, P. Pichler in appendice sui libri art. 2. ubi perhibet ex ipsius Lutheri scriptis, quàm perversas de sacra Scriptura dixerit sæpè sententias. Unam eamque sordidam valde ex multis protulisse hic sufficiat, qua edixit Lutherus: *exonerare ventrem flatibus, esse potentius remedium adversus diabolum, quàm se ipsa Scriptura sacra.* En! dictum tanto reformatore dignissimum! Atque ex his apparet, quàm non in sacram Scripturam peccaverit Leo X. Lutherus è contrario & verbis & factis S. Biblia penitus corruperit, profanarit, & sacrilegiis multis violarit.

#### Responsio IV. ad IV.

QUòd Leo X. Lutherum plus æquò persecutus fuerit, si æqui rerum æstimatores assererent, tunc Leoni succensere, & Lutheri sortem dolere jure quis deberet. Verùm cum has querelas vel Lutherus, vel Elector Saxoniae ab eodem seductus primò moverint, plus ipsis tribuendum haud est, quàm illis tribuere solemus, qui licet ab æquo judice condemnati, districtis tamen & calumniis omnia tribunalia passim profcindunt, nunquam magis rei, quàm cum innocentissimi haberi cupiunt. Non ignotum est passim plurimis, Lutherum an. 1517. invidiâ accensum palàm invehi coepisse in Patres Ordinis D. Dominici, præcipuè verò in Joannem Tezelium, qui Luthero ab Archiepiscopo Moguntino fuerat præhabitus, dum Jubilæi Indulgentiæ Christiano populo erant promulgandæ. Livorem hunc Lutheri secutæ sunt theses permultæ, quas in prælectionibus publicis contra eosdem Prædicatores, uti vocantur, mordacissimè propugnaverat. Iisdem thesibus cum immixtæ forent complures Orthodoxæ Fidei parùm conformes opiniones, nec tamen ab his propugnandis Lutherus remitteret; hinc Romam vocatus à Leone X. haud comparuit reus, Friderico Saxoniae Electore Moguntini Archiepiscopi hoste rem sic disponente, ut annò 1518. coram Cardinale Cajetano teneretur

Xx 2

respon-



respondere Lutherus jam non paratus amplius judicis sententiam audire, sed ipse judicem agere, cum nec Cajetani, nec aliorum prudentissimorum ac doctissimorum virorum monitis pareret. Inter eosdem fuit etiam Joannes Eckius Theologiae Doctor eximius, qui anno 1519. Lipsiae Lutherum in disputatione publica argumentis licet solidissimis haud permoverat, pertinaciam omnem constantiam, superbiam omnem rationem superante. Anno igitur 1520. Leo X. Pontifex Bullam editam Lutheri anathema dixit omnium fidelium communione privato. Tum vero Lutherus Wittenbergae in furias accessit, & Bullam & Codicem Juris Pontificium in foro publico infami tradidit rogo, haud obscure significans, quo supplicio ipse foret afficiendus. Haecenus & Leonis Pontificis & Lutheri per annos quatuor gesta percepimus: jam vero judicet aequus arbiter, num plus peccaverit Leo Pontifex severitate nimiam in Lutherum admittens, an Lutherus summam pertinaciam adversus suum Judicem committens. Audiamus etiam ipsius Lutheri de Leone X. sententiam ac mentem, quam datis Romae litteris exposuit. Inter alia, quae Christophorus Ott ex Lutheri libris deprompsit, haec Lector habeat: *interim tu Leo sicut agnus in medio luporum sedes, sicut Daniel in medio Leonum, & cum Ezechiele inter scorpiones habitas &c. hac affectione tactus dolui semper, optime Leo, his te Seculis Pontificem factum, qui melioribus dignus eras. Celebratior & augustior est in omni terrarum orbe vita tua inculpata fama, quam ut a quovis vel maximi nominis possit quavis arte impeteri.* Pars epistolae haec anno 1520. 6. Aprilis a Lutheri ad Pontificem data legitur. En igitur testimonium pro moderatione Leonis X. validissimum! Ostende sis jam simile argumentum, Hübneri, pro Lutheri contra Pontificem, & tum deliberare occipe, an Leoni, an Lutheri plus laudis tribuas. Absit vero, ut in comparationem tanti Pontificis veniat tantillus Lutherus!

#### Responsio V. ad V.

**C**UR praeter aliis Hadriani VI. egregie gestis aliud Lectorem non edocuerit Hübnerus, quam quod palam confessus fuerit, nihil sibi in vitam rursus accidisse, quam quod electus sit Pontifex, nec ego satis capio, nec alii ceperunt mecum: plerique enim maximorum etiam Imperatorum palam confessi sunt sibi optatius semper fuisse non imperare, quam imperare: coronis namque non tam honorari, quam onerari Imperatorum

ac



ac Regum capita; rem item periculis plenissimam esse Imperium, non tam ore, quàm opere testatus est cum viris ac foeminis summò loco natis Carolus V. Imperator gloriosissimus, qui, invitò Pontifice & universo prope modum Romanò Imperiò, valedixit coronis ac sceptris, solitudinem & salutem animæ curis publicis præhabens. Ita facti sunt sapientissimi quique per Europam Reges, quorum numerum abundè magnum leges in Hieronymo Plato authore in Hispania nato; unde iidem Reges nisi privato commodo antehabendum esse censuissent totius cujusdam regni emolumentum, exemplum à Carolo V. non sibi sumpsissent, sed eidem dedissent. Cæterum aliud non intendit significare Hadrianus, quàm difficultatem occurrere iis sanè maximam, quos tot gravissimis negotiis pares esse oporteret. Eo nimirum ferè modo paravit dicere, quo Servator mundi Christus dixit Matth. c. 7. v. 13. & 14. *intrate per angustam portam; quia lata porta & spatiosa via est, quæ ducit ad perditionem; & multi sunt, qui intrant per eam. Quàm angusta porta, & arcta via est, quæ ducit ad vitam; & pauci sunt, qui inveniunt eam!* Pari ratione Propheta Magnus vocanti respondit Deo: *a a ecce, Domine, nescio loqui.* Jerem. c. 1. Item Moyses Israelitarum Supremus Dux infirmitatem suam confessus est, dum dixit: *quis ego sum, ut vadam ad Pharaonem, & educam filios Israël de Ægypto?* Exod. c. 3. Non absimili modo Salomon nondum perversus Rex cor sapiens à Deo petiit, ut sciret regere copiosissimum populum; ait enim: *& nunc, Domine Deus, tu regnare fecisti servum tuum pro David patre meo; ego autem sum puer parvulus & ignorans ingressum & introitum meum; & servus tuus in medio est populi, quem elegisti, populi infiniti &c. dabis ergo servo tuo cor docile, ut populum tuum judicare possit & discernere inter bonum & malum &c.*

Responsio VI. ad VI.

**A**GEDUM, Hübner, prome authores, quorum pondere manifestum facias, vel apparenter minimùm probes, Hadrianum VI. ut Doctorem privatum reprobâsse Indulgentias, comprobâsse autem easdem, postquam creatus est Pontifex. Agedum, inquam, Hübner, prome authores: Historicum enim sine autoritate tanti valere noveris, quanti nuces valent absque nucleo, vagina sine gladio, caput sine cerebro. Verùm cum authorem hoc dignum nomine à te mihi promittere haud queam,



id doctus longâ experientiâ, nihilominus more meo agam tecum perbene nignè. Fingamus itaque mutâsse mentem suam Hadrianum; perinde id solum docebimur, crescere nimirum persapè cum annis & longâ experientiâ doctrinam, prudentiam, sapientiam &c. Edic enim, an non ipsum nos docuit æterna Sapientia, dum ait; *JESUS proficiebat sapientiâ, & ætate, & gratiâ apud DEUM & homines.* Luc. c. 2. v. 52. Verbum nempe incarnatum interiùs idem eodem manens modo exteriùs id prodebat, quod in hominibus reliquis & naturæ & gratiæ dona operari solent temporis successui & industriæ incrementum promittentia. Sin ita tibi displiceam, effare, an non & Lutherus, & Calvinus, & Zvinglius à te tanto pe re laudati aliud docuere ante suam *apostasiam* & intra, & post ipsam? ita fas mihi sit dicere; nam tu Reginam Sueciæ Christianam & Viros etiam Principes vocas *apostas*, quod deserto Luthero aut Calvino sacramentum dixerint Romanæ Ecclesiæ: quæro hic, an hic loquendi modus est juxta Protestantium pacta? Verùm ut video, nimium dedi tibi; Hadrianus enim abusus duntaxat odio habuit, qui oriri persapè solent nec ex Jubilæo, nec ex Indulgentiis aliis; sed male his utentium erroribus, quos facile admittere possunt & Clerici & Religiosi viri nonnulli promulgantes aliquando indulgentias populo, quarum exactam rationem si ipsos rogares, multos faceres. Est hæc & nostri temporis, & fuit hæc Hadriani VI. querela justissima, qua de re vide Pontificium Doctum A. R. D. Eggs & auctores alios.

#### Responsio VII. ad VII.

**Q**UOD Julianus Medices Clementis VII. parens in conjuratione Pæctiana Florentiæ in D. Reparata templo an. 1478, nefariè occisus fuerit diebus 30, antequam Julius filius seu Clemens in lucem prodiret, passim invenire est in Historicis; quod verò Julianus hunc ipsum suum filium ex meretrice vel concubinato illicito susceperit, præter Hübnerum nec ex Historicis non Pontificiis quisquam mihi id affirmavit, etsi plares lustraverim. Pro prole profectò legitima à patruo suo Pontifice Leone X. constanter habitus, educatus & tam literis quàm virtutibus instructus fuit, nemine natalium obscuritatem vel notante vel objiciente. Quod si tamen Hübnerus vigilantissimus rerum harum observator & Argus rem acutetigit, occipiat etiam virorum Luthero adherentium vel præconum suorum & natales



les & qualescunq; generationes perfunctoriè tantùm conscribere; prodi-  
bit certè incertorum liberorum ac nothorum catalogus aut liber vastissi-  
mus. Facile hìc foret non adeò remotas urbes & aulas Luthero addic-  
tas adducere, in quibus ferè quotidie indulgetur luxui ac luxuriæ, ut Veneri  
consecrentur primitiæ atque primiparæ. Sed non delectat his immorari  
longiùs, nec prodest ad singularia descendere more Hübneriano.

Responsio VIII. ad VIII. & IX.

**C**LEMENTEM VII. vel de Dei existentia, vel de immortalitate ani-  
mæ, vel de vita post mortem secutura unquam dubitâsse, nec autho-  
res Pontifici, nec quisvis alii non solùm non meminere; sed nec somniasse  
quidem præter Hübnerum videntur mihi. Perfacile igitur occurrit hìc re-  
sponsum Hübnero notandum; quisquis alterum de crimine postulat, nisi  
crimen probet, criminator, calumniator, detractor est omni meliori præ-  
sumptione minor. Hæc paucis dicta habeto de sorore Pauli III. Julia,

Responsio X. ad X.

**E**TSI veritas persæpè odium pariat, nullus tamen jure oderit Historiam,  
si veritati primitias consecret & perpetuò litet. Hac spe freti Histori-  
ci Latini, Itali, Germani, Galli &c. haudquaquam tergiversantur scribere,  
Paulum III. adhuc juvenem, & Pontifices per paucos relicto castitatis tra-  
mite in viam carnis deflexisse, nec non sceleribus aliis fuisse contamina-  
tos. Sed quid tum postea? an idcirco Romana ruit Ecclesia, ut purior Lu-  
thero aut Calvinò authore surgat Lutherana aut Calviniana &c. en tibi  
par nobile fratrum! en Reformatores Ecclesiæ in carne humana angelos,  
*qui nec nubunt, nec nubentur!* hi sanè ut insisterent D. Pauli & Apostolo-  
rum vestigiis integerrimis, probè legerunt, & scrupulosè observarunt ejus-  
dem D. Apostoli epistolam ad Corinthios datam, in qua c. 7. laus rara ac  
singularis tribuitur virginitati, & merces promittitur posthabito quovis  
connubio. Fatemur nos Paulum III. nondum Pontificem, sed adhuc ju-  
venem cum Davide juvene multùm à virgineo calle aut semita aberrasse,  
sed & poenitentiam egisse. Dedit poenas Deo David poenitens, dum natus  
& brevè mortuus est filius, & dum filii majores mutuis odiis se & patrem  
fuère persecuti. Dedit etiam poenas ultori Deo Paulus Pontifex, dum Pe-  
trus Aloysius ejusdem filius Genuensis seditionis author vel adjutor suo-  
rum



rum hostium manibus occubuit, & filium suum pari ferè fortunæ exponendum reliquit. Exclamavit erectis ad cœlum manibus crebrò David poenitens; *delicta iuventutis meae & ignorantias meas ne memineris, Domine &c.* A Davide mutuavit Paulus III. & voces & lacrymas, dum & ipse exclamavit copiosis perfusus lacrymis; *delicta iuventutis meae &c. Item si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero.* Maculas nimirum suas, ex unanimi Historicorum sententia, eluit & Cardinalis & Pontifex III, cinere & cilicio imitatus exemplum Davidis poenitentis; utinam sic fecisset & Lutherus, & Calvinus, & Zwinglius, & quisvis alii non Pontificii imò tunc Pontificii!

### Responsio XI. ad XI.

**N**unc à simiis, nunc à noctuis, nunc à vulpibus &c. mutuas sumit Hübnerus fabulas, ut Romanorum Pontificum famam & veritates obnubilet Historicas. Obscurus sanè & ignobilis prorsus Historicus, aut fabulator potiùs, qui nec verosimilia docet, nec suis delectat fabulis, nisi credulam fortè & indoctam plebem. Viris etenim doctis, qui placere queat, haud dispicio; iidem quippe inquirent continuo; *quis amabo ille simiarum praefectus fuit? quæ illi patria? unde domo? quod nomen gerit? inter Cardinales an Diaconus, an Presbyter, an Episcopus fuerat?* Ad tot quæsitæ altum silent omnes Historici: ipse Hübnerus obmutuit, dum aliud non scripsit, quàm hæc; *Julius III. simiarum suarum praefectum in Cardinalem elegit.* Apage igitur hanc absurdam Historiam aut ineptam fabulam!

### Responsio XII. ad XII.

**C**ùm & Marcellus II. & Hadrianus VI. eodem telo, sed admodum hebetè, ab Hübnero petantur, eodem proin & nobis telò, sed adversus auctorem suum jam fortissimò petendus est. Idem igitur sit responsum duodecimum, quod fuit hoc ordine quintum,

### Responsio XIII. ad XIII.

**V**Æ tibi Sixte V. penè omnium Romanorum Pontificum infelicissime; si cum dæmone tibi pacisci placuit, & hæc ob pacta ab eodem tuo amico



amico dæmone sis neci datus, quemadmodum Hübnerus refert. Verùm bono simus animo, dabitur hìc ab inferis redemptio. Optarem hìc ego, ut talia de se scripta legisset vivus etiamnum Pontifex Sixtus V. risisset sanè & copioso fortassis auro donasset Hübnerum, quòd certiora de Pontifice non scripisset Historicus omni authoritate, atque adeò fide destitutus penitus. Non ita mecum sentiunt multi: ajunt enim, Sixtus Pontifex linguam erui, & dextram præscindi juberet, quòd veriora non scripisset, sed figmenta plurima dixisset. Attendamus modò, an non certiora, aut veriora scribere de Luthero liceat. Recolenda autem hìc sunt dicta superiùs sæpè de Luthero, & quidem authorum testimoniis firmata, quibus pauca nunc addimus nunquam authoritate destituti maxima. Servabimus simul hunc ordinem eò ferè modò, quò Hübneri servavimus.

I. Lutherus familiariter usus est dæmone; ait enim ipse in colloquiis suis mensalibus fol. 259 *oro te, amice dæmon, ut Deum pro me obsecres.* Fol. 288. *Sancte dæmon, ora pro me.* Adhæc fassus est Lutherus ipse, *se plus unò salis modò comedisse cum stygio lavernione. Dæmonem sibi sæpius condormisise, quàm suam Catharinam.* Omitto alia honestis auribus gravia. Vide authores le Roy in Labyrintho c. 13. P. Vitum Pichler & alios, quorum ille citat librum Lutheri de missa angulari, & colloquia mensalia.

II. Lutherus fuit blasphemus in Deum & Sanctos; ait enim 1. *Christus est diabolus meus contra diabolum, ut sim filius Dei.* 2. *Non semel Domino Deo nostro aliquot egregios articulos porrexi & exhibui, eumque docere volui. Sed optimus ille ac bone frugis DEUS bellè mihi suum tergum obrerit.* 3. *Rogate pro Domino Deo nostro & ejus Evangelio, ut ipsè bene succedat.* Melanchton in vita Lutheri. 4. *Christus est maximus peccator in orbe terrarum non objectivè tantum, sed formaliter.* 5. *Nos sumus equè sancti ac sancta est Maria, & sancti alii licet maximi.* 6. *Si Mater Dei, Petrus & Paulus &c. hodie superessent in terris, meis (scil. Lutheri) pedibus sese subjicerent, & me suum Dominum honorarent.* Plures alias Lutheri blasphemias leges in Adamo Tanner, Laurentio Forero, Conrado Andrea, Joanne Pistorio, le Roy, P. Vito Pichler &c. quorum plerique fatentur, se lecturasse Lutheri etiam antiquioris editionis libros, quos ipsimet Lutherani librorum Lutheri collectores in lucem ediderunt, non negantes gravissimos errores sui Magistri, procul



- dubio Deo sic disponente, ut suis typis se ipsos confunderent, & testimonium dicerent contra semetipsos. Allati autem authores passim citantur libros Lutheri, scilicet Postillas, colloquiorum mensalium tomum I. & II. Wittenbergæ editos.
- III. Lutherus fuit Ordinis Religiosi desertor & votorum contemptor, Testis est orbis universus.
- IV. Lutherus fuit à Fide Romana (Hübneri utar terminò) apostata.
- V. Lutherus fuit concubiniarius sacrilegus, uti superius demonstratum fuit, & testes sunt Catharina de Bore monialis & liberi plures sacrilegi.
- VI. Lutherus fuit verbis obsecens valde, quem admodum ex ipsius Lutheri libris palam ostendunt citati authores omnes.
- VII. Lutherus fuit Bibliorum falsarius, teste C. Bellarmino superius citato, & plurimis authoribus aliis, imò teste Scriptura ipsa à Luthero corrupta.
- VIII. Lutherus fuit valde superbus. Ita probant dicta & facta copiosissima in Lutheri libris contenta. Lege citt. Authores.
- IX. Lutherus inter scelera usque ad mortem vivere perrexit. Ita Authores citt.
- X. Lutherus improvise morte extinctus est. Ita habent authores præter citt. passim multi. Addidèrè nonnulli, Lutherum extinctum ac sepultum fuisse *plaudente inferno universo*; cum omnes energumini eodem die solitè liberati fuerint molesti, eò quòd dæmones faterentur, sese debere Luthero parentare, & celebrare funebria. Talia quamvis ego non ausim affirmare, tamen ostendere conatus sum, quòd mihi non desint auctores passim multi, qui Lutherum & malè vixisse, & malè mortuum fuisse testantur. En tibi, Hübnerè, & tuam & meam Historiæ methodum! en tibi Pontifices, & Lutherum Pontificum hostem; tu laudas Lutherum & vituperas Pontifices; ego Pontifices Luthero haud injurià longissimè præfero; auctores enim mecum sunt plurimi, tecum saltem tuis in libellis expressus est nullus, & qui tecum esse possent, ipsi met testimonium contra se dicerent Luthero teste maximo. Fas est igitur, ut vel tutiorem viam mecum teneas, vel me errores meos edoceas, refutatis responsis meis ad te tuosque Historicos datis,



*Seculum decimum septimum.*

**CCXXXIII. Leo XI, Floren-  
tinus.**

**A**LXANDER Medices Florentiæ anno à nato Servatore 1535. ex Octaviano Mediceo & Francisca Salviata nobilissimis parentibus ortus, haustus in teneriori ætate cum doctrina virtutibus primò inter Equites D. Stephani militiam secutus est. Relicto dein Marte profano sacrum Christi vexillum amplexus brevè Pistoriensis Episcopus fuit consecratus. Paulo post Francisca Magni Hetruriæ Ducis in Aula Romana Orator, & mox Archiepiscopus Florentinus à Gregorio XIII. Purpuratorum Patrum numero adscriptus varia eaque excelsa munia sui commendatione maxima obivit: à Clemente enim VIII. gravissimis de rebus sibi à consiliis esse iussus, dum ad Gallos de latere Legatus abiit, Henrico Magno Regi ita se gratum præbuerat, ut is datis ad Pontificem regiis litteris gratias egerit, quòd Cardinalem Medicum summa probitate, prudentia, ac sapientia virum in Galliam Oratorem miserit. Pari ratione gratissimus venit Charlottæ Cathariæ Trimolliaæ fœminæ Condensium Principi, quam ejuratis Calvinii erroribus & sublato anathemate, Romanæ Ecclesiæ penitus restituit, eidem inspectante Rege & aula ferè univèrsa, SS. Eucharistiæ Sacramentum impertiens, postquam sacra exhomologesi animum ritè expiavit. Ex Gallia Romam rediens mortuo Clemente VIII. multorum votis expetitus, & sexaginta Electorum suffragiis Pontifex electus relicto Alexandri, nomen Leonis XI. sibi delegit, annum ætatis numerans jam 70. E Cardinalium numero laudavit tunc ipse Pontifex summopere Cardinalem Olivarium Gallum, quòd non privatum, sed



publicum beneficium petiisset, dum remissionem gravissimorum veſtigium enixè rogavit. Non ita laudavit Sacerdotem, qui Pontifici à confessionibus erat; rogantem enim ut pronepotem suummet Leo Pontifex sacrâ purpurâ ornaret, aulâ suâ Pontificiâ exesse jussit, tametsi in omnes adeò fuerit liberalis ac munificus, ut quidvis petentibus se nihil negaturum promiserit, si tamen petitio Deo placere nosceretur, aut conscientia regulis non repugnaret. Verùm dum inter promissa ac proposita non nisi optima Pontificatum suum auspiciatus est Leo XI, lethali correptus morbo die Pontificatus 25, extinguitur vix tum corona Pontificia coronatus in terris, mox corona altera donatus in cœlis.

### CCXXXIV. Paulus V. Romanus.

**C**AMILLUS Burgheſius Romæ in lucem prodiit, ex parentibus generis splendore & divitiarum abundantia præpotentibus natus. Genitor ejusdem in omnium Jurium notitia versatissimus, simulque in urbe famosissimus à pluribus summis Pontificibus, præsertim verò Paulo IV. consiliis est adhibitus. Patavii Camillus ductu & exemplo parentis maximè motus Jurisprudentiæ operam navans erga Magnam Virginem Matrem didicit adeò esse devotus, ut inter eximias virtutes Virgineum candorem constanter conservatum plurimorum judiciò secum in tumultum, imò in cœlum asportârit, nullius unquam gravioris noxæ sibi conscius. Inter varia Aulae & Curia Romanæ munia Gregorio XIII, XIV, & Clementi VIII, acceptissimus venit Legatus Pontificius ad Philippum II. Regem Catholicum. Romam ex Hispania redux à Clemente VIII, sacram purpuram in præmium optimè navatæ operæ recepit, ab eodem Clemente intra sacræ Inquisitionis Præsides numeratus an, 1600. ubi 50. lectissimi juvenes varios errores ac hæreses authore Burgheſio detestati sunt eodem Duce ac Doctore castimoniæ præmium æstimare docti. Mortuis deinde Clemente VIII, & mox Leone XI. nemo ferè extitit, qui Virgineo huic Cardinali Pontificios fasces vel precatus vel vaticinatus non fuit. Inter vates locum ac numerum vendicavit sibi aquila, cujus auguriò insigne gentilitium Cardinalis Burgheſii ita fuit efformatum atq; imutatum,



tum, ut p̄inde Pontificem designari Burgheſium tot affirmarint, quot volentem & infidentem in ſignibus Pontificiis aquilam ſpectarunt. Electus itaque Summus Pontifex Paulus V. ab horarum 40. comprecatione publica univerſis indicta Pontificatum ſuum auſpicatus eſt, Divinum Numen, cujus vices in terris gereret, propitium ſibi cupiens. Tum verò *decorem domus Dei diligens* magnò animò vaſtiſſimum opus moliri cœpit, dum Vaticano templo & cohærentibus Pontificum ædibus majus & auguſtius longè ſpatium adjiciens ornamentum novum ac incomparabile ſuperinduxit. Ædificiis magnificentiſſimis acceſſit Bibliotheca Vaticana & Archivium Apoſtolicum, quæ mirâ iconum artiſioſiſſimarum elegantia exornavit, & opportunitate maxima ampliavit. Simile beneficium exhibuit Liberianæ Eccleſiæ, in qua ſacellum ſuo de nomine Burgheſianum dictum in honorem Virginæ Matris à fundamentis extruxit, cui ibidem columnam marmoream ab Imperatore Veſpaſiano relictam dedicavit, dum ablatâ Cæſaris imagine ſupra verticem columnæ æneam eamq; aurò illuſam Regina Virginum effigiem poſuit. Pene innumera alia tum ſacra tum profana ædificia Paulum V. habuerunt authorem. Nec intra hos terminos conſtitit Pauli liberalitas; narrat enim Victorellus, ſe ex quæſtorum Pontificiorum confeſſione percepſiſſe, Pontificem hunc per ſexdecim ſui Pontificatus annos in ſolos pauperes quindecies centena aureorum millia minimum expendiſſe. Teſtati ſunt Scriptores alii, octingenta nummum aureorum millia in annonæ uberratem conſervandam à Paulo V. fuiſſe effuſa. Hanc in rem agricultores ſedulos novis privilegiis magis animavit, & pro agricultura propaganda leges perquam utiles ſtatuit. Civibus Romanis etiam aquarum penuriâ crebrò laborantibus ſolatium allaturus, per quindecim omnino milliaria undarum alveum in urbem direxit. Liberalitatem hanc majori identidem munificentia ſuperare ſtudit, dum nunc Romani populi, nunc exterorum & maximè patriis ſedibus pulſorum Anglorum, Scotorum, ac Hybernorum neceſſitatibus incredibili charitate ſubvenit. Deſperatis tamen penè Angliæ rebus, animum convertit ad alios Reges Principes in fide & mutua amicitia conſervandos, ut junctis viribus Turcarum maximè impetus retardarent. Quin ad Perſas, Indos, Sinas & Japones ſeſe extendit Pauli Pontificis zelus, quorum Legatos affectu verè paterno complexus eſt eâ ipſâ tempeſtate, qua perſecutio maxima inter Japones jam



graffari cœpit Hollandis novatoribus Romanam Ecclesiam confectis mendaciis prodentibus. Beneficia beneficiis auxit etiam, cum ipse subministrato auro atque argento complures Religiosos Ordines aut fundavit, aut instauravit. Inter priores venere triplicis aut quadruplicis fortis Deo sacratæ Virgines à Virgine D. Elisabetham visitante, à D. Ursula, aut aliunde derivato nomine in Ecclesia jam notissimæ. Ad Superos abiturus Divorum catalogum permultis auxit nominibus sacris; Divo enim Carolo Boromæo & Franciscæ Romanæ viduæ Duliaæ honores dedicavit. Ignatium verò Loyolam Societatis JESU Fundatorem, Franciscum Xaverium Indiarum Apostolum, Philippum Nerium Congregationis Oratorii Romani Institutorem, Theresiam Virginem Discalceatorum Carmelitarum Reformatricem, Ludovicum Beltramum è D. Dominici familia, Thomam Villanovam, Valentinum Archiepiscopum, Isidorum Agricolum Hispanum & Joachimum Senensem Beatorum numero adscripsit, similem ferè honorem compluribus aliis in cœlos receptis exhibens. Horum igitur in numerum post Sedis annum ferè 16. Christi 1621. si Paulum V. pervenisse asseramus, temeritatis notam haud incurremus: ita enim vita per annos 69. integerrima, & mors beatissima nos cogunt edicere, quam mortem hisce D. Pauli vocibus excepit venientem; *cupio dissolvi, & esse cum Christo, & vitam finiit.*

## CCXXXV. Gregorius XV. Bononiensis.

**G**REGORIUM Alexandrum quondam suum dixerunt Ludovisi Bononiæ Primates, ex quorum stemmate perantiquo ac nobilissimo ortus anno 1554. primæ ætatis annos in parentum aspectu Bononiæ transegit; Romam inde translatus, & Patrum Societatis JESU curæ ac vigilantia creditus in Germanico Collegio mansuetiores, in Romano autem severiores didicit litteras, in utroque virtutes arduas. Romam reversus in patriam in Academia Bononiensi tam sacrarum quam profanarum legum peritia apprimè imbutus & ex eadem laureâ insignitus Romam repetit, ubi trium successu temporis Pontificum æstimationem ac amorem sibi conciliare dextrè noverat Alexander literis & virtute magnus;



genus; à Gregorio namque XIII. princeps capitolii iudex nominatus haudquaquam inane futuri principatus praesagium accepit, dum accitus ad Pontificem intellexit, hocce genus officii primum fuisse gradum Gregorio XIII. ad supremum gradum nempe Pontificatus. A Clemente VIII. utriusque Signaturæ Referendarius, ut vocamus, constitutus, dein verò inter Rotæ Romanæ Patres adscriptus singulari ingenii perspicacia, summa morum integritate, ac præcipuè sincera agendi methodo omnibus se reddidit pretiosissimum. Dein à Paulo V. Bononiensi Ecclesiæ Archiepiscopus datus, & purpurâ ornatus & litteris, quas ad omnes Bononiæ status miserat, universorum amorem sibi summè devinxit. Litteris accessere vivæ virtutis exempla plurima, quibus omnibus in Bononiensi Ecclesia antecessoribus suis antecellere passim dicebatur. Defuncto Paulo V. quinquaginta duorum Cardinalium alii C. Bellarminum, alii C. Camporium in Pontificem eligendum dum ambiguis certarant calculis, supervenit subito C. Ludovicius, in quem, relicti Bellarmino & Camporio, nemine dissentiente aut tergiversante consensere omnes. Electus itaque jam non amplius Ludovicius Cardinalis, sed Gregorius XV. Pontifex à pœnitentiæ fructibus in Ecclesia universa metendis duxit initium, quem in finem Jubilæi beneficia orbi Orthodoxo universo quamprimum obtulit. Absq; mora etiam Ferdinando II. Imperatori auxiliares copias misit adversus hostes copiosissimos, inter quos Fridericus Palatinus, Bohemiæ sceptro perduellis, Cæsari factus, nimium quantum inhiaverat; verum à Maximiliano Cæsarei simulq; Bavarici exercitus Supremo Duce in Bohemia supra Album Montem victus, in Angliam vir uxorius cum conjuge sua, unde hæc venerat sponsa sanguine regia, profugit paucorum in hyeme mensium Rex; unde hyemalis Regis sibi nomen haud gloriosum comparaverat. Ea insignis victoria aliaq; Bavorum Ducum tum in Ecclesiam Romanam, tum in Romanum Imperium ingentia merita, facile Gregorium Pontificem & Ferdinandum Imperatorem permoverunt, ut, sublata alternationis lite, Maximilianum inter Imperii Septemviros numerarent eo pacto, ut pari jure deinceps succederent in Bavaria Duces filii & futuri nepotes. Non minus aliis Europæ regnis præfuit Solis instar affulgens omnibus; ut enim Vallis Tellinæ discordias in Galliam & Hispaniam usque proserpentes componeret, simul ut Hispaniæ Philippus II. Rex in seditiosos Batavos arma denuò converteret, Henricus verò Rex Galliarum IV, Hugonotarum reliquias penitus deleteret, summò labora-



laboravit studiò, Pari vigilantia prospexit Sabaudia ac Polonia regno; Sigismundo enim Polonorum Regi gravem auri summam misit, & belli socios attribuit, ut junctis viribus procul Polonia aliisque terris finitimis Turcarum copias arcerent; Sabaudia verò Ducem nunquam non hortatus fuit, ut Genevam novorum plurimorum nidum vel everteret, vel noxiis zizaniis purgaret correptis etiam armis, si opus foret. Quanta cura ac sollicitudine incubuerit ad extirpandos errores inter testes innumeros fuere alter Antonius de Dominis Dalmata Archiepiscopus quondam Spalatensis & Gregorii æqualis, alter Legatus Gallicus, uterque Calvinii hæresi haud parùm infectus; utrumque Gregorius Pontifex factus ad ovile Christi prosperè reduxit, postquam Legatus Gallicus Gregorio nondum Pontifici in Sabaudia commoranti porrecta etiam dextera spondit, se Calvinii placita esse derelicturum quamprimùm, cum intellexerit Alexandrum Ludovisium Supremum Romæ Præsulem fuisse creatum. Ut itaque sectæ identidem decrementum, Ecclesia verò Romana incrementum majus acciperent, Congregationem novam, quam *de Fide propaganda* nuncuparunt, instituit. Divorum honoribus augmentum quoque daturus in eorundem album inseruit Divorum Philippi Nerei, Isidori, Ignatii Loyolæ, Francisci Xaverii & Theresiæ nomina gloriosa. Bullam adhuc à multis desideratam denique edidit, qua Cardinalium novum Pontificem eligentium suffragia clam in arcam immitti præcepit libertati Electorum consulturus magis. Hæc aliaque multa intra duos Pontificatus annos & quinque menses Gregorius XV. præstitit Pontifex corpore parvus, animo maximus; mortuus anno 1623. cadaver Pontificium Vaticana Principis Apostolorum basilica temporariò primùm sepulchrò exceptum, dein verò in ædem Romani Collegii Societatis JESU translatum fuit, quam D. Ignatio Societatis Fundatori dedicandam Ludovicus C. Ludovisius Gregorii XV. nepos regis ferè sumptibus extruxit.

## CCXXXVI. Urbanus VIII. Florentinus.

**M**APHÆUS Barberinus ab Illustribus Florentiæ parentibus in lucem editus Antonio Barberino patre suo jam triennis parvulus orbatus fuit, A patruo igitur Francisco Barberino susceptus emen-



emenso variorum studiorum cursu Poëtarum lauro maximè insignis utriusque Juris lauream cum virtutum plurimarum corona sibi propriam fecit coronâ longè splendidiori ornandus brevè ; sepultò enim Gregoriò XV. Patres Pontificum Electores 50. numerò & 5. cum ob multitudinem Cardinalium, quos Pontificiâ Sede haud indignos censerent, in decimum octavum usque diem conventus suos protraxissent, ex dignioribus denique omnium dignissimus inventus est Cardinalis Barberinus ex eo tempore Urbanus vocari cupidus, ut qualis foret futurus erga Urbem, ex nomine Romanus intelligeret populus, Electionem Urbani VIII. potius favore Superùm, quàm studiis Electorum terminatam fuisse plerique censuerunt haud obscuris vaticiniis Comitia Cardinalium comitantibus commoti ; longè antea enim apes reliqua inter insignia sua gentilitia pingi aut sculpi præceperant Barberini, & tunc, cum de Pontifice eligendo ambigui hærent congregati Cardinales, ex Thuscia Barberini patria Romam usque examen apum advolavit fenestris, ubi Barberinus locum occupabat, constanter inhærens, donec deniq; Pontifex fuit promulgatus; indè verò tanquam re sua optimè gesta in auras abière. Urbanus verò apum auguriò partim lætus, partim anxius ac sibi plurimùm metuens ad em sacram petiit continuò, in qua ante Deum Evcharisticum prostratus enixissimè id unum rogavit, ut si Ecclesiæ minùs habilem præviderent providentissimi Superi, ne vivū redire locò istò permitterent. Vivus tamen ac salvus inde rediens pauperum catervas, viduas Romæ permultas, pupillos languentes atq; ære alienò oppressos misit copiosis pecuniis ac cibariis passim tota in urbe omnes recreavit, jam tum Urbani nominis mensuram adimplens. In Sede Pontificia ritè collocatus Constitutionem Pii V. de non alienandis Ecclesiæ bonis &c. confirmavit; Urbis verò statum Ecclesiasticum penitiùs inspecturus tum ipse per se, tum per inferiores Romæ Prælatos passim ædes sacras, Monasteria, Collegia, Xenodochia ac quorumvis pauperum domos publicas visitavit; quem in finem quadraginta horarum preces in præcipuis Romæ basilicis peragendas indixit summi momenti opus ab oratione auspiciatus. Eo tempore suis ab Ecclesiis Romæ aberant permulti Antistites; hos omnes ad se vocatos suas ad oves remisit pastores additis monitiùs severitate plenis, ne officio suo segnìus, quàm par esset, fungerentur. Verba Pontificis hæc erant; *ut nostræ conscientia consulamus, vos omnes monitos esse volumus, à cæteris Episcopis hac in*



parte non differre Cardinales Episcopos, isque non suffragari, quòd dicitur, Pontifex scit & tolerat; quia in nobis nulla est tolerantia, quæ regi Christi officii, nulla coniventia, quæ malum invehit. Cæterum ut in Urbem pergeret esse beneficentissimus, tum sacris tum profanis ædificiis ac ornamentis eandem decoravit: Vaticanum enim templum à Constantino Magno Imperatore jam Seculo post Christum natum quarto erectum, ac multorum Pontificum munificentissimâ serie in formam longè ampliorem immutatum ipse absolvit ac solenni ritu consecravit, sepulchrum etiam Apostolicum opere æreo ac auro superinducto decoravit. Ejusdem adhæc templi odeum, aras ac sacella statuis & vario opere ab arte commendato exornavit. Honorem similem exhibuit Servatoris nostri imagini D. Veronicæ sudario impressæ; novis item conditoriis inclusit sacræ Crucis partem haud exiguam; D. Andræ Apostoli caput & Longini lanceam. Augustiore non minùs formam dedit Constantini Magni Baptisterio, ut vocant. Nova Ecclesiæ decora additurus inter Divos honorari præcepit Andream Corsinum, Franciscum Borgiam, Catharinam Senensem, Elisabetham Lusitanæ Reginam; in Beatorum verò numerum adlegit Andream Avellinum & Fratrem Felicem, ac simul tres Japoniæ Martyres Paulum Joannem, & Jacobum. Jubilæum dum lapsò temporis termino celebravit, Leopoldum Austriæ Archiducem Ferdinandi III. Imperatoris fratrem germanum sacro primùm epulo, & dein convivio excepit. Inter Decreta permulta à se edita istud valorem habere perpetuum optavit, quo præceperat, ut quibusvis titulis aut nominibus omissis Cardinales S. R. E. Eminentissimi dicerentur ac Reverendissimi Constitutionem etiam Gregorii XV. de Electione Pontificis clam datis calculis instituenda robore perpetuo munivit. Ex choro in forum egressus Hadriani molem vulgò dictam, rejecto opere antiquo munimentis novis contra hostium insultus firmiorem reddidit. Porro ut Urbem omni ex parte tutiorem moitrus relinqueret, ingens armamentarium, quod sex millium militum legionibus facillè armandis sufficeret, instruxit. Simile beneficium ut ditioni Romanæ Ecclesiæ exhiberet, in agro Bononiensi arcem munitissimam, quam Urbanam appellârunt, ædificavit. Arces alias tum Arimini, tum Anconæ, tum Urbevetanæ, uti vocant, injuriâ temporum labefactatas ipse instauravit, ac de rebus omnibus necessariis instructas reliquit. Hæc, aliâque permulta ædificia Lectori dictabunt Oldoinus, & auctor recentior Palatius. Cæterum beator



beatior quàm reliqui Pontifices ferè univèrſi , fuit in hoc Urbanus VIII. quòd annis 21. quibus Pontifex imperabat, tota Italia & Europæ pars maxima cruentis bellis non admodùm fuerit infeſtata. In Pace igitur ipſi, quemadmodum vivere licuit, mori datum eſt, dum placidiſſimè animam exhalavit an. 1644.

## CCXXXVII. Innocentius, X. Romanus.

**S**EXAGINTA ſex ſacrâ purpurâ conſpicui Patres poſt aliquot dierum moram conſenſere denique mirâ concordîâ in Joannem Baptiſtam Pamphilium, è Pamphiliorum illuſtriſſima & antiquiſſima Romæ proſapia natum 1574. Nobiliſſimus adoleſcens ut majorum ſuorum encomiis augmentum adderet, humaniorum literarum in Collegio Romano, ſeveriorum ſtudioſum curſu in nominatiſſimis Italiæ Academiis felicitate maxima conſectio ætatis ſuæ anno vigefimo jam inter Doctores eminens laureâ donatus fuit. Creſcente ætate à Clemente VIII. Romæ Rotæ Auditor nuncupatus, à Gregorio XV. Nuncius Apoſtolicus Neapolim miſſus, & ab Urbano VIII. *Datarie*, uti vocamus, præſſe juſſus fuit. Ab eodem Urbano Pontifice Patriarcha Antiochenus conſtitutus, & ad Philippum IV. Hiſpaniæ Regem Legatus Pontificius venit ſacrâ purpurâ paulò poſt donatus. His officiis præluſit honori Pontificio, quem unâ cum Eccleſiæ immunitate ſantum tectum conſtantiſſimè conſervavit haudquaquam abſterritus Regum ac Principum potentiſſimorum majeſtate aut potentia. Id experti fuère Luſitani quidam nobiliſſimi, qui in Delegato Clericorum Luſitanorum dignitatem Pontificiam verbis & armatis manibus læſerant. Pœnas non minùs dedere Innocentio miniſtri regii Hiſpani in urbe Neapoli, qui, quòd penates Legati Apoſtolicæ violafſent, proſtratis humi genibus publicè veniam eundem Legatum rogavère, non criminis pœnitundine magis, quàm auctoritate Innocentii commoti. Atque talia cum minùs placerent Neapoleos Proregi, eundem quamprimùm ſuo officio amoveri curavit, Rege Philippo Pontificis cauſam probante. Severitatem tamen clementiâ perpetuò mitigaturus, Archiepiſcopo ac Electori Treviſorum, quòd adverſus Cæſarem ac Imperii Duces nimium tribueret Gallorum partibus, in



custodiam Viennensem dato, libertatem à Ferdinando III. Imperatore impetravit. Ab Innocentio autem parùm impetravêre Imperii Electores, & Viri in Germania Principes eo tempore, quo pacem iniri Monasterium Legatos miserant; paci enim Monasteriensi constanter contradixit, eò quòd eadem haud una in re momenti maximi Ecclesiæ sumè foret noxia. Ut hac ratione contradiceret, justitia monebat & æquitas, cujus studiò mortis sententiam pronuntiare jussit adversùs iniquum Procuratorem, & huic pares judicem quempiam ac Franciscum Canonicum *Datarium*. Conjunctam cum summa clementia munificentiam populo Romano tunc maximè exhibebat, cum durante Tyberis eluvione & secutâ annonæ caritate nullis ipse sumptibus parcebat, ut nemini non succurreretur. Atque cum metueret, ne pistorum aliorumque fraudibus aut avaritiâ quicquam de annonâ pauperibus subtraheretur, semel iterumque Urbis compita pertransiit, ut suismet oculis venales panes exploratos haberet, exemplò ad terrendos avaros potentissimò. Parem fermè vigilantiam exhibuit intra Jubilæi dies solennes; advenas enim sibi per plateas factos obvios paterno simul affectu & datis muneribus recreavit. Exemplum Urbani VIII. æmulaturus, aut suo clariori superaturus Romam ipse non minùs ædificiis ornavit ac structis operibus adjuvit; Lateranensem enim basilicam & templum Vaticanum partim variis columnis firmavit, partim ornatu splendidiori augustiora reddidit; D. Agnetis verò Virginis honori magnificum templum à se extructum dedicavit. Forum autem, in quo eadem Virgo Martyrii palmam promerita fuit, nobilissimo fonte & aliis ad decorem loci rebus maximè idoneis effecit. Zelò incensus Apostolicò geminum Religiosorum Virorum Ordinem minùs utilem ampliùs exterminavit, alterum Apostolorum, alterum B. Blasii dictum in Armenia. Ne quisquam etiam foret, cui diversa Cardinalium eaque longa ac ampla nomina aut odium, aut scandalum parerent, Legem tulit, qua deletis quibusvis aliis, uti vocamus, titulis, Eminentissimos duntaxat dici postulavit; etsi regio aut Principum sanguine purpuram decorassent. Difficile dictu est, quantâ solertiâ majus Orthodoxæ Religionis augmentum constanter quæsiverit; unde & Venetis & Melitenfibus atque Polonis arma & aurum, triremes ac milites misit, quibus non semel tantùm Turcarum classis cladibus affecta Cretensibus ac Dalmatis infesta esse desit. De zelo ardentissimo Innocentii vel ipsi hæretici testimonium dicent, qui in Gallia, Anglia, Scotia &



& Hybernia indies magis invalescebant; Præter librum nãmque de duplici Ecclesiæ capite in Francia editum post maturum examen damnavit simul Cornelii Jansenii Iprensis quondam Præfulis quinque propositiones tanquam falsas, scandalosas, temerarias & hæreticas, editis ea de re Apostolicis litteris anno 1653. in Angliã verò & Hybernia pro Romanis aris fortiter pugnantibus aesse studuit perpetuò, missis eum in finem Legatis, armatis copiis & aureis subsidiis. Verùm Cromvello cum Irtono genero suo prædominante exercitus pro meliori licèt causa pugnans eas insulas penè totas reliquit, Divina Nemesei sceleratorum mortalium multiplicata crimina sæpè subtractò Fidei lumine & immisã hæresi puniente. Captus eadem tempestate Carolus I. è Stuartorum genere Rex Angliæ à Cromvello & Parlamento novo judicatus ac condemnatus in foro publico caput securi subjecit, Dum tamen cecidit, pro Fide invictus stare visus est Rex, aut certè stetit ejusdem Regina Henrietta Borbonia; cui accessit Regina altera Christina, quæ relicto Sueciæ regnò Romam salutis portum petiit. Hujus exemplum vel secuti sunt, vel suo exemplo eandem traxerunt in Germania Viri inter Electores, aut Imperii Principes & inter Illustrissimos nominatissimi, scilicet Eduardus Comes Palatinus; Philippus Guilielmus Dux Neoburgi cum conjuge sua Amalia Magdalena Darmstadiana: Udalricus Dux Würtembergicus; Joannes Fridericus Brunsvicensis & Lunenburgensis, Dux Holsatiæ Juderburgensis; Fridericus Hassiæ Landgravius Darmstadianus &c. quorum nonnullos Innocentius Romæ ad suos pedes advolutos summa humanitate ac voluptate excepit, atque in Fide confirmatos dimisit, Tantorum itaque Principum conversione lætus, sed simul annis & laboribus fractus cum horam vitæ ultimam instare sibi adverteret, Purpuratorum Patrum collegium ad se vocatum de Pontificatu malè administrato veniam enixè rogavit; tum verò ad Superos conversus inter Cardinalium manus ac preces innocentissimam brevè animam exhalavit an, ætatis 81. salutis 1655.

**CCXXXVIII. Alexander VII. Senensis.**

**F**ABIUS Chifius Senis celeberrima Hetruriæ urbe an, Salutis 1599. natus patrem primæ nobilitatis virum adhuc parvulus amiserat morte im-



maturâ ereptum, Singulâri mœstissimâ ex obitu mariti matris curâ simul  
 literarum & virtutis stadium ingressus facillè coævus superavit universos te-  
 ste Celso Citadino ejusdem Præceptore viro clarissimo, Urbem ingressus  
 & à Sfortia Pallavicino Soc. Jesu primùm Sacerdote, deinde S. R. E. Car-  
 dinale exceptus, hœc duce viam ac aditum ad Urbanum VIII. Pontificem  
 invenit, quem primò ingeniosissimâ Poësi suâ, quâ jam adolescens pluri-  
 mùm valebat, recreavit. Orator non minùs præstans, Historicus, Philoso-  
 phus, Jurisperitus ac Theologus ad omnia summa natum factò sui persæpè  
 periculo commonstrabat. Ab eodem igitur Pontifice paulò post Prole-  
 gatus (ita Romæ appellatur) Ferrariensis constitutus per quinquennium dif-  
 ficillimis belli, pestis & famis temporibus summam ab omnibus laudem  
 tulit. Româ in insulam Melitam mandante Urbano VIII. Pontifice  
 transvectus, dum Pontificii exercitûs curatorem egit, simul Neritonensium  
 Præsul creatus curam animarum supremam in se suscepit. Paulò post in  
 Germaniam translatus Colonia ad Rhenum ac Monasterii in Westphalia  
 dum pacem Christianæ Republicæ noxiam à Viris Germaniæ Principibus  
 initam impedire haud potuit præpotentium vi ac viribus retardatus, sen-  
 tentiam suam publicè edixit toti Imperio significandam, qua tum præsen-  
 tia pacis fœdera Pontificis nomine improbavit. Romam ab Innocentio  
 X. repetitus pro præmio navatæ operæ purpuram accepit. Eidem deni-  
 que supremo in munere die post obitum Innocentii octogesimo Successor  
 promulgatus populum Romanum in novi Pontificis electionem intentissi-  
 mum mirè recreavit. Vix creatus Pontifex Apostoli verba suum in sym-  
 bolum usurpans pronuntiavit: *vino ego jam non ego, vivit verò in me Chri-  
 stus.* Nec ferventiùs dixit, quàm scripsit, & opere effecit; continuò enim  
 litteras maximè ad Hispaniæ Galliæq; Reges & Germaniæ Duces dedit,  
 quibus hos adhortatus fuit, ut Cæsari adversùs novatores in Germania  
 grassantes opem ferrent, illos verò ut eidem Imperatori contra Turcas in  
 Europam identidem magis penetrantes suppetias non negarent. Ut per-  
 suaderet potentiùs, exemplis verba sua firmavit; Hungaris enim ac Vene-  
 tis auri vim magnam & armatorum virorum turmas misit. Inter negotia  
 summi momenti ab eodem suscepta venit & illud memorandum, quo sin-  
 gularem honorem plurimis iisque maximi ponderis argumentis persuasus  
 exhibuit Immaculatæ Deiparæ; prohibita enim severè opinione contra-  
 ria Dei Genitricem nunquam ullius sive *Originalis sive Actualis peccati labe*  
 con-



contaminatam fuisse Ecclesiæ deinceps tenendum præscripsit; inter dogmata tamen Fidei doctrinam hanc necdum numeravit. Ventilatas etiam maturo examine Cornelii Jansenii Iprensis Episcopi quinque propositiones super *Gratia & libero arbitrio*, ab Innocentio X. Constitutione edita jam damnatas damnatione altera proscripsit, præcludens aditum quibusvis nomine interpretibus, re ipsa pertinacibus erronum cerebris. Divorum coetui augmentum daturus Dulciæ cultu dignissimos edito Decreto censuit DD, Thomam Villanovam, Valentinum Archiepiscopum & Franciscum Salesium, quorum ultimi ritè vivendi ac regendi regulas maximi æstimavit, præsertim verò eam, qua Genevæ Episcopus testatus est, se honores acquisivisse nihil honoris ambiendo, & nihil laboris recusando. Et verè Pontificios honores nec ambivit, nec expectavit Alexander inter complures constitutus Cardinales, qui Electioni Pontificiæ longas dedere moras, ut cunctando non Ecclesiæ rempublicam, sed suam privatam quærent; ipse verò præter spem suam electus Pontifex proprii honoris oblitus, per annos Sed. 12. Ecclesiæ incrementum majus tum in Urbe tum in orbe quæsit eloquii sui in vita & morte nunquam non memor: *vivo ego jam non ego, vivit verò in me Christus*. Mortuus est an. 1667. postquam decennio priùs Ferdinandus III. Imperator fatis concesserat, & thronum reliquerat filio Leopoldo Imperatori Magno.

## CCXXXIX. Clemens IX. Florentinus.

**I**ULIUS Rospiliosius Pistorii celebri Hetruriæ urbe anno 1600. ex parentibus ejusdem ferè nobilissimis natus, præter generis splendorem virtutum maximarum & scientiarum semina iisdem debebat: à prima enim pueritia & morum summa probitate atque littris imbutus, in Collegio Romano sub Famiano Strada aliisque Magistris politioribus studiis ac Philosophiæ Aristotelicæ fructu maximo operam navavit, à nemine non laudatus & æstimatus maximi. In Pisana deinde Academia Cæsarei, simulque Pontificii Juris lauream consecutus Romam repetiit, inter Antonii Barberini Cardinalis doctissimos domesticos & socio penè Doctorem & discipulum egit, dans ansam alios docendi, & ab iisdem discendi, quem morem suum etiam Pontifex haud dimisit, dum etiam tunc peritissimos Europæ viros super rebus dubiis consuluit, consultus & ipse ab  
iisdem



iisdem Notior itaque jam aula Pontificiæ factus, & ab Urbano VIII. variis ornatus officiis per excelsiores sensim gradus ad Archiepiscopi Tarsensis cathedram ascendit. Hoc nomine insignitus venit Nuntius Apostolicus in Hispaniam, ubi in rebus difficillimis Pontifici Innocentio simulq; Regi Philippo IV. adeò satisfecit, ut præter magnam auri sumam literas pro impetranda Cardinalitia dignitate Rex redituro Julio iterum iterumq; obtulerit, & Innocentius haud ægrè concessisset, nisi eadem virtute, qua purpuram mereri noverat, recusare eandem Julius didicisset. Mortuò Innocentiò Alexander VII. Rospilio sui meritis responsurus, dum eidem purpuram concessit, mitram suam non negavit suo post annos decem futuro Successori. Talis ac tantus à Cardinalibus absque ullo certamine electus, dum à longa eaq; periculosa corporis infirmitate nondum bene convaluit, quàm animo bene viveret, oratione plurimarum virtutum indice testatus est, qua congregatos tum Cardinales fuerat allocutus. Index virtutum alter accessit, cum creatus Pontifex monetam cudi, & super eam pellicanum rostro peccus mordentem hæc cum inscriptione efformari mandavit; *aliis non sibi Clemens*. Clementissimum fuisse aliis, testes fuere innumeri per urbis compita homines pauperrimi, quos in nosocomia susceptos Pontifex persæpè invisebat & ipsis ministrabat, alios verò suas in ædes inductos lautò conviviò sic excipiebat, ut suus animæ cibus nunquam defuerit; quem morem in dies singulos sibi observandum præscribebat, diem perdidisse se existimaturus, si latum unguem ab eodem uspiam recessisset. Valuit ea res plurimum ad convertendos multorum heterodoxorum animos, qui Clementis famâ excitati haud dubitavere peregrinorum manipulis sese immiscere, ut Pontificios simul cibos capere, & virtutes ejusdem coram intueri liceret. Cum peregrinis fuit Comes Batavis maximè notus, qui ejuratâ Calvinianâ doctrinâ Romana Sacra Romæ amplexus fuit Clementis exemplò commotus, de quo agebat, *Fidem, quam pius adeò Pontifex profiteretur, erroneam esse non posse*. Non minùs omnium in se rapiebat oculos, cum ipse tribunal sacrum in templo Vaticano occupare, & corde contritorum labes auribus excipere, ac jus dicere persæpè solebat, quoties nempe per negotia & valetudinem licebat. Quantum posset efficere etiam eminus Clementis in reducendis ad ovile Divini Pastoris ovibus virtus, experta sunt regna Gallia, Polonia, & inprimis Germania, pro qua perpetuam nunquam deponebat curam tum præcipuè, cum Ratisbonæ malè præoccupati Principes

cipes



cipes quidam convenissent non magis ut Imperio prodesse, quam Romane Ecclesie suis comitiis obessent, quae tamen Guidobaldus Cardinalis de Thun Archiepiscopus Salisburgensis Pontificis nomine graviter declinare noverat. Turcarum armatae potentiae finibus Italiae identidem magis imminenti, ut Rex Galliae missis & ipse copiis occurreret, aut minimum armis infestare Hispanos tantisper desisteret, nemo magis, quam Alexander Pontifex quae litteris, quae Legationibus rogavit, eam ob rem suam in Galliam adventum Regi offerens; si necessitas aut Reipublicae utilitas postularer. Pari studio Philippum III. Hispaniae & Joannem IV. Bragantiae Ducem inde Lusitaniae Regem de jure Successionis in Lusitanorum regnum decertantes composuit. Non ita precibus, sed Pontificia potestate usus fuit in Harduinum Parisiensem Archiepiscopum & alios Galliae Antistites; quorum hi formulae ab Alexandro VII. editae subscribere recusarunt Jansenianae doctrinae amici; ille vero non consulto Pontifice dies festos abrogare quosdam praesumpserat. Eodem ferè modo in Palatinatu Superiori Ecclesiae restitui curavit decem monasteria, quorum fructus Maximilianus I. Bavariae Dux Friderici Palatini Electoris victor annuente Urbano VIII. in annos 15. colligere poterat, ut sumptus in bellum Bohemicum expensos refarciret. Haecenus ex voto Clementis successerant multa, non item quae sequuntur; etsi enim Leopoldus Caesar, Ludovicus XIV. Galliae Rex, Hispani ac Veneti Clementis precibus nihil negarent, sed missis copiis Cretensum insulae à Turcis penè jam expugnatae succurrere properarent, tamen Franciscus Dux Bellifortius desperatis rebus dum incautiùs, quam par erat, cum duodecim militum millibus longè majores Turcarum vires aggreditur, ipse cum sociis ferè omnibus in pugna cecidit victorià & Cretam insulam hostium manibus relicta. Clemens intellecta hac Christi adum clade etsi animum colligere & spes novas concipere pararet, ut Turcarum deniq; potentiam supprimeret, tamen forti animo impar longè fuerat corporis imbecillitas; huic enim cum accessisset morbi vis subitanea, afflictis ex Cretensum jactura populis afflictionem addidit alteram mors Clementis beatissima, quae post annum regiminis 2. humanis rebus Pontificem omni ex parte maximum eripuit; in quo praeter alia multa id universis placuit, quod Antecessorum suorum imperfecta opera ipse perfecit, nec tamen aut suum nomen, aut insignia affigi curaverit, sed Alexandri VII. aut aliorum Pontificum laudibus omnia tribuerit. Moriturus scripsit ipse sibi hoc epitaphium sanè brevissimum; *Clementis IX. Cineres.*



## CCXL. Clemens X. Romanus.

**Q**UATUOR mensibus & diebus quatuor vacua Sedes fuit, post quos  
 secutus est Clementem IX. Clemens X. jam octogenario major,  
 E pervetusta & nobili Alteriorum prosapia oriundum esse Ro-  
 mani ante alios noverant Æmilium Alterium suum, qui, ut memoriam  
 Clementis IX, à quo non ita pridem inter Cardinales numeratus fuerat,  
 gratus renovaret, simulque populo in accepto Clementis nomine haud  
 displiceret, Clementis X. nomen sibi delegit. Viam ipsi, qua ad vario-  
 rum officiorum gradus ascendit, straverat Jurisprudentia pro omni foro  
 expeditissima. Innocentio X. Romanæ quondam Rotæ auditori operam  
 suam primò addixerat eidem probatam in omnibus. Ab Urbanis tribu-  
 nalibus in Poloniam abiit Joannem Baptistam Lancellotum Legatum se-  
 cutus. Cum eodem in Italiam reversus Camerinæ primùm insulæ, mox  
 Lauretanæ Domûs præfecturæ, & indè universi Piceni regiminis curam in  
 se suscepit. Æmilii zelum, prudentiam & experientiam laudârunt inter  
 alios maximè Ravennates, quibus insolita aquarum inundatione obrutis  
 ab Urbano VIII. solator missus, solatium spe majus reliquit, dum effossis  
 canalibus & excitatis aggeribus solum juxtà amœnum ac foecundissimum  
 reddidit. Urbano VIII. mortuo Neapolim mittente Innocentio Nun-  
 tius venit Apostolicus, ubi octo annorum spatio commoratus ea pruden-  
 tia se suosque moderari noverat, ut inter diversa eaque adversa negotia  
 nemini plus æquo tribueret, aut negaret inter partium studia æquam bi-  
 lancem perpetuò tenens. Dignissimus eapropter universo Purpurato-  
 rum Patrum Senatui visus, quem tota Italia arbitrum eligeret, ut mutuum  
 concordiam Viris Italiæ Principibus bellò dissidentibus, simulque invete-  
 ratas Insubriæ motibus finem imponeret, aut certè temporariâ quiete in-  
 terpolaret. His præcipuè meritis id consecutus est Æmilius, ut tandem  
 purpurâ, & mox coronâ Pontificiâ ornatus fuerit; quem tamen honorem  
 ultimum & precibus & lacrymis in plures horas continuis averfari perse-  
 veravit, præsentium Cardinalium coetu senem frustra omnia rōgantem ad  
 solennem inaugurationis locum veriùs cogente, quàm comitante. Ponti-  
 ficatui suo exordium à promulgatione Jubilæi facere Clementi X. placuit,  
 quod exordii genus Leopoldus Imperator multis modis laudaverat, etsi  
 fuerint nonnulli in aula Viennæ Magnates, qui Cæsari dilationem Jubilæi  
 sua-



suaserant eo argumento adducti, quòd Pontifex Clemens IX. ex Germanorum natione Cardinalem nullum creâisset. Clemens itaque X. re intellecta sacram purpuram quamprimùm concessit Bernardo Gustavo Fuldensium Abbati, Marchionis Durlacensis fratri, qui ejuratò Lutherò quondam Romano Pontifici sacramentum dixerat. Leopoldo Cæsari non minùs rem gratam præstitit, cum Moscoviæ Duci repulsam dedit, postquam per Legatos suos Cæsaris nomen sibi à Sede Romana impertiri aut petiit aut postulavit. Diversa ab his fuère, quæ cum Episcopo Monasteriensi & Electore Coloniae egerat: iidem enim Gallorum Regi initò foedere alligati cum invito Pontifice Baravis arma inferrent, longissimis bellis Cæsarem inter ac Galliae Regem ansam præbuerunt, quod velut oraculo suò dudùm antè Pontifex pronuntiârat. Feliciorem exitum sortitum est ex consilio Clementis Polonorum intestinum bellum; Rex enim Michaël & Archiepiscopus Gnesnensis regni Primas, positis mutuis odiis, omnem patriæ iram in Turcas effudère, à Clemente Pontifice & Leopoldo Cæsare strenuè adjuti. Millia hostium facilè triginta cecidère, quibus cum victoriam & plurima munimenta victor Michaël eripuisset, eadem ipse horâ occubuit Rex nunquam aliàs gloriosius moriturus. Clemens verò Pontifex non longè ante suum obitum, ut expugnaret tum suis precibus, tum totius Ecclesiæ poenitentiae operibus, elementorum in perniciem tum Germaniæ tum Italiæ sævientium furorem, Jubilæum alterum indixit, Ecclesiam etiam promulgatione Divorum exornavit scilicet DD. Cajetani, Francisci Borgiæ, Philippi Benitii, Ludovici Bertrandi, Rosæ. Inter Beatos numeravit Albertum M. Ferdinandum Castellæ Regem, & Ludovicum Albertonum. Beatâ morte extinctus est ipse an, 1676. Sed. 6. ætat. 87.

## CCXLI. Innocentius XI. Comensis Lombardus.

**B**ENEDICTUS Odescalchus ex patre Livio Odescalcho reparatæ Salutis an. 1611. natus, originem duxit ab eo heroë etiam, qui nongentis abhinc annis Viennæ in Delphinatu collectis copiis Carolo Magno Imperatori adversùs Longobardos suppetias tulit.



Antiquissimam nobilitatem & divitias Odescalchorum dum virtutum splendore nunquam non exornare, ut perhibent Historici, destitit, hanc ob causam tum domesticorum exemplis, tum Magistrorum studiis, tum suomet ingenio literarum ac virtutum capacissimo incitatus, instar equi magnanimi, adolescens frenò inhibendus erat, ne ardore nimio teneram ætatem fatigaret. Comi sub Patrum Societatis JESU disciplina politioribus literis operam egregiam dedit, singulari in Deiparam affectu constanter accensus. Supra annum ætatis vigesimum jam provectus ob pestilentia morbos, relicta urbe patriâ Como, in Liguriam concessit inter laicos adhuc Matthesi invigilaturus. Romæ dein, & mox Neapoli, inter Jurisperitos clarissimum sibi nomen promeruit, unde ab Urbano VIII. Protonotariis Apostolicis, quos de numero Participantium vocant, adscriptus fuit. Altioribus admotus officiis, primam in pauperum catervas curam gerere perpetuò est visus; unde exactas à criminosis pecunias Maceratensium Præses cum acciperet, mox in egenos distribuit, *pretium sanguinis* appellans. Romæ denuò redditus, Clericus primò Camerae, & an. 1645. Diaconus, ac paulò post Presbyter Cardinalis ab Innocentio X. creatus, ab eodem hoc Pontifice Ferrariam missus venit eo tempore, quo annonæ caritas eam magnopere premebat provinciam. Abeuntem Benedictum his Pontifex dimisit verbis: *mittimus patrem pauperum*. Anno 1650. Episcopus Novariensis constitutus, verè ovium Pastorem se probavit, nequaquam mercenarius; præter hæreditatis enim suæ partem Episcopales etiam redditus in pauperes distribuit. Hoc ipso Episcopatu Novariensi in fratris sui Julii manus resignato, Romam iterum petens vitæ methodum instituit à nemine non Romanorum maximè dilaudatam, & *Sanctitatis* nomine ornatam, Justitiæ imprimis quàm studiosus fuerit, verbis commonstravit paucis, sed opere probatis: aiebat nempe, *cæcæ esse Justitiæ, quæ non considerat personam pauperis, nec honorat vultum potentis*. Et aliàs dicebat, *credere se, tribunalia erecta esse non ad decorem personæ; sed personam electam esse ad custodiam Magistratus*. Cæterum eam vitæ methodum & suis domesticis præscribebat, ac si in dies singulos rationem Supremo Judici reddere adigeretur. Haud quemquam idcirco admiratio subeat, si intelligat, Pontificem Innocentium XI. ab ipsismet Romanorum Pontificum hostibus Lutheri vel Calvini affectis eximie laudari & commendari; fuit enim Pontifex major omni laude, qui die D. Matthæo sacra communi omnium Electorum calculo vocatus



tus est ad supremum dignitatis verticem, vocationem hanc probante coelesti augurio, quod cunctis obstupefactis prodidit columba, repetito volatu suo applaudens congregato Patrum coetui. Electus Pontifex ante omnia alia aulam Pontificiam optimis moribus instructam esse desideravit; Veneris quippe osor perpetuus severè prohibuit, ne sexus foemineus nudis uberibus aut collo minùs honestè tecto uspiam in publico, praesertim sacris aedibus compareret. Immunitatis Ecclesiasticae jura in Legatorum regionum domibus Romae ad nimium abusum detorta vel penitus sustulit, vel justo moderamine temperavit; unde diuturna eaque gravissima lis inter Innocentium & Ludovicum XIV. Galliae Regem exorta initium sumpsit, vix optatum finem habitura; nam Gallorum minis & armis minimè absterrius Pontifex constantissimus Legatum Franciae die nato Servatori sacra, ob tumultus in templo D. Ludovici excitatos, anathemate perculit; Cardinalem verò Wilhelmum Egonem Fürstenbergicum in Coloniae Archiepiscopum, urgente licet Ludovico Rege haud admisit, etsi Scriptores Galli & Episcoporum quidam ad Concilium appellare jam tum visi fuerint. Jus adhuc Regaliae (ita vocarunt Franci proventus viduorum in Francia Episcopatum) in universum Galliae regnum extendi haudquaquam passus fuit. Non ita cum Caesare Imperioque egit; eidem enim aurum & virum copiosissimum dedit, quorum etiam robore ac valore Vienna Austriae Turcarum obsidione gravissima fuit liberata, Hungariae ac Transylvaniae pars amplissima Caesari Leopoldo reddita, & Polonia ab hostium barbarorum assultibus immunis facta. Innocentio XI, non minùs adscribendum est foedus Leopoldum Caesarem inter, Joannem Poloniae Regem, & Venetorum Rempublicam stabilitum, rei Catholicae summè proficuum. Pax quoque Noviomagensis auctorem suum ex parte, aut certè adiutorem ferè principem agnovit Innocentium, cujus in componendis Europae Regum animis felix studium damnavit Mustapha Turcarum Imperator. Pacis hujus vigore urbes permultae à Gallis Hispaniae Regi restituebantur; nonnullae tamen & Gallorum Regi à Caesare relinquendae erant; inter quas & Friburgum Brisgoiae Ludovico XIV. ab anno 1678. parere coepit, magna sui parte ab eodem Rege solo aequatum. Penè solus Lotharingiae Dux pace Noviomagensi se laesum esse nimium conquestus, maluit Ducatum in annos complures Gallorum arbitrio permittere, quam moesta pacis perfrui fructibus. Dum verò Imperium



& regnorum quietem promoveri summis animi viribus contendit Pontifex, classicum canere & bellum impium Ecclesiæ denunciare palam coeperunt Michaël Molinos Quietismi, uti vocare solemus, author, & præter alios Antonius Maria Michaëlis focius, quorum quinquaginta & octo propositiones post maturam discussionem penitus proscripsit; hæresiarchæ verò perpetuo carceri mancipati dubiam de sua poenitentia opinionem posteris reliquere. Exemplum Innocentii hac in parte secutus Ludovicus XIV. Gallorum Rex universis Calvinii sectatoribus suo regnò interdixit. Idem præstitisset Jacobus Angliæ Rex, nisi à seditiosis suis subditis regnò suo ejectus in Gallia exilium invenisset, nunquam rediturus in Angliam. Annus agebatur 1689, Pontificatus Innocentii 13. ætatis 80. quo Pontifex de universa Ecclesia optimè meritus supremum obiit diem suum. Ingentia ejus merita agnovere universi ac singuli, si Gallorum plerosque & quosdam Innocentii nepotes excipias, quibus æquo severior credebatur; Pontifex verò æquitati parùm se satisfacturum perpetuò credidit, si Gallorum & nepotum avaritiæ non fortiter ad supremum usque halitum resistisset. Cæterum cum summa Innocentii liberalitate certasse visum est cœlum; quò largiùs enim ipse expendit aurum, eò cumulariùs rediit; Leopoldo quippe Cæsari vicies centena, Polonorum verò Regi trecenta aureorum millia adversus Turcarum phalanges in subsidium misisse fertur. Supra modò enarratam auri summam sexcenta scutorum millia tum in pauperes, tum in egenas virgines, tum in templorum reparationem expendisse narratum fuit. Cameram insuper Apostolicam non solum gravissimo ære alieno liberavit, sed etiam duobus aureorum millionibus ditavit. Omittuntur hic dona pretiosissima, quæ per sæpè pro locorum, temporum ac hominum opportunitate, vel etiam importunitate enlargitus est Pontifex thesauris cœlestibus aternùm dignissimus.

## CCXLII. Alexander VIII. Venerus.

**P**ETRUS Ottobonus ex parentibus longa avorum & atavorum serie Patavii, Venetijs & Florentiæ clarissimis in lucem editus est anni 1610. In urbe patria Venetorum scilicet, genitoris Marci Ottoboni ibidem Magni Cancellarii cura humanioribus literis, & probatissimis moribus excultus, Patavium venit altioribus disciplinis informandus, ipsa



ipsâ ætate eximium profectum admirante; annorum enim duntaxat septendecim adolescens jam Philosophiæ, Jurisprudentiæ, imò & Theologiæ laureâ insignitus Patavii omnium facili ætimationem ac amorem sibi conciliavit, rarâ virtute ac scientiâ in juvenili corpore nemini non gratissima. Annò ætatis 20. Romam delatus magnis passibus per varios munerum gradus, inter Rotæ Romanæ judices permultis æmulis frustra obicem ponentibus numerari promeruit, ubi non solum Ottoboni enituit virtus, modestia & industria, verum etiam ejusdem Jurisperitiæ conjuncta cum Theologica sapientia, in enodandis plurimis, iisque difficillimis quæstionibus adeò eluxit, ut decisiones suas ad posteritatis utilitatem haud mediocrem typis mandatas toti orbi reliquerit legendas & laudandas. Ob hos labores in Ecclesiæ emolumentum impensos ab Innocentio X. sacra purpura donatus, & post biennium Brixienti infulâ condecoratus, at hac postea relicta Abbas Cômendatarius Vangadiciensis selectus S. Marci Cardinalis dici cœpit, priori S. Salvatoris titulò alteri datò. Legatus deinde Venetis missus in junctam sibi Legationem ea fide ac religione implevit, ut Ecclesiam Romanam observavit ut Matrem, patriam verò Rempublicam eidem commendârit velut filiam, hujus privilegia cum illius potestate bellè conformans. Pontificibus igitur Innocentio X. Alexandro VII. Clementi IX. & X. nec non Innocentio XI. gratissimus, duodecim diversis Cardinalium Congregationibus aut membrum interesse, aut Præses præesse jussus est, exemplò inter Purpuratos Patres rarissimò. Mortuò Innocentiò XI. post duorum propè mensium moram à quinquagintâ duobus Cardinalibus anno ætatis octogesimo Pontifex electus, relicto Petri nomine Alexandri VIII. nuncupari desideravit, tum ut memoriam Alexandri III. Venetis gratissimam renovaret, tum Alexandri VII. præclaras animi dotes, quas maximi semper fecerat, re & nomine imitaretur. Difficile dictu est, quantam animi lætitiâ Venetorum Respublica ex allato de Alexandri VIII. in Pontificem electione nuntio conceperit: ex Senatûs enim decreto per tres continuas noctes ignes festivi cum luminibus, picturis & inscriptionibus, urbe universâ illustratâ novo Pontifici laudes dixerunt. Octo præterea Oratores, singuli inter Venetos primates Romam missi Pontifici Alexandro sibi acceptissimo Pontificiam dignitatem gratulati sunt, & pro acceptis beneficiis gratias dixerunt, non absque spe novorum identidem beneficiorum. Coronatus Pontifex inter primas curas eam commendatissimam sibi habu-



habuit, quâ discordiam inter Innocentium XI. & Ludovicum XIV. exortam quamprimùm tollere haud incassum laboravit; Avenioni enim Pontificiâ in Gallia urbi sua tormenta bellô ablata Rex restituit. Tum verò ad Urbem partim reformandam, partim exornandam conversus aulam Pontificiam, Curiam, tribunalia, cœnobîa à vitiis & abusibus per Decreta saluberrima purgare cœpit: dein verò collapsos fontes reficere, Vaticanam Bibliothecam tum manuscriptis, tum cœmptis multo auro libris augere, rem agrariam restituere, vectigalia rei frumentariæ imposita remittere, omnibus Romæ commodè alendis curas intendere non cessavit, ex æquo in omnes liberalis. Plùs tamen æquo amâsse fertur nepotes suos, ab Innocentii XI. rigore hîc non parùm remittens; uni eorundem enim bibliothecam viginti librorum millibus refertam donavit. Non minùs suam admare perseveravit patriam; Venetis namque præter auxiliares copias sumptibus Pontificis conscriptas concessit privilegia amplissima, potestatem Pontificiam multùm restringentia. Popularibus suis ut in quibusvis rebus gratificaretur, Laurentium Justinianum Venetorum Patriarcham primum Divorum catalogo inseruit tanto honore ac cultu pridem dignissimùm. Annum agebat Alexander supra octoginta primum, in Pontificatu secundum, cùm vim gravis morbi sentiens vocatos ad se Cardinales hâc allocutus est voce: *Deficiunt vires, fratres Venerabiles, sed non deficit animus &c.* Vitam verò paulò post finiit his verbis: *Et unam, Sanctam, Catholicam & Apostolicam Ecclesiam,* an. 1691.

### CCXLIII. Innocentius XII. Neapolitanus.

**P**OST mortuum Alexandrum VIII. quinque mensibus & diebus pluribus Sedes Pontificia relicta est vidua. Tandem electus est Pontifex Antonius Cardinalis Pignatellus Neapoleos Archiepiscopus, cujus antiquissimum stemma præter plurimos diversissimi ordinis ac summæ dignitatis viros per Romanum Imperium, Italiam, Hispaniam, Siciliam &c. clarissimos ornârunt etiam tres Proreges, uti vocamus, unus nempe in Sicilia, alter in Sardinia, tertius in Catalonia. Longam avorum atque atavorum Pignatellorum seriem refert Antonius Foresti in suo libro de gestis Pontificum edito num. 516, Neapoli Antonius anno 1615, natus, & à teneris annis more nobilissimorum filiorum educatus, Romam



mam pervenit, ubi in Seminario Romano literis & scientiis excultus, utriusque Jurisprudentiæ insignibus illustrari magis voluit natales suos illustrissimos. Creatus deinde eques Melitensis, ex equite autem Melitæ insulæ Inquisitor & Legatus Pontificius, Florentiæ decem, in Polonia octo, & in Germania quatuor annis est commoratus, Imperatori Leopoldo, Regibus Poloniæ, & Florentiæ Ducibus per annos viginti duos inter temporum difficultates maximas nunquam non acceptissimus. Ex Germania redux à Clemente IX. Episcopus, & mox Secretarius, ut vocant, Congregationis Episcoporum ac Regularium creatus, & temporis successu Præfectus Camerae duorum Pontificum Clementis X. & Innocentij XI. per annos quinque constitutus fuit. Faventinis item Episcopus, Bononiensibus Legatus, & Neapolitanis Archiepiscopus datus ab Innocentio XI. anno 1681. primum inter Cardinales purpuram accepit. Demum à Cardinalium Collegio universo Pontifex electus, & deletò Antonij nomine Innocentius XII. nominatus, omnem mox Nepotismum latâ Lege penitus sustulit, Innocentij XI. vestigia firmò pede secuturus. Unde nemo in Italia tota nepotem, affinem, propinquum, etsi plerisque merita non deessent, ab Innocentio exaltatum vidit. Legi huic mox Legem alteram addidit, quâ Aulae Romanæ officia pecuniis mercari severè vetuit. Civibus Romanis prægravia mitigaturus vectigalia duo levioris census telonia crexit, alterum nempe pro ijs mercibus, quæ terrâ, alterum pro aliis, quæ marî advehantur in Urbem; quibus effectum dedit, ut rerum omnium ubertas magnò civium solatiò affluerit. Par beneficium experta sunt duo xenodochia, quibus non modicam parati æris summam porrexit. Majoris longè pretij fuit, quod junctis foedere Viris Principibus adversùs Turcarum copias solvit, eundem in finem tricies centenis aureorum millibus in Hadriana mole depositis. Ut simul inter externas rerum curas Ecclesiastico statui instaurando ritè invigilaret, antiquius nihil habuit, quàm ut viros summè idoneos totò terrarum orbe conquisitos in amplissimam Purpuratorum Patrum Senatam adlegeret. Triginta igitur Cardinales universim creavit, omnes doctrinâ, ac virtute maximâ conspicuos. Non solùm cominus, sed & eminus ut Ecclesiæ in rebus omnibus prospiceret, novas interpretationes super Jansenij Iprensis Episcopi propositiones, & secutas Pontificum damnationes severissimè prohibuit, Episcopos Belgii sui officii seriò commonens, ne inter oves



paterentur lupos pellibus ovinis vestitos. Inter maxima ætatis suæ gaudia fuisse ostendit an. 1697. quò Innocentii hortatu pax inter Christianos Principes fuit inita, quamvis haud diuturnò tempore duratura: expectata enim permultis aut inter spem aut metum prævisa mors Caroli II. Hispaniæ Regis sine prole mortui an. 1700. pacem abruptit, ab eo tempore necdum bene firmatam. Anno 1697. tumulo illatus fuit Poloniae Rex Joannes, cujus in thronum, invitis maximè Gallis, investus est Fridericus Augustus Saxonum Elector, postquam ejuratâ Lutheri doctrinâ, contemptoque paucorum in Saxonia Ducum exemplò, antiquiorum suorum avorum ac atavorum vestigiis inhærens Pontifici Romano sacramentum dixit. Conversionis hujus acceptò nuntiò admodum recreatus Innocentius, paratum se jam mori aiebat: mors tamen à DEO vitæ arbitro in annum 700. supra 1000. dilata fuit, ut Sedis anno 9. Innocentius XII. cum præterito Seculo expiraret, & vivere in coelis occiperet æternitatem.

### *Reflexiones Historicae supra Seculum decimum septimum.*

**D**EO sint laudes in cœlo maximæ, quòd Romani Pontifices hòc proximò Seculò eam & se, & universam Ecclesiam gubernandi methodum sibi præfixerint, ut vix habeant eorundem observatores vigilantissimi, quod carpant meritò. Hübnerus profectò tametsi corraserit omnia, paucis contentus esse jussus est, Summorum Præfulum rectè factis convictus totus. Is tamen tacitis laudatissimorum aliàs Pontificum laudibus hæc septem maximè capita virgulâ notavit censoriâ.

- I. Pontifices hòc tempore eandem vim non adhibent amplius, sicuti quondam, sed locò anathematis & omisissis verbis dirarum plenîs, his in speciem amicis utuntur vocibus: *omnia tibi dabo, si cadens adoreris me.*
- II. Pontifices hoc tempore diligenter evitant Concilia, & res controversas in dubio relinquunt.

III. Liber



- III. Liber Bononiæ impressus, ac Paulo V. Pontifici dedicatus hunc in fronte præ se tulit titulum: *Paulo V. Vice-Deo, Christianæ Reipublicæ Monarchæ invictissimo, & Pontificiæ Omnipotentia Conservatori acerrimo.*
- IV. Gregorius XV. Nepotismum ad supremum gradum usque perduxit, dum cognato suo Barberino 227. beneficia concessit præter ingentem auri summam.
- V. Sedente Innocentiô X. Olympia Maldachina Pontificis fratris vidua beneficia ferè omnia distribuit, & multa alia disposuit.
- VI. Idem non corde, sed ore tenus damnavit propositiones Jansenii.
- VII. Alexander VII. creatus Pontifex triplici votò se obstrinxit, primò scilicet pacem Ecclesiæ conservandi, secundò populum Romanum à quibusdam oneribus liberandi; tertiò consanguineos suos Româ excludendi: votorum tamen horum observavit nullum.

### Responsio I. ad I.

**A**TTENDE hic gnæviter, Hübnerè, ne nimiùm contradicas tibi in uno eodémque folio: ais enim, *Pontifices hòc tempore non facile adhibent eandem vim, quam quondam &c.* Cùm tamen eodém foliò scil. pag. 196. asseras, à Paulo V. Venetorum Rempublicam anathemati fuisse subjectam, eò quòd ipsa noluerit Clericis obedire. En! quam verborum constantiam tuus observet calamus! An non eandem vim, aut potestatem veriùs adhibuit Paulus Pontifex adversùs Venetos, quam usurpare solebat vetus Ecclesia adversùs passim plurimos, qui velut Ethnici & publicani Ecclesiam audire noluerunt? Displicet nimirum tibi summo perè, ut tuis in libellis notavi sæpiùs, anathematis sententia à Romano Iudice in Viros Principes, hæreticos, aut quosvis alios pertinaciâ insignes homines lata. Sed obsecro, computa tempora, intuere fixis oculis Ecclesiæ recentioris statum; sed & veteris Ecclesiæ gubernacula haud vagis respice oculis. Tunc enim verò latere te non poterit, anathematis sententiam nec Testamento Veteri, nec Apostolis, nec primitivæ Ecclesiæ fuisse ignotam. Si tamen hæc nescias, adverte huc aures, te paucis docebo. *S.* Scripturæ codicem fac inspicias, in eodem perlege Numerorum cap. 21, Deuteronomii cap. 7. & 13. Josue cap. 6. & 7. Judicum c. 1. Zachariæ cap. 14. Malachiæ cap. 4. *B.* Pauli epistolam ad Rom. atque in ea-



dem cap. 9. Ad Corinth. c. 12. & 16. ad Galat. cap. 1. Hisce aliisque Oraculis divinis docti sunt Romani Præsules inter eos, qui in Ecclesia sunt, & illos discrimen interponere maximum, qui tanquam membra putrida ab Ecclesiæ vegeto corpore rescentur. Atque ne te prætereant exempla antiquissimorum Pontificum anathemate multos confitentium, præsentem aspice seriem:

D. Clemens I. seditionem in Ecclesia Corinthiorum de rebus Ecclesiasticis exortam per severissimam epistolam Romanæ Ecclesiæ nomine conscriptam compescuit, interpositò interdictò circa annum à partu Virginis 100.

D. Hyginus Pontifex numerò X. Cerdonem hæresiarcham è fidelium cœtu ejecit circa annum 152.

D. Victor Pontifex num. XV. Theodatum Pizantinum, quòd Christum tantummodò hominem negatà Deitate profiteretur, damnavit atque Ecclesiæ communionem privavit circa annum 200.

D. Zephyrinus Pontifex XVI. Praxeam, Sabellium, Valentinum, Proclum &c. anathemate confixit circa annum 220.

D. Cornelius XXII. Pontifex, & unà Concilium Romanum, constans 60. Episcopis, Novatianum hæresiarcham, ac primum adversùs legitimum Pontificem schismaticum damnavit &c. circa annum 252.

D. Stephanus Pontifex XXIV. Episcopos Synodi Iconiensis, quòd hæreticos ritè baptizatos denuo baptizarent, excommunicavit circa annum 260.

D. Felix I. Pontifex XXVII. errores Sabelli & Samosateni damnavit, proscriptis errorum authoribus.

D. Sylvester Pontifex XXXIV. Arium cum sequacibus damnavit, & condemnatos Ecclesiæ communionem privavit, consentiente totà Synodò Nicænà circa annum 330.

D. Siricius Pontifex XXXIX. Jovinianum cum sectatoribus condemnavit, ac ex Ecclesiæ gremio ejecit circa annum 390.

D. Innocentius I. Pontifex XLI. Arcadio Imperatori cum Eudoxia Imperatrice, ob D. Chrysostrum in exilium abire compulsus, Ecclesiæ aditu interdixit circa annum 412.

D. Am-



D. Ambrosius jam prius circa annum 390. Theodosium M. ab aris removit, ob eadem Theffalonicæ permissam.

Nicetius Archiepiscopus Trevirensis Theodobertum Austrasiæ Regem ob adulteria è communione fidelium an. 534. exclusit. Similem sententiam tulit adversus Clotarium Gallorum Regem an. 560. vide *Hübneri tom. VII. fol. 654.*

Lindbertus Archiepiscopus Moguntinus, exemplò Hadriani II. etiam motus, mirè contradixit Lothario Austrasiæ Regi ob vetitas nuptias anathematis sententiâ confixo. Ob has ipsas Regis Lotharii cum Waldrada contractas nuptias

Hadrianus II. Pontifex ab omnibus laudatus circa annum 888. Guntharium Archiepiscopum Coloniensem Waldradæ fratrem, quòd illas ipsas sororis nuptias propugnaret, ab aris removit. *eodem tomul. VII. vid. fol. 33. & 783.*

Engelbertus Archiepiscopus & Elector Trevirensis Henricum Comitem Limburgensem, quòd invasisset Ecclesiæ bona, ab Ecclesiæ ingressu an. 1091. arcuit. *eod. tomul. vid. fol. 672.* exempla similia in eodem tom. VII. & aliis deprehendet solers Lector complura.

Constat non minùs vel etiam ex Hübnerianis tomulis, à primis Conciliis anathemate proscriptos fuisse hæresiarchas permultos, & unà horum fautores, licèt potentissimos.

Jam verò Lutherus ipse cum asseclis suis ferè omnibus valde commendat trium aut quatuor primorum seculorum Pontifices, uti sæpe ex ipsius verbis intelleximus: Hübnerus verò mirè extollit prima Ecclesiæ Concilia. Minimè vituperat prædictos Archiepiscopos Moguntinum & Trevirenses; imò recenset in iisdem citatis foliis præclara miracula, quibus Deus anathematis sententiam ab ipsis in reos latam comprobavit. Commendavit insuper hos ipsos Archiepiscopos à virtutibus; & præcipuè Nicetium laudat à  *dono Prophetico &c.* Igitur Pontificum ultimorum censuras in reos latas, cur quisquam Lutheranorum rideat, aut contemnendas putet, haud dispicio. Anathematis abusus solùm si Hübnerus cum lociis reprehenderet, nemo facilè pugnaret cum ipso. Verùm propter abusus, tollere usus laudabiles, vel eosdem carpere, prudentes necdum docuère, aut didicère,



## Responsio II. ad II.

**C**ONCILIA, ut audio, congregari cupit Hübnerus, ut tollantur in Ecclesia controversiæ: faciam ejus desiderio ex parte latius, dabo Concilia. Fuit duobus abhinc ferè Seculis Concilium Tridentinum; fuit paulò antè Concilium Lateranense V. fuit priori Seculò Concilium Florentinum; fuit eòdem Seculò Synodus Constantiensis & Basileensis. An ideo finem accepere controversiæ? imò controversiis novis iisque gravioribus ansam præbuere, quemadmodum de Constantiensi & multò magis Basileensi novit orbis universus. Si in Conciliis unicè querendus est Controversiarum Judex Supremus, cur Lutherus adeò fugit Tridentum? cur aliud conglobavit Wittenbergæ annò 1536. nonne ut ipse Judicis Supremi personam sustineret à nemine judicandus, velut ipse gloriatur in suis libris: an per illam vestram synodum in nova Ecclesia vestra sublatae sunt omnes controversiæ? an non potius novis identidem litibus sparsum est semen, ut zizania indies crescerent? Quem item eventum sortitus est conventus alter anno 1568. volentibus Augustò Electore Saxone, & Joanne Guilielmo Saxoniae Duce Altenburgi institutus, in quo sex Electorales, & totidem Ducales Doctores, cum de solo Justificationis articulo disceptarent, tantum dissidium inter litigantes ortum fuit, ut se *Servetianos, Antinomos, Euthusiastas, Manichæos, Epicuræos, Pseudo-Prophetas, profanos, stolidos, talpis ceciores &c. &c.* appellarint, spe nullâ ullius concordiae auditoribus relictâ. Vide P. Richler c. 2. art. 3. de Nota unitatis. Et quæso te! quale Concilium celebratum fuit ab Apostolorum tempore usque ad Nicænæ Synodi Seculum post Christi Nativitatem jam quartum? si itaque prima Ecclesia haud indigebat Conciliis, cur indigeat hodierna? Synodos autem Oecumenicis minores si fortè institutas esse à primis Pontificibus contendas, tales tibi & Roma plures his nostris ultimis Seculis celebratas esse monstrabit: quid enim est Romana Curia, quàm perpetua Congregatio Cardinalium & Episcoporum minori Synodo haud dissimilis? telum igitur tuum, Hübnerè, à Conciliis adversus hujus Seculi Pontifices extortum an advertis, quàm hebes sit ac infirmum?

Respon-



## Responsio III. ad III.

**Q**uòd Bononiæ impressus, ac Summo Pontifici Paulo V. dedicatus liber in fronte recitatum exhibuerit titulum, nec ausim ego diffiteri, sed nec confiteri malim, cum solus id mihi asserat Hübneris, testis omni scilicet major exceptione. Sed quid tum, si talis liber fuisset oblatum Pontifici, aut hodie dum mille offerrentur tales? an eam ob rem culpandi Pontifices, an potius Pontificum adultores hostes omnium pessimi? si adulatorum facibus aulas Pontificum, Imperatorum ac Regum purgaveris, rem præstitisti bonis omnibus oppidò gratam. Verum cum multis Seculis huic arti operam impenderis, aquam cribrò te hausisse dolebis. Cæterum paucis notare etiam ne tædeat te, quibus honorum phaleris sese ornasse ausus fuerit Lutherus; quibus item titulis honorarint Saxones suos Electores, præsertim Mauritium Oenipontò reducem &c. talia, inquam, notare ne te tædeat, & tum, Hübnerem, digitum ori impones, & rubore suffusus tenebras quæres.

## Responsio IV. ad IV. &amp; V.

**S**olent permulti familiari adagiò suò dicere: stultorum unus plus potest affirmare, quàm mille prudentes refutare. Verum cum illis haud ego sentiam: stultorum enim dicta cum fundamento careant, suâ sponte, velut rimosus paries labuntur, ariete haud opus habent. In stultorum numero haud ego Hübnerum colloco, ut tamen prudentum more de Romano Pontifice verba faciat, id jure requiro. Edisserat igitur, quæ aut qualia fuerint ducenta illa & plura alia beneficia, quæ Gregorius XV. suo nepoti Barberino concessit. Edoceat etiam vel adductis testibus, vel congruis argumentis, Innocentium X. fratris sui viduæ Olympiæ Pontificiam potestatem penè totam reliquisse, quin ejusdem amori vix satis casto se consecrâsse senem Pontificem. Quòd vel Gregorius XV. in gratiam suorum nepotum, vel Innocentius in favorem affinis suæ multa præstiterit non præstanda, asserat pace meâ, quisquis volet, haud vanò inductus testimoniò. Quòd verò id usque adeò gravi vitio vertendum sit, non satis penetra. Fuit nempe Gregorius XV. in omnes liberalissimus & munifi-

cen-



centissimus, cur non etiam in propinquos suos, servatò tamen modera-  
mine? Tribuit multorum favoribus Innocentius X. passim multa benefi-  
cia; cur non tribuerit aliquid fratris uxori viduæ, foeminae inter foeminas  
penè viro? si Hübnerus famæ, quæ crescit eundò, & vulgi rumoribus,  
qui à mendacis augmentum sumunt maximum, atque infamibus Italo-  
rum libellis nec ipsi Deo parentibus aures præbeat, & fidem tribuat, tunc  
enim verò Pontifices passim multos audiet reos, nec enim omnibus satisfacere  
humana fert conditio; nec ab omnium linguis aut diceriis immu-  
nem esse patitur malevolorum maledicentia. Unde etiam M. T. Cicero  
Romam *suspiciosissimam & maledicentissimam urbem* jam tum vocabat,  
cùm ad populum Romanum pro Flacco dicebat. Hic denique meritò  
subit mirari, cur Hübnerus Pontificum quosvis defectus in foeminarum  
confortio admissos tam solerter observet; festucam denuo in oculis alio-  
rum videt, trabem in suis & suorum oculis negligit. Lutheri scilicet po-  
tenti operà sexus foemineus etiam ruptis claustris ex monasteriis erum-  
pens, in Germaniæ maximè partibus cœpit ita dominari, ut Lutherani  
etiam hodiè cum veritate de se dicere possint: *omnis caro fœnum*. Isaia  
c. 40. &, *mulieres dominatæ sunt eis*. Isa. c. 2.

### Responsio VI. ad VI.

**H**ACTENVIS Hübnero satis fuerat externa maximè Pontificum  
opera criminari; nunc etiam cœpit rimari internos animi motus,  
& communem cum DEO affectat scientiam, dum ait, Innocen-  
tium X. *non corde, sed ore tenus damnasse propositiones Jansenii*. Verum-  
nimverò quid animo volverit Innocentius, vel tibi aut aliis Deus Scrutator  
cordium revelavit, vel seipsum signis externis prodidit Innocentius? pro-  
me igitur signa, ostende indicia, quibus se manifestavit Pontifex aliud ore,  
aliud corde gerens. Si vacat tibi hoc etiam modò & scribendi methodò  
Pontificum sensa interpretari, cur non fas sit mihi dicere, Lutherum ore  
tantùm, non autem corde damnasse Romanam Fidem? si tamen de Luthe-  
ro hoc capere nequeas, certus esto de millenis aliis, Lutherum ore tantùm,  
non corde sincero profitentibus, quibus quò minùs nobiscum agant vel  
humanus obstat respectus, vel officii ratio, vel aliorum temporalium bo-  
norum







atque confundat hos viros Hübnerus, vel se confutatum atque confusum fateatur. Ego cum honore ac laude Alexandro relicto ad Lutherum me confero: hic enim relatam de Alexandro fabulam monstrabit suam esse Historiam. Edic itaque, Hübner, an non etiam Antipodum genti pervulgatum est, Lutherum triplici, eoque solenni voto obstrinxisse sese Divino Numini, cui promisit, se constanter exhibiturum Romano Præsuli & suis Superioribus obedientiam integram: se custoditurum semper paupertatem Religiosam: se servaturum castitatem perpetuam. At Lutherum ruptis votorum nexibus inhiâsse divitiis ac dominiis; rebellâsse Pontifici & suis Præsidiis; junxisse sibi sacratam Deo virginem, an non ipsimet fatentur Lutherani & cachinnantur Judæi? en! quàm bellè in Luthero tuo deprehendas, quod in Alexandro malè præsumebas deprehendere! hunc, obsecro, aliòsque non paucos errores tuos fac animo firmitus infigas tuo: repetamus idcirco simul compendiò, de quibus ac quantis postularis criminibus Romanorum Antistitum plurimos. Aliis, ut noveris, arrogantiam, libidinem aliis, aut Simonia labem, aut in Fide errores, aut zelum indiscretum, aut vitia alia ferè enormia opponebas. Tria hinc ego rerum capita ut observes probè, tibi consulo. Cura imprimis, ut majori rationum aut testium pondere Romanos Pontifices de vitiis arguas. Alterum, quod observes velim, quàm parvo nimirum numero sint illi Pontifices, quorum causam sanè pessimam comperta produnt crimina. Tertium est, quod rogo te enixissimè, ut attendas nempè sedulo, num in Luthero vel Lutheri sectatoribus deprehendas crebrò ea vitia, quæ in Romanis Pontificibus te hactenus non deprehendisse fatearis, necesse est, si tamen suffragium non neget veritati Historiæ pupillæ. Finiam hinc ego Historiam meam; tu hanc, Hübner, cum sociis eo perlege animo, quod ego eandem conscripsi. Si pari affectu eam vos pervolveritis, & mihi, usitata Historicis methodo, responderitis, plurimum me vobis debere fatebor; hac enim via meam consequar metam & finem optatissimum.



*Seculum*



*Seculum decimum octavum.*CCXLIV. Clemens XI. Albanus  
Urbinas.

**J**OANNES Franciscus Urbini Umbriae principi urbe natus est anno 1649. ex illustri genitore Carolo Albano de Patritia Albanorum gente, togâ & sagô plurium virorum insignium conspicua. Annum numerans ætatis undecimum à Carolo patre Romam perductus, in Collegio Romano sub cura Patrum Societatis fundamenta posuit virtutibus ac scientiis; quales ac quantæ sint, procul dubio orbis noverit universus. Vigesimalium ætatis annum emensus inter Canonicos D. Laurentii in Damaso cooptatus, post exactum ibidem septennium facile viam ad ardua invenit munia: ab Innocentio enim XI. variis exornatus officiis, ab Alexandro VIII. promeritam dudum purpuram accepit anno 1690. Toto dein decennio tam Alexandro, quàm Successori Innocentio XII. dum in negotiis omnibus difficillimis præsto fuit, anno demum 1700. ætatis 51. in Pontificem eligi ante quosvis æmulos ætate multum superiores promeritus fuit; etsi unus ipse se indignissimum tanto honore constanter diceret, fufis in rei fidem copiosis precibus & lacrymis, quibus Pontificiam tiaram in digniores se, ut aiebat, transferri dum petendo nihil effecerat, postulare multo tempore non destitit. Postquam verò se precibus & lacrymis perorasse incassum animadvertit, manum ad Ecclesie clavum admovens, supremi Nacleri munus numeris omnibus implevit ab exordio suo usque ad finem perseverans perbene: in principio enim regiminis sui immortale sibi jam comparavit nomen, iniquissimo tempore Pontifi-



catuum suum auspiciatus & prosequi coactus, quo nimirum Imperatores  
 gemini, Leopoldus Pater & Josephus Filius mortem oppetiēre bellis  
 fatigati perpetuis, Fratre CAROLO Rege & mox Imperatore belli  
 discriminibus maximis pariter implicito: adhuc tota Europa bellis inun-  
 dante; Gallia maximè & Belgio Jansenii zizaniis infecto; Turcarum  
 copiis Peloponensium rapientibus, & paulò post Hungariam rupto in-  
 duciarum fœdere invadentibus; Hispanis etiam novis his belli turbini-  
 bus ansam præbentibus; tandem tamen diversis bellantium partibus in  
 pacis partes ita consentientibus, ut inter Germaniam & Galliam, ac  
 tandem etiam Hispaniam arma quieverint, ut incrementum Ecclesia  
 & Imperium sumerent annitente plurimum Romanorum Pontifice  
 Clemente & CAROLO Cæsare. Quibus denuò accessit ita maxima  
 pars Gallia, ut post gravissimas inter Episcopos & Doctores contro-  
 versias eorum alii manus victoribus porrexerint, pertinaciores alii  
 exulare, aut minimùm filere iussi fuerint Ecclesiastica simul & Regia  
 potestate coërciti. Inter tot Ecclesia & Reipublicæ fluctus ac tem-  
 pestates ut non deessent, qui Petri naviculam supremo Naclero  
 navarchi proximi juvarent dirigere, diversis annis & vicibus Car-  
 dinales universim 50. vel plures sibi selegit, universæ terræ cardines  
 ritè firmaturus. Ut simul Ecclesia Romana plures eosque novos  
 numeraret inter Cœlites Patronos, Divorum numero accensuit  
 DD. Pium V. Pontificem ex Ordine D. Dominici, Andream Avel-  
 linum Ord. S. Cajetani, Felicem Cantalicem Capucinum, & Cathari-  
 nam Bononiensem Ord. S. Clarae. Beatorum honores publicos Fran-  
 cisco Regis, Stanislao autem Kostka eidem Beatorum Catalogo jam  
 olim inserto decrevit cultum Divis proprium, necdum tamen ritu  
 solenni promulgatum. Tanta Clementis XI. gesta ornârunt multis  
 modis virtutes multæ, quibus per annos 21. & menses 4. illustra-  
 vit Ecclesiam adeò, ut plurimi Pontificum hoc nostro præsertim tem-  
 pore Argi & observatores oculati nihil invenerint, quod jure crimi-  
 narentur, sæpè convicti virtute contraria, dum vitium malè notare,  
 & malè notatum in vulgus spargere infamibus libellis & paginis non  
 sunt veriti. Fecerunt proin ii optimè, qui post fata Clementis hu-  
 jus scripserunt, talem ac tantum hunc extitisse Pontificem, qualis ac  
 quan-



quantus fuerit meritis inter paucos, eosque maximi nominis Pontifices numerari: paucis nimirum in Pontificum longâ serie cessit, annorum numero minor, multis præcessit, virtutum decore & ritè gestorum gloria longè major.

## CCXLV. Innocentius XIII. Romanus.

**M**ICHAEL Angelus de Comitibus ex illustrissima & vetustissima Romana Principum familia natus longâque Romanorum Pontificum ac Cardinalium hæc ex familia descendenti serie ornatus, & ipse tandem Cardinalis ac Summus Pontifex anno præsentis nimirum 1721. electus his maximis honoribus prælusit iis muneribus, quæ plus oneris, quàm honoris secum ferre consueverunt: Nuntius enim missus est ad Helvetiorum Republicam; dein verò ad Lusitanæ Regem inter difficultates versatus perpetuas. Semper in eo omnium admirationem merita est perspicax prudentia, & constantia summa, quæ etiam in vultu constanter innubi inter difficultatum nubila & nebulas fuit notata. Jurium Ecclesiæ & Authoritatis Pontificiæ retinentissimus erat, parùm metuens homines qualescunque, cum DEI & Ecclesiæ causam ageret. Omnibus æquis ex æquo æquissimus nulli partium studio unquam irretitus, flecti non poterat, ut aliò inclinaret, quàm quo Justitia & Honestas traherent. Rara & gloriosa felicitate omnium, ut ajunt, omninò Cardinalium Electorum votis Pontifex electus, omnibus statim orbis Principibus gratus acceptusque habebatur. Corporis statura excelsa, facies Majestate plena cum naturæ, scientiarum & virtutum selectissimarum dotibus conjuncta promisit Urbi & Orbi universo non nisi faustissima; quorum non exiguam partem cum inter spes Pontificias experti fuimus, & experiri diutiùs ardentè desideravimus, inexpectatam mortem cum facinoribus intra duorum annorum & decem mensium breve compendium optimè patratis dolore omnium singulari intelleximus. Atque Pontificem hunc jure gratulari sibi poterant per Ecclesiam Orthodoxam regna universa, præcipuè verò post



Italiam Germania, Gallia, Hispania &c. quæ in pace perpetua conservare dum studuit, conservavit, Pontifex *verè Pacificus* dicendus. Omnium loco sit testis Gallia tot malis in exordio Pontificatus Innocentiani oppleta, ut eidem regno ruinam ultimam vel ipsi hostes domestici, Religione parùm Catholici, minitati fuerint. Rem tamen oppidò periculofam partim cunctorum, partim multa pacificè significando restituit, latus in silentio; & gloriam dans Deo. Multa alia egit, multa alia cœpit agere universæ Ecclesiæ meritò jucunda, quæ tamen in Benedictum XIII. transtulit Christus humano Judice & Pontifice major Judex & Pontifex, vocato ad cœlestem Pontificum seriem Innocentio XIII. an. Salutis nostræ 1724. 7. Martij.

## CCXLVI. Benedictus XIII.

### Neapolitanus.

**B**ENEDICTUS XIII. ex illustrissima Ursinorum Prosapia an. 1649. 2. Feb. natus, & non nisi optimis moribus ac virtutibus ab in-cunte ætate exornatus, ex clarissimo suo sanguine in Ecclesiastico simul & Politico statu nactus est profectò multos viros, à quibus ad honores & dignitates piè desiderandas est invitatus. Proinde instar prodigii videri poterat, quòd opere non fuerit pertractus: præterquam enim, quòd una ex parte Senatorum, Ducum ac Consulum ex Ursino stemmate prognatorum agmen integrum ad sui imitationem alliceret, ex parte altera quadraginta purpurati Patres & quatuor Pontifices ad Ecclesiasticas dignitates præclaris suis facinoribus raperent, incitamentum Vincentio Ursino juveni inter Magnates fortiter retinendo fortissimum esse poterant decem Reginae ex Ursina domo ad sublimia Europæ solia evocatæ, simulque duodecim partim Imperatorum, partim Regum filia nuptiali fœdere Ursino Nomini desponsatæ. Tot tamen ac tantis honorum vinculis non captus Vincentius, sese capiendum ultrò dedit totum aliis ex eodem Ursino stemmate natis antecessoribus, vitæ Probitate & morum Sanctitate clarissimis, quorum octodecim nomina ordine temporum referunt Historici sequenti tabula:



- |   |  |              |
|---|--|--------------|
| 1. DD. Joannes & Paulus Urfini fratres Martyrio coronati. |  | secul. IV.   |
| 2. D. Ursinus Episcopus Bituricensis.                     |  |              |
| 3. D. Volusianus Martyr Archiepiscopus Tolosanus.         |  |              |
| 4. D. Benedictus Monachorum Patriarcha.                   |  |              |
| 5. D. Scholastica D. Benedicti Soror.                     |  | secul. VI.   |
| 6. D. Ursinus Presbyter.                                  |  |              |
| 7. D. Batildis Clodovæi II. Francorum Regis conjux.       |  | secul. VII.  |
| 8. D. Paulus I. Sum. Pont.                                |  | secul. VIII. |
| 9. D. Albertus Episcopus Pragensis.                       |  |              |
| 10. D. Gaudentius Pragensis Episcopus.                    |  | secul. X.    |
| 11. D. Bernardus Episcopus Aprutinus.                     |  |              |
| 12. D. Joannes Episcopus Traguriensis.                    |  | secul. XII.  |
| 13. D. Jordanus S. R. E. Card. Cisterciensis.             |  |              |
| 14. D. Valerius Episcopus Nucerenis.                      |  |              |
| 15. D. Matthæus Card. Ord. Prædicat.                      |  | secul. XIII. |
| 16. D. Joannes Monachus Cassinensis.                      |  |              |
| 17. D. Latinus Card. ejusdem Præd. Ord.                   |  | secul. XIV.  |

Tot Divorum sanguine sibi junctorum secuturus vestigia, & exempla vetera exemplis novis renovaturus Vincentius, magnanimo pede calcatis quibusvis honorum gradibus in D. Dominici familia ad religiosæ paupertatis & obedientiæ pedes sese abjecit juvenis castitatis perpetuæ studiosissimus. Paucis annis ibidem in addiscenda virtute & doctrina positus an. ætatis suæ 23, à Clemente X. Pont. an. 1672. ad Cardinalitiam dignitatem invitatus maximè est promotus; quo ex tempore arduum suum munus ex amussim adimplevit, simul tamen etiã à religiosis suis fratribus diversum nihil expetivit, candidis enim D. Dominici insignibus probè retentis, inter Monasterii claustra maximam temporis partem degebat habitu, habitatione, linguâ, manu, mensâ totus D. Parentis sui filius perpetuus. Verbis fecerunt fidem facta non pauca, quibus nunc de genu supplex à sui Ordinis moderatoribus piacularè signum extorsit; nunc ad peregrinorum pedes abluendos sacras manus admovit; nunc ægrotos ex infima etiã plebe invisit; nunc inter mendicorum turmas stipem largissimam distribuit, nunc diebus solennioribus Christiana elementa congregatis parvulis explicavit; nunc ad confertissimum auditorium dixit, ipsius D. Gregorii M. Ambrosij, & Chrysostomi glorioso nomine



mine ab Auditoribus simul & Scriptoribus honoratus diligere decorem domus Dei gnaviter doctus, aut veriùs alios ipse docens, templa & altaria plurima suismet impensis priùs exornata divinis honoribus consecravit adeò, ut Cardinalem Ursinum simulque Archiepiscopum Beneventanum jam in priori seculo ingens sacrarum ædium numerus vel conditorem, vel restauratorem munificentissimum fuerit veneratus. Plura de recens creato Pontifice Benedicto XIII. memorare abstineo, quamvis non deessent plura singulari encomio dignissima capita. Haftenus etiam de vivo Pontifice multa dicere non fuisset mens aut animus, nisi pleraque pridem dicta, scripta, & typis publicis impressa mihi suppeditassent libri in orbe jam notissimi, ex quibus non tam Poëtarum præsentia, quam vaticinia colligere licuit; in rei testes legantur verba Authoris quinque ab hinc lustris jam in lucem edita & ita sonantia: *que dum mecum reputo, Eminentissime Princeps, dumque vel dignitatem tuam, vel rerum à te gestarum amplitudinem animo complector, non sine aliquo fortasse Nummis afflatu sic statuendum censeo: Te, qui nunc libros de anni sancti Jubileo privatis auspiciis ad publicam utilitatem foro committi imperas, post quinque NB. lustra Pontificia auctoritate diploma de anno sancto indicendo promulgaturum.*

Accessit in ejusdem Authoris opere programma in oraculum sanè conversum. Author ita scripsit:

*En programma!*

*Vincentius Maria Ursinus Dominicanus.*

*En Oraculum!*

*Vir mirus scando in Vaticanum sine nisu.*

Vaticanum conscendisse sine nisu, sine labore, sine ambitu, contemptum jam habet Orbis non orthodoxus duntaxat, sed & Heterodoxus; cum temporis nostri historia etiam A catholicorum tabulis publicis impressa inter alia testetur Lectoribus, Vincentium Ursinum ea methodo electum esse Romanum Pontificem, ut ipse solus unanimi Cardinalium Calculo repugnârit, quinquaginta duorum annorum jam Cardinalis Ecclesiæ obedientissimus, & ob hoc ipsum Supremo Solio dignissimus.

CHRO.





# CHRONOLOGIA ROMANORUM PONTIFICUM

Ab

Anno Christi 45. usque ad annum 1720.

## Seculum I.

I.	Libri Fo- lium,	Anni Sedis Pont.	Menses Sedis Pont.	Anni Chri- sti,	Notabile tempus Sed, Vac.
D. PETRUS.	fol. 1,	24	5	69	- -
2. D. Linus.	3	11	2	80	- -
3. D. Cletus.	4	12	7	93	- -
4. D. Clemens.	4	9	6	102	m. 4.

## Seculum II.

5. D. Ancletus.	19	9	3	112	- -
6. D. Evaristus,	19	9	3	121	- -
		Ccc 5			7. D. Ale-



*Chronologia Romanorum Pontificum.*

	Lib. fol.	Añi S. P.	M. S. P.	Añi Chr.	N. T. S. v.
7. D. Alexander I.	20	10	5	132	--
8. D. Sixtus I.	20	9	10	142	--
9. D. Telesphorus.	21	11	9	154	--
10. D. Hyginus.	21	4	--	158	--
11. D. Pius I.	22	9	6	167	--
12. D. Anicetus.	22	8	8	175	--
13. D. Soter.	23	4	--	179	--
14. D. Eleutherius.	23	15	--	194	--
15. D. Victor.	24	9	2	203	--
<i>Seculum I II.</i>					
16. D. Zephyrinus.	30	18	--	221	--
17. D. Callistus.	31	5	1	226	--
18. D. Urbanus I.	32	6	7	233	--
19. D. Pontianus.	32	4	5	237	--
20. D. Antherus.	33	--	1	238	--
21. D. Fabianus.	33	15	--	253	--
22. D. Cornelius.	34	2	--	255	--
23. D. Lucius.	35	1	4	257	--
24. D. Stephanus.	35	3	1	260	m. I.
25. D. Sixtus II.	36	1	--	261	m. I.
26. D. Dionysius.	36	11	3	272	--
27. D. Felix.	36	2	5	275	--
28. D. Eutychianus.	37	8	--	283	--
29. D. Cajus.	37	12	4	296	--
30. D. Marcellinus.	38	8	--	304	--
<i>Seculum IV.</i>					
31. D. Marcellus.	44	5	2	309	--
32. D. Eusebius.	45	2	7	311	--
33. D. Melchiades.	45	2	2	313	--
34. D. Sylvester.	46	21	11	335	--
35. D. Marcus.	47	--	8	336	--
36. D. Julius.	47	15	5	352	--

37. & 38.



*Chronologia Romanorum Pontificum &c.*

	Lib. fol.	Añi S. P.	M, S, P.	Añi Chr.	N. T. S. v.
37. & 38. D. Felix & Liberius successivè,	48	15	--	367	4
39. D. Damasus,	48	17	3	384	m. 1.
40. D. Siricius,	49	13	1	398	--
<i>Seculum V.</i>					
41. D. Anastasius,	49	4	1	402	--
42. D. Innocentius I.	54	15	1	417	--
43. D. Zosimus,	54	1	4	418	--
44. D. Bonifacius I.	55	5	--	423	--
45. D. Coelestinus I.	55	8	5	432	--
46. D. Sixtus III.	56	8	--	440	--
47. D. Leo I.	57	20	m. 10.	461	m. 7.
48. D. Hilarius,	58	5	10	467	--
49. D. Simplicius,	59	15	5	483	--
50. D. Felix III.	58	9	--	492	--
51. D. Gelasius,	59	4	8	496	--
52. Anastasius,	60	2	--	498	--
<i>Seculum VI.</i>					
53. D. Symmachus,	65	15	8	514	--
54. D. Hormisda,	66	9	--	523	--
55. D. Joannes I.	67	2	9	526	m. 2.
56. D. Felix IV.	67	4	21	530	--
57. D. Bonifacius II.	68	1	--	531	--
58. D. Joannes II.	68	4	--	535	--
59. D. Agapetus,	69	1	--	536	--
60. D. Sylvester,	70	4	--	540	--
61. Vigilius,	70	15	--	555	--
62. Pelagius,	71	4	10	559	--
63. Joannes III.	72	13	--	572	m. 10.
64. Benedictus I.	72	4	1	577	--
65. Pelagius II.	72	12	2	590	m. 3.
66. D. Gregorius M.	73	13	6	604	--

*R. P. K. lb Series Pont. Pars III.*

Ddd

*Seculum*



*Seculum VII.*

	Lib. fol.	Añi S. P.	M. S. P.	Añi Chr.	N. T. S. v.
67. Sabinianus.	86	--	5	605	m. 11.
68. Bonifacius III.	87	--	8	606	--
69. D. Bonifacius IV.	87	6	8	614	m. 10.
70. D. Adeodatus.	87	3	--	617	--
71. Bonifacius V.	88	7	10	625	m. 6.
72. Honorius I.	88	12	--	638	--
73. Severinus.	88	1	--	639	m. 4.
74. Joannes IV.	89	1	9	641	m. 5.
75. Theodorus I.	89	7	5	649	--
76. D. Martinus I.	90	5	--	654	--
77. D. Eugenius I.	91	--	6	655	m. 2.
78. D. Vitalianus.	91	13	5	669	m. 2.
79. Adeodatus.	92	7	2	676	m. 4.
80. Domnus I.	92	1	5	678	--
81. D. Agatho.	93	5	--	682	a. 1. m. 4.
82. D. Leo II.	93	--	10	684	--
83. D. Benedictus II.	94	--	8	685	--
84. Joannes V.	94	1	--	686	--
85. Conon.	94	--	11	687	m. 2.
86. D. Sergius I.	95	13	8	701	m. 1.

*Seculum VIII.*

87. Joannes VI.	106	3	2	705	m. 2.
88. Joannes VII.	106	2	7	708	m. 4.
89. Sifinnius.	107	--	dieb. 20.	708	m. 1.
90. Constantinus.	107	6	1	714	m. 1.
91. D. Gregorius II.	108	16	8	731	--
92. D. Gregorius III.	109	10	9	741	--
93. D. Zacharias.	110	10	3	752	--
94. Stephanus II.	109	--	dieb. 4.	752	--
95. Stephanus III.	110	5	4	757	m. 1.
96. D. Paulus I.	111	10	1	767	an. 1.

97. Ste-



*Chronologia Romanorum Pontificum &c.*

	Lib. fol.	Añi S. P.	M. S. P.	Añi Chr.	N. T. S. v.
97. Stephanus IV.	111	3	6	772	--
98. Hadrianus. I.	112	23	10	795	--
99. D. Leo III.	113	20	5	816	--

*Seculum IX.*

100. Stephanus V.	126	--	7	817	--
101. D. Paschalis I.	126	7	3	824	--
102. Eugenius.	127	3	2	827	--
103. Valentinus.	128	--	1	827	--
104. Gregorius IV.	128	16	--	843	m. 5.
105. Sergius II.	129	3	1	847	--
106. Leo IV.	129	8	3	855	--
107. Benedictus III.	130	2	6	858	--
108. Nicolaus I.	131	9	7	868	m. 1.
109. Hadrianus II.	132	4	10	872	m. 1.
110. Joannes VIII.	132	10	--	882	--
111. Marinus.	133	1	1	884	--
112. Hadrianus III.	133	1	3	885	--
113. Stephanus VI.	134	6	--	891	--
114. Formosus.	134	5	--	896	--
115. Stephanus VII.	135	4	--	900	--
116. Romanus.	135	--	4	900	--

*Seculum X.*

117. Theodorus II.	136	--	dieb. 20.	901	m. plur.
118. Joannes IX.	146	3	m. 6.	905	--
119. Benedictus IV.	146	2	--	907	--
120. Leo V.	147	--	dieb. 40.	907	m. 6.
121. Sergius III.	147	3	--	910	--
122. Anastasius.	147	2	2	912	--
123. Landus.	147	--	6	912	--
124. Joannes X.	148	16	--	928	--
125. Leo VI.	148	--	m. 6.	929	--
126. Stephanus VIII.	148	2	1	931	--

Ddd 2

127. Joan.



*Chronologia Romanorum Pontificum &c.*

	Lib. fol.	Ani S. P.	M. S. P.	Anni Ch.	N. T. S. v.
127. Joannes XI.	149	4	10	936	--
128. Leo VII.	149	3	6	939	--
129. Stephanus IX.	149	3	4	943	--
130. Marinus, II.	150	3	6	946	--
131. Agapitus II.	150	9	7	955	--
132. Joannes XII.	151	9	--	964	--
133. Benedictus V.	151	1	1	965	--
134. Joannes XIII.	152	6	11	972	--
135. Domnus II.	152	--	3	972	--
136. Benedictus VI.	153	1	3	974	a. i. m. i.
137. Benedictus VII.	153	9	--	984	--
138. Joannes XIV.	154	1	--	985	m. 4.
139. Joannes XV.	154	10	4	996	--
140. Gregorius V.	154	2	8	999	--

*Seculum XI.*

141. Sylvester II.	160	4	9	1003	--
142. Joannes XVI. dictus XVIII.	161	--	5	1004	--
143. Joannes XVII. dictus XIX.	162	5	7	1009	m. i.
144. Sergius IV.	162	2	8	1012	--
145. Benedictus VIII.	163	12	--	1024	--
146. Joannes XVIII. dictus XX.	164	9	8	1034	--
147. Benedictus IX.	165	10	--	1044	--
148. Gregorius VI.	166	2	8	1046	--
149. Clemens II.	166	--	9	1047	m. 8.
150. Damasus II.	167	--	1	1048	m. 6.
151. Leo IX.	167	5	2	1054	an. i.
152. Victor II.	169	2	3	1057	--
153. Stephanus X.	170	--	8	1058	m. 8.
154. Nicolaus II.	170	2	6	1061	m. 3.
155. Alexander II.	171	11	6	1073	--
156. Gregorius VII.	172	12	1	1085	an. i.

157. Vi.



*Chronologia Romanorum Pontificum &c.*

	Lib.	fol.	Anni S. P.	M.	S.	P.	Anni Chr.	N. T. S. v.
157. Victor VII.	174		1		3		1088	m. 5.
158. Urbanus II.	174		11		4		1099	- -

*Seculum XII.*

159. Paschalis II.	199		18		5		1118	- -
160. Gelafius II.	200		1		-		1119	- -
161. Calistus II.	201		5		10		1125	- -
162. Honorius II.	202		5		1		1130	- -
163. Innocentius II.	203		13		7		1143	- -
164. Cælestinus II.	205		-		5		1144	- -
165. Lucius II.	205		-		11		1145	- -
166. Eugenius III.	206		8		4		1153	- -
167. Anastasius IV.	207		1		4		1154	- -
168. Hadrianus IV.	207		4		8		1159	- -
169. Alexander III.	208		22		-		1181	- -
170. Lucius III.	209		4		3		1185	- -
171. Urbanus III.	210		1		10		1187	- -
172. Gregorius VIII.	211		-		2		1187	- -
173. Clemens III.	211		3		9		1191	- -
174. Cælestinus III.	212		6		9		1198	- -

*Seculum XIII.*

175. Innocentius III.	220		18		6		1216	- -
176. Honorius III.	222		10		7		1227	- -
177. Gregorius IX.	223		14		5		1241	- -
178. Cælestinus IV.	224		-		dieb. 18.		1241	an. 2.
179. Innocentius IV.	224		11		5		1254	- -
180. Alexander IV.	225		6		5		1260	- -
181. Urbanus IV.	226		3		1		1264	m. 4.
182. Clemens IV.	227		3		9		1268	a. 2. m. 9.
183. Gregorius X.	228		4		4		1270	- -
184. Innocentius V.	230		-		5		1276	- -
185. Hadrianus V.	231		-		1		1276	- -
186. Joannes XIX. dictus XXI.	231		-		8		1277	m. 6.

Ddd;

187. Ni-



*Chronologia Romanorum Pontificum &c.*

	Lib.	fol.	Anni S. P.	M.	S.	P.	Anni Chr.	N. T. S. v.
187. Nicolaus III.	232		2		9		1281	--
188. Martinus II.	233		4		1		1285	--
189. Honorius IV.	234		2		8		1288	--
190. Nicolaus IV.	235		4		1		1292	a. 2. m. 3.
191. Cælestinus V.	235		-		5		1294	--
192. Bonifacius VIII.	236		8		9		1303	--

*Seculum XIV.*

193. Benedictus X.	254		--		8		1304	a. 1.
194. Clemens V.	255		8		10		1314	a. 2. m. pl.
195. Joannes XX. di- ctus XXI.	256		18		3		1334	--
196. Benedictus XI. di- ctus XII.	257		7		4		1342	--
197. Clemens VI.	258		10		7		1352	--
198. Innocentius VI.	259		9		8		1362	--
199. Urbanus V.	260		8		2		1370	--
200. Gregorius XI.	262		7		6		1378	--
201. Urbanus VI.	263		11		6		1389	--
202. Bonifacius IX.	264		14		11		1404	--

*Seculum XV.*

203. Innocentius VII.	280		2		--		1406	--
204. Gregorius XII.	281		2		6		1409	--
205. Alexander V.	282		--		10		1410	--
206. Joannes XXI. di- ctus XIII.	283		5		--		1415	an. 2.
207. Martinus III. di- ctus V.	284		13		3		1431	--
208. Eugenius IV.	286		15		11		1447	--
209. Nicolaus V.	287		8		--		1455	--
210. Calistus III.	289		3		4		1458	--
211. Pius II.	290		5		11		1464	--
212. Paulus II.	292		6		10		1471	--



*Chronologia Romanorum Pontificum &c.*

	Lib. fol.	Anni S. P.	M. S. P.	Anni Chr.	N. T. S. v.
213. Sixtus IV.	295	13	- -	1484	- -
214. Innocentius VIII.	296	7	10	1492	- -
215. Alexander VI.	297	11	- -	1503	- -

*Seculum XVI.*

216. Pius III.	312	- -	dieb. 26.	1503	- -
217. Julius II.	313	9	3	1513	- -
218. Leo X.	315	8	8	1521	m. 1.
219. Hadrianus VI.	317	1	8	1523	m. 2.
220. Clemens VII.	319	10	10	1534	- -
221. Paulus III.	321	15	- -	1549	m. 3.
222. Julius III.	323	5	1	1555	- -
223. Marcellus II.	325	- -	dieb. 22.	1555	- -
224. Paulus IV.	326	4	2	1559	m. 4.
225. Pius IV.	328	5	2	1565	m. 1.
226. Pius V.	330	6	3	1572	- -
227. Gregorius XIII.	333	12	11	1585	- -
228. Sixtus V.	336	5	4	1590	- -
229. Urbanus VII.	338	- -	dieb. 12.	1590	m. 2.
230. Gregorius XIV.	339	- -	10	1591	- -
231. Innocentius IX.	340	- -	2	1591	m. 1.
232. Clemens VIII.	342	13	1	1605	m. 1.

*Seculum XVII.*

233. Leo XI.	355	- -	dieb. 26.	1605	- -
234. Paulus V.	256	15	8	1621	- -
235. Gregorius XV.	358	2	5	1623	- -
236. Urbanus VIII.	360	20	11	1644	- -
237. Innocentius X.	363	10	3	1655	m. 2.
238. Alexander VII.	365	12	1	1667	m. 1.
239. Clemens IX.	367	2	5	1669	- -
240. Clemens X.	370	6	2	1676	m. 2.
241. Innocentius XI.	371	12	11	1689	m. 1.
242. Alexander VIII.	374	1	5	1691	m. 5.
243. Innocentius XII.	376	9	2	1700	m. 1.
244. Clemens XI.	387	20	- -	1720	- -

POSL



(o)(o)(o)

XIX

# POSITIONES HISTORICÆ.

- I.
- V**eri Romani Pontifices numerantur solum 224.
- II.
- Ex horum numero fuerunt in Divorum Catalogum relati minimùm 74.
- III.
- Ex tanto numero haud plures fuerunt vitiosi, quàm 8. 9. aut 10.
- IV.
- Singuli duodenarii Roman. Pontificum minimè dederunt majus scandalum, quàm dedit ipse Apostolorum duodenarius.
- V.
- Quòd Sedes Pontificia fuerit constanter à Superis conservata, demonstravit Deus miraculis plurimis.
- VI.
- Ex vitiosis Pontificibus plerique fuerunt intrusi, non verò vocati.
- VII.
- Nec Germania, nec Gallia, nec Hispania, nec ullum aliud ab Italia distinctum regnum Pontificiæ Sedis locum stabiliter sibi vendicet.
- VIII.
- Ad Pontificatum ritè gubernandum fuerunt hætenus omnium maximè idonei Itali.
- IX.
- Ad Pontificatum ritè sustinendum, exceptis Italis, hætenus præ nationibus aliis idonei fuerunt Germani.
- X, Nul-



X.

Nullus Summorum Pontificum fuit unquam jure aut validè constitutus ab Imperatoribus.

XI.

Nullusetiam Pontificum fuit à solo Populo validè electus.

XII.

Ex Clericis in Pontifices electi sunt plurimi, & ex Monachis non pauci: atamen ex his vel illis plures eligi expediat, esto Problema.

XIII.

D. Gregorius M. certò est in Pontificem electus ex Ordine D. Benedicti.

XIV.

Profuit plerumque eos eligere in Pontifices, qui in Curia Romana fuerunt plurimùm versati.

XV.

Profuit plerumque nec admodùm senes, nec juvenes in Pontifices eligere.

XVI.

Ex futuris Romanis Pontificibus quempiam ad vel supra annos Petri ascensurum facilè, haud firmiter sperare datur.

XVII.

Constantinus M. Romæ à D. Sylvestro, non verò Antiochiæ ab alio Sacerdote fuit baptizatus.

XVIII.

Constantinus M. Romano Pontifici probabiliùs fecit donationem in orbe toto notissimam.

XIX.

Quodsi donatio Constantiniana non fuisset facta, hoc tamen non obesse Romano Pontifici doceat Historia.

XX.

Romanorum Pontificum autoritate potissimùm Occidentis Imperium translatum est à Græcis ad Germanos.

XXI.

Absque Imperatorum Orientalium &c. injuria translatum est Occidentis Imperium in Carolum M.

XXII.

Is, qui potissimùm transtulit hoc Imperium, fuit D. Leo III. Pontifex.

XXIII.

Quòd soli Germaniæ Principes sint constituti Electores Imperii Romani, debet Germania potissimùm Romanis Pontificibus.

*R. P. Kolb Series Pont. Pars III,*

E e e

XXIV.



*Positiones Historicae.*

XXIV.

Electorum Germanorum in Imperio non fuit primus author Innocentius IV. cum Friderico II, Imperatore.

XXV.

Sed Gregorius V, Pont, cum Ottone III, Imp.

XXVI.

Haud alium, quàm ex natione Germana Principem in Imperatorem esse eligendum, judicârunt & curârunt etiam illi Pontifices, qui in Germania non sunt nati & educati.

XXVII.

Fœdus amicitiaë inter Romanos Pontifices & Imperatores toti Ecclesiæ & Imperio semper profuit,

XXVIII.

Ex Imperatoribus Germanis cum Romanis Pontificibus consenserunt illi maximè, qui sunt de Caroli M, & Rudolphi Habsburgici stemmate,

XXIX.

Ut Romanis Pontificibus debitum honorem omnes nationes & populi exhibeant, etsi deessent argumenta alia, meritò commoveri omnes deberent exemplis Imperatorum, Regum, Ducum, ac Principum, in toto terrarum orbe maximorum ac plurimorum.

XXX.

Dissensio inter Romanos Pontifices & Imperatores plùs nocuit tum Romanæ Ecclesiæ, tum Imperio, quàm bella ab exteris hostibus illata.

XXXI.

Quòd nonnulli Romanorum Imperatorum in Occidente à Romanis Pontificibus dissenserint, causam suppeditârunt maximam mali Consilarii.

XXXII.

Plerique Imperatores & Reges, qui Pontifices Romanos persecuti sunt, vel nimis maturò, vel infelici aliàs fatò extincti sunt,

XXXIII.

Tristio rem vitæ exitum sortiti sunt plerique Pseudo-Pontificum, exceptis iis, qui in tempore sapuerunt,

XXXIV.

Etsi ex Romanis Pontificibus non nisi tres nomine Magni vulgò appellantur, tamen plurimi eorum hoc nomine æquè digni sunt, ac fuerunt digni multi Imperatores, Reges, Duces &c, in orbe plurimi.

XXXV.



*Positiones Historica.*

XXXV.

Nomina hæc: *Supremus Episcopus, Episcopus Oecumenicus, Papa &c.* primis  
Ecclesiæ Seculis jam fuerunt usitata.

XXXVI.

Præ aliis nominibus propriis elegit Pontificum Series sequentia nomina:  
*Alexander, Benedictus, Bonifacius, Clemens, Gregorius, Joannes, Innocen-*  
*tius, Leo, Stephanus, Urbanus, &c.*

XXXVII.

Inter has nominum collectiones præ aliis fuerunt magis vituperati *Joannes,*  
laudati verò magis *Gregorii.*

XXXVIII.

Plerique Romanorum Pontificum valde excelluerunt Theologiâ & Juris-  
prudentiâ.

XXXIX.

An Romanis Pontificibus plus profuerit Theologia, an Jurisprudentia,  
esto problema.

XL.

Fuerunt Rom. Pontificum alii prudentiâ, alii doctrinâ excellentissimi.

XLI.

Plus tamen iisdem Pontificibus profuit insignis prudentia, quàm scientia  
prorsus eximia.

XLII.

Inter Romanos Pontifices fuerunt multi, qui Jure etiam Civili erant instru-  
ctissimi.

XLIII.

Utrùm Romanis Pontificibus Juris Civilis peritia, an Romanis Imperato-  
ribus Juris Canonici notitia fuerit hæcenus necessària aut utilis magis;  
sit problema.

XLIV.

Inter Rom. Pontifices fuerunt præstantissimi Medici, Philosophi, Orato-  
res, Poëtæ &c.

XLV.

Concilia Oecumenica omnino approbata numerârunt Pontifices XVIII.

XLVI.

Supra hæc omnia Concilia fuit Romanus Pontifex.

XLVII.

Etsi inter Germaniæ urbes Constantia multum gloriari possit ob Conci-  
lium Constantiense, parum tamen glorietur Bailea ob conciliabulum  
Basileense.

Ecc 2

XLVIII.



*Positiones Historicae.*

XLVIII.

Et si Romani Pontifices ferè 40. vel manifestæ hæreseos, vel erroris gravissimi insimulentur ab Heterodoxis, nullus tamen ex iisdem ullius hæresis, vel etiam erroris Ecclesiæ communis est reus. Hinc

XLIX.

Non erravit D. Anacletus, quòd monumentum ossibus D. Petri constituerit. Vide fol. 25.

L.

D. Alexander I. non fuit author Benedictionum; & etiam si harum author fuisset, non errasset. Vid. fol. 27.

LI.

Non erravit D. Telesphorus præcipiendo jejunium; instituendo tria sacra in festo Nativitatis Domini, & alios ritus introducendo. Vid. fol. 28.

LII.

D. Zephyrinus in Montanistarum errores non incidit. Vid. fol. 39.

LIII.

D. Urbanus Sacramentum Confirmationis certò non instituit. Vid. fol. 40.

LIV.

D. Pontianus & D. Cornelius circa Evcharistiæ Sacramentum errorem ullum non docuit. Vid. fol. 41. &c.

LV.

D. Marcellinus verè idololatra non fuit. Vid. fol. 42.

LVI.

Nec Liberius, nec D. Felix verè in hæresin Arianam consensit. Vid. fol. 51.

LVII.

Innocentius I. non erravit circa Pœnitentiæ Sacramentum; nec circa Baptismum; nec circa Sacerdotium. Vid. fol. 61. &c.

LVIII.

D. Coelestinus hæresi Nestorianâ nequaquam fuit infectus. Vid. fol. 62.

LIX.

D. Leo non docuit, Matrimonium esse dissolubile. Vid. fol. 62. &c.

LX.

D. Gelasius non docuit, cum Carne Christi manere in Sacramento panem verum; bene tamen docuit & præcepit, ne sumatur Evcharistiæ species sine altera etiam à laicis. Vid. fol. 63. &c.

LXI. Ana.



*Posiciones Historicae.*

LXI.

Anastasius non erravit, quòd communionem Photini & Acacii hæreticorum non vitaverit; bene etiam approbavit Ordines & Baptismum ab Acacio collatos. Vid. fol. 64.

LXII.

Vigilius licet fortè errarit ex respectu Theodoræ Imperatricis ante Pontificatum, minimè tamen erravit in suo Pontificatu.

LXIII.

Gregorius M. minimè per errorem, sed ritè docuit, Confirmationis Sacramentum posse aliquando à simplici Sacerdote conferri. 2. Idem minimè fuit author Ceremoniarum in Ecclesia Romana nunc usitatarum. 3. Minimè etiam ipse Purgatorium, ut ajunt, instituit.

LXIV.

Honorius I. Monothelitarum errores nec docuit, nec probavit. Vid. fol. 96.

LXV.

D. Martinus non docuit, negandam esse veniam Presbyteris post susceptos Ordines peccantibus. Vid. fol. 97. 98.

LXVI.

Sabinianus cereorum in Servitiis Divinis accensorum usum haud primus introduxit. Vid. fol. 97.

LXVII.

Bonifacius III. non fuit inter Pontifices primus, qui *Episcopus Oecumenicus* fuerat vocatus. Vid. fol. 99. seq.

LXVIII.

D. Gregorius III. nec erravit circa Ordines Sacerdotum, nec circa vinculum conjugatorum. Vid. fol. 114. 115.

LXIX.

Cultus SS. Imaginum Seculò VIII. minimè, nec etiam à Pontificibus Romanis introductus fuit. Vid. fol. 117.

LXX.

Nicolaus I. Pont. non erravit in doctrina de Baptismo in solo *JESU nomine* conferendo. Vid. fol. 136.

LXXI.

Error Stephani VII. & Sergii III. circa personam Formosi Pontificis commissus non obest ulli Pontificum aut Ecclesiæ. Vid. fol. 137. seq.

Ecc 3

LXXII.



LXXII.

Quidquid de Joanne *Papissa*, ut vocant, conscripserunt quicumque demum Scriptores, evidenter est fabula. Vid. fol. 140.

LXXIII.

Nicolaum I. fuisse authorem primum, qui prohibuit Sacerdotibus Matrimonia, non minus est fabula. Vid. fol. 144.

LXXIV.

Et si Seculum X. comparatum cum reliquis Pontificum Seculis dici queat ferreum, aut plumbeum, tamen inter 23. Pontifices ejusdem Seculi non nisi 4. fuerunt, qui maculam asperserunt Sed. Pontificiæ. Vid. *Secul. X. cum Reflex.*

LXXV.

Idem Seculum X. comparatum ad Seculum XVI. potest dici Germanis aureum, aut argenteum. Vid. *Reflex. utriusque Seculi.*

LXXVI.

Sylvestrum II fuisse magum; Benedictum VIII. nigricanti equo insidentem post fata apparuisse; Gregorio VI. per Simoniam fuisse coemptam dignitatem Pontificiam, sunt merissimæ fabulæ. Vid. fol. 175. & seq.

LXXVII.

Gregorius VII. nec fuit hæreticus, nec necromanticus, nec seditiosus, nec Simoniacus &c. sed certè numerandus est inter Pontifices laudatissimos. Vid. fol. 176.

LXXVIII.

Alexander III. nec erravit in doctrina de testamentis, nec de Matrimonio. 2. Pari modò non erravit Coelestinus III. in doctrina de conjugio cum sponsa in hæresin lapsa inito. Vid. fol. 214.

LXXIX.

Idem Alexander non excepit Fridericum Oenobarbum Imp. sequentibus verbis: *Super aspidem & basiliscam ambulabis &c. ibid.*

LXXX.

Hadrianus IV. haud à musca guttur subito occupante fuit suffocatus. Vid. fol. 219.

LXXXI.

Innocentius III. non erravit circa doctrinam ex Deuteronomio traditam, 2. nec circa S. Synaxin Laicis sub specie panis duntaxat porrigendam. Vide fol. 238. &c.

LXXXII.

Certissime fallum est, quòd idem instituerit Confessionem, ut vocant, Auricularem. Vid. fol. 240.

LXXXIII.



*Positiones Historicae.*

LXXXIII.

Nec Innocentius IV. nec Alexander IV. nec Clemens IV. suaserunt Suevorum Ducum fundi sanguinem, aut quemquam illorum occidi. Vid. fol. 243. & 244. seq.

LXXXIV.

Nicolaus III. nec fuit author, nec adjutor illius stragis, quam *Vesperas Siculas* vocârunt. Vid. fol. 246.

LXXXV.

Bonifacius VIII. nullis fraudibus sibi comparavit Sedem Pontificiam. 2. Idem non fuit morte lugubri extinctus. 3. Nec tempore Jubilæi pecuniis noxarum veniam vel vendidit, vel vendi permisit. Vid. f. 247. & c.

LXXXVI.

Benedictus XI. dictus XII. per summam injuriam accusatur plurimum criminum. Vid. fol. 267.

LXXXVII.

Innocentius VII. non fuit *crudelis*, imò nec *injuriosus* in cives Romanos, quorum aliqui capite plexi, alii de fenestris fuerunt præcipitati. Vid. fol. 299.

LXXXVIII.

Joannes XXI. dictus XXIII. non fuit à noctua impeditus à Concilio Romæ inchoando. 2. Nec ipse negavit vitam futuram, aut *Carnis Resurrectionem*. Vid. fol. 300.

LXXXIX.

Martinus V. non expulit Joannem Gerson in exilium Lugdunum. Vid. fol. 301.

XC.

Eugenius IV. nec fuit justè depositus à Concilio Basileensi, nec potuit deponi. Vid. fol. 305.

XCI.

Æneas Sylvius dudum ante suum Pontificatum deseruit partes Concilii Basileensis. Vid. fol. 305. & seq.

XCII.

Paulus II. non odit literatos verè tales, nec hos vocavit hæreticos. Vid. fol. 307.

XCIII.

Julius II. non fuit blasphemus in Deum. Vid. fol. 345.

XCIV.

Leo X. Sacra Biblia non dixit esse librum fabulis refertum. Vid. fol. 346.

XCV.



*Positiones Historice.*

XCV.

Plùs æquò certè non persecutus est Lutherum. Vid. fol. 347.

XCVI.

Indulgentiæ etiam plenariæ fuerunt in usu antiquissimæ Romanæ Ecclesiæ.  
Vid. fol. 249.

XCVII.

Non minùs in usu Ecclesiæ antiquissimæ fuit severa anathematis sententia.  
Vid. fol. 374.

XCVIII.

Quæ de Clemente VII. Paulo III. Julio III. Marcello II. & Sixto V. ab Heterodoxis conscripta fuerunt, pleraque sunt commenta inanissima.

XCIX.

Pari modo, quæ de Paulo V. Gregorio XV. Innocentio X. & Alexandro VII. non Catholici authores posteris reliquere, sunt fallacissima.

C.

Etsi aliqui ex Romanis Pontificibus fuerint vitiis obnoxii, nullus tamen malitiâ superavit Lutherum, teste Historia certa. 2. Hinc æquiosi jure secundùm descriptionem Antichristi Lutheranam &c. ipse Lutherus est, aut dici potest Antichristus.


F I N I S.























Kolp.  
Series 2m.  
Lontet.

Th  
4893